el verdadero nombre de este autor es Barto-
meu Sou, dicho así en lemosin, pues nació en
Algaida pueblo de la isla de Mallorca, y mu-
rió allí mismo.

THESES
BILBILITANAE
INSTITUTIONUM
HISTORIAE PHILOSOPHICAE
LIBRIS XII.
COMPREHENSAE.

24

BARTHOLOMAEI POVII

E SOCIETATE IESU

IN

SEMINARIO

BILBILITANO

PHILOSOPHIAE PROFESSORIS

INSTITUTIONUM

HISTORIAE PHILOSOPHICAE

LIB. XII.

Quos defendebat

BERNARDUS VINCENTIUS HIDALGO

Eius discipulus.

BILBILI ANNO MDCCLXIII.

Typis IOACHIMI ESTEVANii Reg. Bilbilit. Semin. Soc. Ief. Typographi.

PRAESIDUM FACULTATE.

IUVENI. NOBILISSIMO.
IOSEPHO. PIGNATELIO.
MARCHIONI. DE. MORA.
HISP. MAIOR. GEN. PATRICIO.
caet. caet. caet.

BERNARDUS. VINCENTIUS. HIDALGO.
S. P. D.

SI *mihi ad* TE *ſcribenti*, MARCHIO *nobiliſsime*, *ea res eſſet propoſita*, *ut laudationem* TUAM *more ſolito conſcriberem*; *quanquam mihi verendum eſſet ſummopere*, *ne laudes* TUAS *amplificando non ſatis ampla*, *magnificaque oratione mea*, *cuius mihi copia eſt & ab ingenio meo*, *& ab adoleſcentia*, *exigua*, *imminuerem*: *tamen vel aditu ſermonis ab avita* TUORUM *nobilitate repetendo*, *vel curſu per omnes amplitudinis*, *& maieſtatis iſtius* TUAE TUORUM*que gradus inſtituendo*, *deducendoque*, *facili expeditoque uterer genere dicendi*. *Nunc vero cum ea ad* TE *de cauſa ſcribam*, *ut* TIBI *philoſophiae meae fructus*, *theſ ſve*, *more apud cives noſtros recepto*, *uſitatoque offeram*; *quo in officio exequendo ſit de munere hoc meo inſtituenda etiam oratio*: *vix quibus utar verbis invenio*: *quae neque* TE *dedeceant* PIGNATELI*um*, *iu-*

ve-

venem facile principem universae nobilitatis europaeae, & me deceant philosophum, observantiae erga TE meae testificatorem.

Equidem intelligo, id quod saepe in hoc genere fieri video, neque satis recte fieri probo, mihi aliorum prope omnium exemplo, vel illum locum e Platone petitum, beatas fore civitates, in quibus viri principes philosopharentur, fuisse retractandum; in quo de amore studioque TUO erga sapientiam multa accumularem; vel illam Mecoenatis tritam iam personam, vilemque usu ipso factam, TIBI fuisse a me denuo accommodandam. Quorum ego neutrum laudandi genus satis TE dignum existimo, MARCHIO praestantissime: qui non sis ex formula communi, cum in TE omnia sint ornamenta singularia; sed TIBI propria quadam laudatione commendandus. Qua quidem in parte si tantum ego novus orator a facundia valerem, quantum TU, nobilissime iuvenis, a dignitate quadam meritoque eximio aliis omnibus praestas; singularem profecto laudationem adhiberem, quae uno TE dignissima videretur.

Audeo vero, si quid forte novi afferam; modo TU mihi memineris illius sententiae, etiam non assecutis, voluisse, abunde pulchrum atque magnificum esse debere, qua usus Plinius, a benevolentiam sibi lectorum suorum conciliabat. Itaque nego me TIBI, Pignateli, meam dicare philosophiam, quod TE TUORUM amplissima quaedam maiestas cum hoc, tum vero omni alio munere dignissimum efficiat. nego me duci, moverique splendore, gloriaque summa pignateliae familiae, quae vel dederit Italiae potentissimos principes, Romae purpuratos Patres sapientissimos, Ecclesiae PP. Maximos, de Christi religione optime meritos. nego me dare velle hoc mei muneris amplitudini, ac Principatui domus TUAE maternae, cui cum summos viros Europa, egregiosque dynastas, tum vero divos debet Empyreum. nego me officium praestare meum genti MONCAIO, FERNANDEZ DE HEREDIA, ABARCA, (quam magna nomina! quae, ne reus violatae imminutaeque maiestatis aragoniae videar, non efferam latine) quae gens peperit Aragoniae reges, Hispaniae maiorum gentium patricios, togae, militiaeque innumeros heroas.

Quorum si ego summorum principum, virorumque rationem mihi habendam esse existimassem, gratum TIBI profecto fecissem, quae TUA est erga TUOS omnes charitas, gratique animi memoria; mihi tamen viderer inferenda TIBI insigni quadam iniuria voluisse gratificari. Nunquam enim TU

mihi visus fuisti is, quem talem, tantumque iuvenem praestantia potius familiae, quam TUA *ipsius dignitas*, TUA *ipsius gloria*, TUA *etiam ipsius, ubi* TE *primum publice ostendisti Hispaniae, amplitudo, atque maiestas efficeret. Et* TU *quidem ab ipsa pueritia* TUA, *nutrita faustis sub penetralibus, eximiis quibusdam artibus, patriis exemplis ad immortalem nominis gloriam instituta; specimen dederas omnibus, qui* TE *puerum aetate, gravitate virum, maiestate principem valde mirabantur, quantus aliquando futurus esses domesticae amplitudinis heres, & amplificator.* TE *iam tum aragonii cives tui*, TE *italae gentes*, TE *regum potentissimorum aulae*, TE *allobroges*, TE *britanni*, TE *galli*, TE *romani, apud quos diversatus quidquid erat cognitione dignum, quidquid aliquando* TE *populorum moderatorem iuvare posset, non tam ipse discebas, quam ex Platonis nobili sententia meminisse facillime videbaris, adolescentem omni laude maiorem, & veluti e coelo delapsum insigni divorum munere, depraedicabant.*

Atqui hae laudes TUAE *adolescentiae, meritae illae quidem, sed civiles tamen erant, & politicae, quibus* TU *passibus prope aequis patrem* TUUM, ISTUM COMITEM DE FUENTES, (*ferent me latini, si non dixero* FONTANUM) *Hispanorum regum ad exteros reges, populosque potentissimos, omnium, quotquot unquam fuere legatorum, difficillimis reip. temporibus facile principem Legatum, sequebare. At nunc*

Quis Martem tunica tectum adamantina
Digne scripserit? aut pulvere troico
Nigrum Merionem? aut ope Palladis
Tydidem superis parem? b

Iam ego nunc velim, Marchio fortissime, praesens ex ore TUO *intelligere, quo* TE *brevis, neque explicata satis haec memoria affecerit antiquorum belli imperatorum, quorum res gestas assiduis laudibus soles commemorare. Nullus enim dubito, quin* TU *tribunus militaris, audito Marte, Merione, Pallade, Tydide, si non arma poposceris, ut olim poposcit Alexander Macedo, audito modo quodam musico, sonituque tubae permisto lituo; at certe militares impetus in* TE *senseris excitari. Nam haec illa pars est eximia laudum* TUARUM, *quam ego ante significabam, virtus militaris, animi fortitudo, in mediis periculis constantia, in pugnis praeliisque bellicus quidam ardor singularis. quae laudes* TUAE *nuper omnium sermone, plausuque commemorabantur.*

b Horat. Car. I. Od. VI.

In

In bello enim lusitanico proxime superiore, cum TU prima veluti stipendia facturus, Almediam, quam hispanus exercitus obsidebat, venisses; comesque individuus magni illius imperatoris, Comitis ARANDAe, cuius unicam filiam, omnium matronarum nobilissimarum facile in omni genere laudum principem, in matrimonio habes; vallum, munitiones, praesidia, tormentaque lustrares; facile apparuit, TE marte maiorem martis pericula pro nihilo habere. Prope aderat Almedia. oppidi moenia bellicis tormentis cincta. milites omnes & lusitani, & britanni pro muris intenti pugnae. TU intra iactum glandium tormentariarum. nullus collis medius. nullum valli munimentum inter TE & Almediam. Ego belli rudis, rei proposita imagine, perhorresco. mihi videor audire tormentorum fragorem. nigricantes e pulvere pyrio videre flammas, strepitum horrere volitantium pilarum, saltus glandium, ruinas valli, clamores militum obsidentium. TU vero hac, atque illac ante vallum obambulare, tormentorum ordinem situmque otiosus contemplari; munitiones ad leges militaris oppugnationis exigere, TUI veluti immemor ab ore, manibusque imperatoris TUI, omnia prae filia cognoscentis, pendere.

Proh superum fidem! utrum ego mirer magis Marchionem MORAe sui periculi oblitum; an Comitem ARANDAe charissimi filii in tanto, tamque praesenti discrimine veluti immemorem! Uterque nati estis milites. uterque ibi timendum vobis esse putatis, ubi non sit gloriae, facinorisque bellici locus. uterque pro patria extrema adire pericula, vitamque Catholicis Regibus devovere, non gloriosum modo, sed vobis iucundum esse iudicatis. O patria! O decus hispani nominis! Nulla umquam aetas oblivione delebit immortale lumen illius diei, cum imperator hispani exercitus ad Almediam, Comes ARANDA, primo dedita veluti opera passus, iuvenem Marchionem MORAm vita sua sibi generum chariorem; maritum unicae natae optatissimum, apertum dare latus tormentis bellicis, machinisque coelo minantibus: deinde tamquam ad se reversus, inspectante exercitu, iniectis collo brachiis, gaudioque toto vultu emicante, hodie, inquit, TE Fili, hodie TE lubens agnosco filium. memineris huius tirocinii, quod hodie, imperatore me, posueris, militaris. pulchrum & decorum pro patria mori. Sed ego, qui TE TUIS, qui TE MEIS debeo, fili; qui TE crescentem Hispaniae imperatorem, illi adolescenti Scipioni Africano, ut ista se dant initia TUA, simillimum, erudio; non tam pro

im-

imperio, quam pro charitate, indulgentiaque veto paterna, ne caput obiicias cupide periculis.

At vide, quae me cogitatio ab institutis laudibus TUIS, *miles* PIGNATELI, *propemodum abducat. haec* TIBI *facinora, quibus alia* TIBI *in re militari proposuisti maiora, vix ut* TIBI *commeratione digna videantur, vehementer metuo. est enim ingeniis* TUO *similibus valde familiare, nihil putare satis magnum, quo aliquid aliud maius esse possit. Nihil heic* TIBI *repugnaro. non conabor* TE *ab ista tam magnifica, tamque* TE *digna deducere sententia.* TU *velim, si quod factum vidit antiquitas,* TUO *ex parte quadam affine, in memoriam revoces. quod cum ista sane animi* TUI *fortitudine vix sit ullum, me auctore, conferendum. Ascanius ille virgilianus,* c *(ut iuvenes modo principes sequar) cum ipse tectus vallo, coborte suorum praetoria stipatus, Numanum Remulum, pro munitionibus insultantem, sagitta transfixisset; non modo ab hominibus, sed a diis Iove, & Apolline, dicitur poetae, testimonium tulisse amplissimum. orantem enim Ascanium, tum primum bello intendentem sagittam celerem,*

Audiit, & coeli genitor de parte serena
Intonuit laevum. sonat una letifer arcus,
Et fugit, horrendum stridens, elapsa sagitta,
Perque caput Remuli venit, & cava tempora ferro
Traiicit.

At victorem Iulum his verbis affatus fuisse fingitur Apollo,

Macte nova virtute puer, sic itur ad astra,
Diis genite, & geniture deos: iure omnia bella
Gente sub Assaraci fato ventura resident.

Atqui ego vix TE*cum confero Ascanium. hunc fortem poeta;* TE *fortissimum verissima hispanorum fama, praedicat. illum e praesidio victorem;* TE *extra munitiones sine ullo praesidio victoriae proludentem. illum non perterritum verbis Remuli superbis;* TE *ne omnibus quidem tormentis in* TE *unum intentis commotum. Hoc simile fortasse, quod* TU *ab Heroe isto* TUO, *Comite* ARANDA*e; ille ab Apolline testificationem virtutis, gratulationemque obtinuerit.*

Quod si me non valde aequo animo dicentem audis de primis auspiciis TUIS *belli, faustissimis illis quidem, certissimisque futurae gloriae signis; sed auspiciis tamen, multorumque modo victoriarum principiis; mihi tamen veniam, egregium non tacenti facinus,* TU*te dabis. ut enim recte Pindarus* d *canebat,*

c Aen. IX. d Πίνδ. Νέμ. εἰδ Θ.

> Ε῎στι δέτις λόγος ἀνθρώ-
> Πων, τετελεσμένον ἐσθλὸν
> Μὴ χαμαὶ σιγᾷ καλύψαι.

At de socero TUO *quod adhuc tam pauca dixerim, id mihi vix ipse condonares, nisi ad extremum non multa quidem, sed nonnulla tamen adiicerem, quae ad rem istam* TUAM *pertinere viderentur.*

Quo me vocas vero? unde dicendi mihi sumam exordium de Comite ARANDAe? *vides quam sit difficile, quae tam multa essent de illo dicenda* VIRO, *dicere tam paucis; quae tam magna facinora exornanda, ea non deprimere tam dicendi copia exigua. Ille a multis scribatur fortis, & hostium victor. a me cum Hectore illo conferatur, precato deos omnes, ut Astyanacta filium hostium domitorem efficerent,* c

> Ζεῦ, ἀλλοίτε θεοὶ, δότε δὴ καὶ τόνδε γενέσθαι
> Παῖδ' ἐμὸν, ὥς καὶ ἐγώπερ, ἀριπρεπέα Τρώεσσιν.
> Καί ποτέ τις εἴπησι, πατρὸς δ' ὅγε πολλὸν ἀμείνων,
> Ἐκ πολέμου ἀνιόντα.

Neque enim dubitari potest, quin magnus iste TUUS *imperator, a puero miles, in bello italico hostium domitor, & murali, & civica saepe donandus corona,* TE, *quem consilio iudicioque suo sibi legerit unicum, non tam amplissimi patrimonii heredem, quam filium indole, ingenioque simillimum, vehementer cupiat in re bellica sibi parem, aut, si fieri etiam posset, se longe ducem praestantiorem. Utinam ille voti reus eum* TE *artibus exemplisque suis ad omnem belli fortunam, laudemque victoriae instruat, ut in* TE *aliquando nostra agnoscat Hispania imperatorem* ARANDAm, *ut communes triumphos primo socer cum genero, deinde gener cum socero ad longam referat aetatem: ut* TE *redeuntem e bello patricia ista Matrona* ARANDAe *filia, domum se excipere ipsa sibi videatur in viro patrem, in Pignatelio* ARANDAm. TU *nunc pone tantisper belli studia, aut imitatus antiquos imperatores, qui in tentoriis etiam philosophos audiebant, Alexandrum, Lucullum, Caesarem; oculos in hanc, quam* TIBI *mitto muneri, philosophiam meam, convertito. Convertes, spero, qui* TUORUM *exemplo non Martis magis, quam Minervae artibus inservias. Ego eo redeo, qui me totum, cum meis omnibus* TIBI *votis, studiisque dedo,*

> O mihi tam longae maneat pars ultima vitae,
> Spiritus & quantum sat erit Tua dicere facta.

Vale. Bilbili A. D. VIII. Cal. Iun. An. MDCCLXIII.

c Ἰλι. Ζ.

BAR-

BARTHOLOMAEI POVII

E SOCIETATE JESU

INSTITUTIONUM HISTORIAE PHILOSOPHICAE

LIBER I.

DE PHILOSOPHIA UNIVERSA.

CAP. I. *OCCASIO scribendi.*

QUae duae caufae plurimum folent homines ab fcribendo deterrere, & commentariorum copia eiufdem generis, & eorum contemptus; eae me ambae ad fcribendum de re philofophica vehementer excitant. copia quidem commentariorum philofophicorum apud hifpanos noftros prope infinita: contemptus vero eorundem apud exteros fapientes fummus effe hoc tempore videtur. noftri de fchola homines acuti, & exercitati nullum faciunt modum fcholafticae philofophiae, more fuo retractandae, quam ifti, qui nunc funt, eruditi, ruris, ut illi

PROP. I. *Philosophi scholastici & eruditi utrique sunt alteris contemptui.*

criminantur, plenissimum, aequis non possunt oculis aspicere. exteri philosophi, qui totum Isocrati *pigmentarium*, atque omnes eius discipulorum arculas, ac nonnihil etiam aristotelia pigmenta assiduo in ornanda poliendaque philosophia consumunt; nostris parum scholasticis placent, quibus ideo bene non olere videntur, quod bene semper oleant. ut quod Aristoteli, & Isocrati contigit *quorum a uterque suo studio delectatus contempsit alterum*; hoc ipsum contigisse videam philosophis nostris, & externis, quorum utrique sua philosophia delectati alienam contemnunt philosophiam.

II. *Philosophis opus est disceptatore, & aequo arbitro.*

Itaque, quod ego dicere coeperam, partim commotus abundantia scriptorum philosophicorum, partim invidia, & offensione, in qua sunt utrique apud alteros, scholastici apud eruditos, eruditi apud scholasticos, scribendarum institutionum historiae philosophicae cepi consilium. Fieri enim posse iudicavi, ut, si quis arbiter honorarius ex fide bona hanc causam philosophorum disceptaret, & illud ex duodecim tabulis *melius*, *aequius*, in iudicio sequeretur; aut modum aliquem litibus imponeret, aut quae in utraque parte iniuria reprehendantur bona; quae contra iure notentur mala, iis, qui candide vellent in posterum, simpliciterque philosophari, ostenderet. Nihil autem erat, quod ita ad eam rem valere posse existimarem, quam si quis non studio partium, non mancipata sententia, non constricto iudicio dogmata philosophorum omnium exponeret, brevique historia totam ipsorum causam comprehenderet. in qua si maxime sint alia commoda, ut esse permulta deinceps aperiam; certe nullum est maius, quam quod dignitate ac praestantia philosophorum recensenda, aequos rerum aestimatores possit a nimio & rerum suarum amore, & alienarum contemptu deducere.

III. *Non sine exemplo nostrorum civium suscepta historia philosophiae.*

Ac ne verear, ne quis philosophorum hispanorum, indice ipso mearum institutionum historiae philosophicae, quae non satis est adhuc a nostris hominibus exculta, commotus, statim studium hoc meum, operamque totam frustra dicat collocatam; faciunt hispani cives, exigui illi quidem numero, sed viri omnium clarissimi, Ludovicus Vives, *b* Pet. Ioan. Nunnensius, *c* Benedictus denique Pererius *d* e Societate Iesu; qui omnes philosophiae historiam illustrarunt. quorum, si quaeris, aemulari exoptem negligentiam potius, si qua negligentia esse possit in tam industriis hominibus, quam istorum obscuram diligentiam. Atque utinam plures e nostris eorum maluissent exempla sequi, quam grandia illa volumina *de lana saepe caprina* e *de chimaeris*, *de hircocervis*, *de quarta parte nihili*, *de non entis esse*, *de entis rationis confitti origine in vulgus* edere.

Memini, me paucis ante annis Cervariae Lacetanorum, ubi non ita pridem condita a Philippo V. Borbonio amplissima Academia, regnare coe-

(*a*) *Tull. lib. I. de Offic.*

(*b*) *De initiis sectis, & laudibus philosophorum.*

(*c*) *De claris peripateticis.*

(*d*) *De antiquis philosophis* inscripsit lib. IV. ex iis, quos quindecim edidit *De com. Princip. Lugduni MDLXXXV.*

(*e*) Quae est iustissima querimonia *Mat. Aymerichii e S. I. Vir. Clar. Prolus. Philos. Barcinon. CIↃCCLVII. pag. 28.*

coepit illa ipsa politior in omni doctrinae genere litteratura, quae nobilissimos fecit hispanos seculi XVI. scriptores; memini, inquam, audire me ab eruditissimo quodam viro illa Tullii verba, ad nostros accommodata philosophos, fere *philosophia iacuit usque ad hanc aetatem, nec ullum habuit lumen litterarum latinarum* in Hispania. A quo cum ego amice dissentirem, & iudicii quaererem rationem; ac ne aliter quidem, inquit, fieri potuit. quotus enim quisque philosophorum nostrorum fuit, qui superiore seculo ita ab eruditione paratus accederet ad philosphiam, ut vel auctores illius antiquissimos, tanquam doctrinae suae fontes adiisset, vel eorum nomina, scripta, dogmata audivisset? Atqui, ait, eum nostri homines numquam conferent splendorem philosophiae, quem videmus allatum ab exteris scriptoribus Gassendo, Wolfio, Newtonio, nisi, relictis his spissis voluminibus, quae proxima peperit aetas, Horatium monentem audierint, vos exemplaria graeca, addo ego, inquit ille, latina,

Nocturna versate manu, versate diurna.

IV. *Iudicium de hispanorum philosophia ab hispano quodam eruditissimo viro factum.*

Plura in eamdem dicebat ille sententiam de genere toto, de oratione, de exercitatione hispanicae philosophiae, quae ego hoc loco non audeo recitare. Dicam ingenue, quod res est. saepe cum ego illius eruditissimi viri orationem litteris mandare inciperem, aestu quodam animi caput scabere, saepe vivos ungues rodere, saepe stilum vertere, quod solet in versu faciendo non malus facere poëta, compellebar. quid metuerem, nescire; nec posse tamen non metuere. sic enim cogitabam. mihi scilicet non irascentur hispani philosophi; de quibus cum ego recito illud factum iudicium, eos eadem opera hortor ad delendam eam infamiam, quam exteri homines, qui nos tertio quoque verbo barbaros appellant, hispano nomini inusere. Esto: quam volent irascantur. decrevi, libenter eorum adversus me iram patriae condonare; modo ne mihi in posterum audiendus sit Heumanus, aliquis e Borea sapiens, qui hispanis scholasticam barbariem obiiciat. *a*

V. *Exterorum iudicium de litteratura hispanica.*

Quae cum ego dico, haud equidem exteris istis eruditis assentior, perditam profligatamque esse in Hispania philosophiam; apud illos tanquam in regno suo esse sapientiam. Non ita sane: multi sunt hispani, qui & recte sentiant, & diligenter colant philosophiam. quanquam non illud negarim, saepe apud nostros fieri solere: ut *recte quis sentiat, & id, quod sentit, polite eloqui non possit.* quod olim de suis civibus *b* animadverterat Tullius. nec enim animum inducere possum, ut iis credam, qui, cum bene scribere non soleant, scribere se voluisse melius in re philosophica negent. Neque is ego sum, qui eloquentiam a philosopho flagitem: quanquam si afferat, non asperner. ieiunam, aridam, exilem, siccam ac barbaram philosophiam ego vero aspernor: plenam, uberem, eruditamque philosophandi rationem admodum a nostris hominibus efflagito.

VI. *In hispanica philosophia nitor quidam desideratus, bona valetudo laudata.*

(*a*) *Christ.Aug. Heumanus Consp. Reip. Litter. pag.* 200. *edit. ann. M DCCLIII. Hanoverae*, cum hispanos barbaros castigaret, parum barbariem ipse cavit. in Hispania *quae iuvenes*, ait, *litterarum studio devoti ADDICERUNT per hyemem, ea rursus aetate consequenti dediscunt.* sed res est nihili. ADDIDICERUNT scripsisset Heumanus, nisi studio praecipiti scripsisset.

b Lib. I. Tuscul. Quaest.

gito. Atque utinam vir exquisitae cuiusdam & elegantis doctrinae non esset passus, abripi se consuetudine, cum esse nefas scribebat, illa ornamenta *realiter*, & *formaliter* per sciolos, & immoderatos criticos inverti. Nos vincimus sine dubitatione exteros philosophiae acumine: ab exteris ne ubertate copiaque sententiarum, amoenitate rerum, nitore & elegantia verborum vinceremur, vehementissime optarem.

CAP. II. *USUS Historiae philosoph.*

Quod si nostri philosophi non nostros semper scriptores, sed alios saepe libros, alia dogmata legerent: si in alienas philosophorum provincias & antiquas, & novas migrarent: si & philosophiae, & philosophorum historiam sibi facerent legendo familiarem: profecto, nisi me omnia fallunt, alienae doctrinae copia locupletati, illinc in scholas suas eruditae cuiusdam philosophiae rivos derivarent, eumque doctrinae situm, & squalorem ponerent, qui obtrectatoribus nostris tandiu de nobis dedit sermonem.

PROP. I. *Necessaria dialectico historia philosophiae; non modo decora & utilis.*

Dici enim vix posse arbitror, quantum ad omnes philosophiae partes non iucunde magis, quam integre percipiendas, valeat rerum philosophicarum historia. In qua quanta, quamque multa insunt commoda? nihil dico, quam sit animo iucundum, & ortum, & progressum, & mutationem, & variam philosophiae modo prosperam, modo adversam legere fortunam. omnino enim ancipites rerum humanarum casus magnam habent in cognoscendo delectationem. Nihil moror, quam sit grati, memorisque animi, eorum vitas resque gestas animo consignatas habere, per quos aucta sit & illustrata philosophorum respublica. Nihil utor auctoritate Aristotelis, [a] qui cum finem dialectico, id est omni philosopho, qui nullus futurus esse potest, nisi fuerit dialecticus, de omni re proposita faciat, disputationem; valde auctor est, ut cognitas ac notatas habeamus complures illustrium philosophorum sententias, quae nobis magnam afferant copiam in differendo. Epicharmianum illud huc ego transfero, *nervos, atque artus esse sapientiae non temere credere.*

II. *Historia philosoph. medetur temeritati, & studiis partium.*

At, qui unius alicuius philosophi verba, veluti totidem pythii Apollinis oracula, non tam ex cathedra, quam ex tripode audierit, quam is credet temere, qui, cur dubitet, fere audiet omnino nihil? quam erit sine nervis sapiens, qui persaepe in disputando, cum multum vocem contenderit, illa ad extremum verba duo protulerit: *ipse dixit*; nec tamen *ipse* ille fuerit Pythagoras? Qui vero ex omni aetate philosophorum pugnas brevi historia expositas, qui sapientum contentiones, qui signa infesta signis, qui compositos imperatores, ducesque philosophiae viderit; quam non temere alteris se credet castris? quam otiose vires, copiasque prius contemplabitur? quam robustos sapientiae suae nervos artusque faciet?

Atque haud scio satis, an ulla sit alia, certo quodam in genere, historia, quae & maiorem in scriptore postulet rerum cognitionem, & ampliorem disciplinis aliis afferat lucem, quam philosophiae historia. Primum enim plerumque & philosophorum res gestae, & ipsorum dogmata in historicis, in poëtis, in alienae philosophiae commentariis sunt veluti punctis singulis colligenda. Quae omnia etsi a viris eruditissimis sint

[a] *Lib. I. Topic. Lib. De Anima. Lib. I. de Coelo.* saepe etiam alibi vel docet cognoscenda, vel ipse recitat pro re nata aliena placita. quae utinam fidelius recitaret!

ſint & digeſta, & illuſtrata; *a* tamen infinitum afferunt illi, qui ſuis uti oculis didicerit; laborem, vel quod tam multi e iunioribus philoſophiae hiſtoricis ſint legendi, vel quod ſatis ferme non ſit tam multos iuniorum legiſſe, ut ne quis aliena placita antiquis tribuat philoſophis, niſi mutilas illorum reliquias ſuis ipſe manibus ſaepiſsime excutiat. Quid ego loquar, quantum ſplendorem & theologiae, & eccleſiaſticae hiſtoriae, & reliquis diſciplinis omnibus hiſtoria philoſophiae afferat, quae iure eſt a nonnullis appellata humani ingenii hiſtoria? Cuius nunc primam inſtitutionem nobiliſsimis his adoleſcentibus huius Seminarii edo. at, quod ſuperi bene vertant, ea de re pleniſsimam iam nunc hiſtoriam in alia mihi otia ſepono, maxime ſi quod nunc praebeo ſpecimen, non diſplicuiſſe noſtris civibus intellexero.

III. *Hiſtoria philoſoph. non vulgarem petit rerum cognitionem.*

CAP. III. *DE PHILOſophis.*

Harum autem inſtitutionum ea ratio eſt, ut vitas primum, deinde placita ſequar omnium philoſophorum, qui vel antiquitate ipſa, quae veneratione quadam videtur omnia conſecrare, vel dignitate inſignis cuiuſdam ſapientiae, ſibi magnum, & memorabile nomen comparaverint. Itaque res ipſa mihi viſa eſt poſtulare, ut ab ipſo initio praeverterem, qui fuerint olim habiti philoſophi, quae dogmata dicta ſint philoſophica. quae vis, ac natura; quae denique deſcriptio, partitioque ſit facta philoſophiae. quibus rebus ab initio expeditis, facilis deinceps curſus iam inde a philoſophia *ſacra*, per philoſophos *barbaros*, *graecos*, *latinos*, *chriſtianos*, *iudaeos*, *arabas*, *ſcholaſticos*, *novatores* ad hanc aetatem explicaretur.

PROP. I. *Ordo diſputationis propoſitus.*

De philoſophis, ſi quis & nomen, & quam profeſsi artem fuerint, requirat; haec nos de illis accepimus. Primum contemplatores naturae, quae nota philoſophis ſemper fuit inſignis, apud gentes alias aliis fuiſſe nominibus appellatos, auctor eſt Diogenes *b* Laertius. babylonii *chaldaeos*, perſae *magos*, indi *brachmanes*, & *gymnoſophiſtas*, aegyptii *prophetas*, arabes fortaſe *zabios*, galli *druidas* nominabant. hiſpani vero, quo ſapientes ſuos (habebant enim ſuos ſine dubitatione ſapientes) appellarent nomine, funditus diſsipatis etiam reliquiis linguae noſtrorum civium antiquiſsimae, ne divinare quidem poſſumus.

II. *Alibi alia philoſophorum nomina.*

De nomine autem graecorum ſapientum haec habet Tullius: *omnes, qui*

(*a*) Hi fere ſunt de re philoſophica veteres hiſtorici *Diogenes Laertius De vitis, dogmatibus, & apophthegmatibus clarorum philoſophorum. Plutarchus de placitis philoſophorum. Galenus philoſophica hiſtoria*; quae vix in rerum ſumma a Plutarchi placitis diſcordat. *Sextus Empiricus Pyrrhonicarum hypotheſ. lib.* III. *contra mathematicos, dogmaticoſque philoſophos, lib. X. Origenes, ſive Pſeudorigenes philoſophumena veterum. Ioannes Stobaeus Eclogae. Suidas Lexicon. S. Epiphanius in epitome adverſus haereſes.* At noviores, qui hiſtoriam philoſophiae illuſtrarunt, hi ferme ſunt. *Ioannes Ionſius de ſcriptoribus hiſtoriae philoſophiae. Ioan. Albertus Fabricius in bibliothecis graec. latin. & latin. mediae. Ludovicus Vives de initiis, ſectis, & laudibus philoſophorum. Petrus Valentia Zafrenſis. Burlaeus, Morellius. Friſius. Piſaurus. Hornius. Voſſius. Stanleius. Deslandius, alii, quos refert Iacobus Bruckerus* in diſſertatione praeliminari ad hiſtoriam philoſophiae, quam ipſe edidit quinque volum.

(*b*) *In Prooemio. Viden. ibi Menag.*

III. *Quibus apud graecos datum philosophi nomen.*

qui a in rerum contemplatione studia ponebant, sapientes & habebantur, & nominabantur. idque eorum nomen usque ad Pythagorae manavit aetatem, qui rogatus a Leonte principe phlasiorum, apud quem docte, & copiose quaedam disseruerat, *qua maxime arte confideret*, *b* respondit, *artem quidem se scire nullam, sed esse philosophum.* nam *qui rerum naturam studiose intuerentur, hos se appellare sapientiae studiosos, id est philosophos.* Neque vero graeci eos modo philosophos appellarunt, qui caeteris omnibus pro nihilo habitis, rerum naturam studiose intuerentur; sed poëtas etiam, *c* sed sophistas, *d* sed rhetoras, *e* sed theologos, *f* sed eruditos denique vel in una arte aliqua, *g* vel in universa encyclopedia. *h*

IV. *Naturae contemplatio nota insignis philosophorum.*

Quae vero tessera fuerit omnium ubique philosophorum, quod proprium munus; Aristoteles indicasse videtur, *i* qui eos viros habitos fuisse sapientes scribit, qui *recondita, eximia, admirabilia, & divina quaedam* consectarentur. Quod apud graecos, & barbaros valuit. barbari quidem philosophi *k* fere rebus divinis praeerant; sed ita, ut de rerum natura non omnino silerent. *l* graeci vero adeo dediti erant studio naturae, ut Plato *m* philosophum in civitate sua hospitem, & omnium rerum faciat ignarum, cuius animus * *aëreas* n *tentet domos, rotundumque polum percurrat.*

V. *Primorum graecorum philosophia negotiosa.*

Neque vero aliquis credat Platoni, ita fuisse defixos philosophos in rerum coelestium, physicarumque contemplatione, ut artes omnes alias graeci sapientes abiecerint. antiquis enim temporibus philosophi in republica gerenda versabantur. nam *vetus quidem* o *illa doctrina eadem videtur, & recte faciendi, & bene dicendi magistra. neque disiuncti doctores, sed iidem erant vivendi praeceptores atque dicendi.* Atque haec graecorum antiquissimorum doctrina, quin sapientia esset, non sinit nos Tullius *p* dubitare: *cogitandi, ait, pronuntiandique rationem, vimque dicendi veteres graeci sapientiam nominabant: hinc illi Lycurgi, hinc Pittaci, hinc Solones.* Tullio etiam, ut solet, consentit M. Fabius Quinctilianus. *q*

Atque haec politica, negotiisque publicis implicata philosophandi, contemplandique ratio usque ad Pythagorae manavit aetatem. nonnulli enim *quietem*, r *atque otium secuti, ut Pythagoras, Democritus, Anaxagoras, a regendis civitatibus totos se ad cogitationem rerum transtulerunt.* In qua

(*a*) *Lib. V. Quaes. Tusc.*

(*b*) *Tull. l. cit.* Non nihil discrepat in ea re *Laert. in Pyth.*

(*c*) *Viden. Menag. ad Laert.* I. *f.* 12.

(*d*) *Philostratus praef. ad vitas sophist. edit. Olearii.*

(*e*) *Rhetoras, sive politicos philosophos, habes illos septem Graeciae sapientes. Vide Tull. ll. citandis.*

(*f*) *Viden. Plato. in Theaeteto. Seneca epist.* 10.

(*g*) *Plato in Theaeteto, & Theage. Laert. lib.* III. *Seg.* 63.

(*h*) *Suidas. T.* II. *voc. idiota.*

(*i*) *Ethic. lib. VI.*

(*k*) *Vide infra singulis quibusque locis de barbaric. philos.*

(*l*) *Infra suo quisque loco.*

(*m*) *In Theaeteto.*

(*n*) *Euseb. Praep. Evan. lib. XII. cap. XX.*

(*o*) *Tull. l.* III. *de Oratore.*

(*p*) *L. cit.*

(*q*) *Procem. Inst.*

(*r*) *Tull. loc. cit.*

* παντακη πεταται κατα πινδαρον.

VI. *A Pythagora inducta otiosa philosophia.*

qua defixi fuisse videntur philosophi graeci, quoad Socrates *a*, *id quod constat inter omnes, primus a rebus occultis, & ab ipsa natura involutis, in quibus ante eum omnes philosophi occupati fuerant*, avocavit *philosophiam, & ad vitam communem* adduxit, *ut de virtutibus, & vitiis omninoque de bonis rebus & malis quaereret.* Quod quia de Socrate magna consensione antiqui memoriae prodiderint; non idcirco Socrates non erat rerum etiam physicarum peritissimus, qui Tullio dicitur *b* in omni genere doctrinae facile totius Graeciae princeps.

CAP. IV. *VIS ET NOTIO philosophi.*

PROP. I. *Contentio de notione philosophi instituta.*

Ergo illud constet, munus, officiumque antiquorum maxime proprium philosophorum, studium fuisse contemplandi. Quoniam vero statim natio philosophorum degeneravit, sophistasque peperit permultos; *c* frequens esse coepit illa contentio, apud utros maneret possessio sapientiae. Sophistae quidem per summam iniuriam, cum in conventu poscerent quaestionem, *d* id est iuberent dicere, *qua de re quis vellet audire*, sibi sapientiae patrimonium, cuius non solidam tenerent & expressam effigiem, sed umbram tantum & imaginem, vendicabant. Atque hos iure Socrates *e* saepe ludebat, saepe alii philosophi notabant, tamquam sapientiam totam non in exquisita quadam cognitione, sed in linguae artificio inani, nulla subiecta, neque sententia, neque scientia collocarent.

II. *Aristotelea philosophi descriptio.*

Equidem existimo Aristotelem, ut sophistis leonis exuvium detraheret, palamque omnibus faceret, eos, si non canthelios, at certe sophistas esse, hanc effigiem sapientis expressisse, *f* ut oportere diceret, *sapientem res omnes novisse, non singulas, sed universas, quoad eius fieri posset. scire etiam dificillima quaeque & occultissima. non enim sapientis esse, quae sensibus subiecta sunt, & patent omnibus, ea didicisse. deinde non vulgarem, & adumbratam notionem rerum, sed exquisitam, omnibusque numeris suis absolutam, sapienti esse debere: quam non ipse modo sibi teneret, sed alios quoque posset quam rectissime edocere.*

III. *Philosophum vix quidquam proloquia communissima iuvant de rebus occultis.*

Quam vero magnifica philosophi definitio! vereor equidem, ne supra hominis naturam efficta videatur communi quodam loco, *g* verumque dixerit Plato, *eum, qui vere philosophatur, censere, se nusquam, aut nunquam sapientiam consecuturum, nisi apud inferos*; id est postquam animus e corpore abierit. Quod si mihi esset de aristotelea sapientis effigie in consilium eundum, *h* in ea multa notarem. primum ei meo detraherem suffragio cognitionem rerum non singularum, sed universarum. nam quid iuvent communes, universaeque notitiae, non singularibus comparatae experimentis, quid quae vulgo dicimus, etiam hispani, systemata, notissimis innixa principiis, ad sapientiam valeant; fateor, me nondum intel-

(*a*) *Tull. lib.* I. *Ac. Quaes.*
(*b*) *De Oratore lib.* III.
(*c*) *Vid. Plat. in Sophista. Protag. Gorgia. Philostratus. Cresolius.*
(*d*) *Tull. lib.* II. *de Finibus.*
(*e*) *Plat. loc. cit. Tul. loc. cit.*
(*f*) *Metaph. lib.* I. *cap.* II.
(*g*) *In Phaed.*

(*h*) Qui perfectam rei formam quaesivere, Plato reipublicae, *quae fortasse apud deos sit*: Tullius *ad Brutum oratoris, qualis fortasse nemo fuit*: Stoici sapientis, qui, ut scribit *Quinct. lib. XII.* nondum *id quod natura hominis summum habet*, sit ullus assecutus; Perpinianus christiani doctoris, *qualis ne-*

intellexisse. *a* Deinde sapienti de cognoscendis difficillimis, atque occultissimis quibusque rebus, ita praeciperem, esse quamdam doctam ignorantiam; sapientiusque esse quaedam nescire, quam scire. nam

Turpe est difficiles habere nugas,
Et stultus labor est ineptiarum.

IV. *Philosophia quaedam de rebus in medio positis desiderata.*

Tum ego vero statuerem severissime, ne tam fastidiosus esset sapiens, ut, nisi quae terris semota, nisi quae oculis essent abducta suis, caetera odisset omnia, atque fastidiret. quin etiam auctor essem, ut ne illam quidem, quam *physicen* Rollinius *b* vocat *puerilem*, exquisitam quamdam rerum in medio positarum institutionem, negligeret; neque illum naturae spectatorem Plucheum, aliosque historiae naturalis scriptores, *c* sinerem non esse bene cognitos sapienti. Nam heic etiam saltus, heic Rhodus, heic ipsa illa natura prostat, cuius se sapiens profitetur cognitorem. Quanto enim hoc satius, quam deum aliquem e machina evocare, qui materiam nescio quam, reddat informem; qui rursus eamdem efficiat biformem; qui *ens rationis sine fundamento effingat*; qui pro imperio *relationes e subiecto* divellat? Haec scias, an nescias, quid demum refert? & tamen

Haec eadem ut sciret, quid non faciebat Amynthas?

Ad

nemo usquam est, neque ante fuit, neque fortasse erit: ii omnes quasi nollent inventam, talem eam esse fingunt, quae inveniri quidem non possit.

(*a*) Prolusio ad theses philosophicas *habita Bilbili an. MDCCLVI. ab equite Caesaraugustano* Iosepho Yoldio, *adolescente optimo, & Seminarii Regii Bilbilitani Soc. Ies. alumno, mihi spem fecerat, in ea me de utilitate systematum plura reperturum. quamquam enim sine argumento sit edita, de hoc certe disputat argumento. Eius vero scriptor, quem ego honoris causa nominatum, pro mea erga Clar. Socium observantia, volo, Crispinus Ant. Poyanius, Vir hinc usque ad sidera notus, nihil nisi decenter solet, & apposite scribere. Et ubique ille sui similis, temperatione quadam usus, nec dat omnia, nec nihil proloquiis methaphysicis, experimentisque physicorum. pagina enim 9.* Quare singularium, *inquit*, rerum cognitionem, notitiam, usum, experimenta perutilia esse, & magni facienda, fatemur omnes; sed quae lucem suam & splendorem ab scientiis abstractis, ideisque universalibus haurire, necesse sit. *Quod contra multis videri solet & scholae principibus, & polymathiae alumnis. Provocat ille quidem ad leges, & ratas dialecticae formulas, culpat sine nervis eruditos. in quo causam agit scholae, sed ita, uti ego non videam, quo demum concludatur modo*, ab scientiis, IDEISQUE UNIVERSALIBUS *splendorem lucemque suam haurire singularium rerum cognitionem. Petrus quidem Fonseca in Arist. Met. L. I. C. II. Q. II. & III. multa evincit eruditione, notissima omnium principia aetatis decursu a nobis post singulares notitias colligi. In ea sunt etiam opinione Conimbricens.* Praef. Porphyrii. in L. III. De Anima C. VIII. Q. I. Art. III. Q. V. Art. II. *Quod si ita est, qui bene norit singularia, is magnus erit Apollo. Cons.* Anonym. *Des Systém. Haiae MDCCXLVI. Ego vero nondum sententiam muto, quippe qui intima conscientia mihi sim testis, non ab universalibus ideis, sed contra a singularibus proficere, si quid proficio.*

(*b*) *Rollin. Rat. Disc. & Docend. tom. IV. pag. 255.*

(*c*) *Plucheus cons. tom. IIII. spect. Nat. ex interp. hispanica.*

V. *Philosophi maxime est rerum cognoscere causas.*

Ad effigiem autem aristotelei sapientis ut redeam, in ea exprimenda oculis, iudicioque suorum civium nonnihil serviisse Aristotelem, mihi persuaserim, qui in philosophando saepe institutis graecorum, invita etiam ratione, paruisse, non nemini visus est. Quod si philosophia, sive *sapientia est*, a *ut a veteribus philosophis definitum est, rerum divinarum & humanarum, causarumque, quibus hae res continentur, scientia*; eiusmodi certe sapiens effingendus est, qui bene cognitas, scientiaque causas habeat comprehensas, cur ita res & divinae habeant, & humanae. Ex quo nemo non videat, non quamcumque rerum & apparentium, & occultarum adumbratam animo notitiam, esse dogma philosophicum existimandam. Is enim vero potius dicendus philosophus, quam

Felix, qui potuit rerum cognoscere causas.

quae si cognitioni pateant, cognitionem demum illae efficient philosopho dignam.

VI. *Philosophi Deus etiam, non una dux natura.*

Neque vero iis consentio, qui unam naturam philosophiae ducem esse debere contendunt. Quid? si quem omnes artes doceat Minerva, si quem luce diviniore perfundat insigni beneficio Deus, qua Ignatium Loiolam illustrasse de cosmogonia, ferunt: *b* minusne propterea is erit habendus philosophus, quod Deum habeat tacitum philosophiae magistrum? Equidem Dei testificationem de rebus, quarum nos causa lateat, fidemque divinis habitam testimoniis, inter dogmata non numero philosophorum. at quam scientiam theologi dicunt *infusam*, & veluti divina manu animo insculptam, hanc ego vero principem habeo philosophiam. Quam si secutus Bruckerus esset, ipsa re monstrante, distinctionem, *c* non tam critice omnem philosophiam sacram, & Adamo, & antiquissimis patriarchis, & Salomoni, &, quod facinus capitale est, Iesuchristo eripuisset. quasi vero quisquis graece sapiat, is philosophus; quisquis autem divinitus sit edoctus, is sit imperitus, barbarusque, ac ne graeculus quidem aliquis habendus.

VII. *Systema bono modo philosopho necessarium.*

Quod autem de systemate nonnulli *d* requirunt a philosopho, ut negent, eam esse philosophiam, quae veluti unum in corpus non coaluerit: ego, nisi bono fiat modo, non censeo sane requirendum. Nam quale demum systema dicimus? si doctrinam via, ac ratione conclusam, si cognitiones ad certa principia exactas, sive id in omni parte, sive in certa aliqua philosophiae materia; certe, quin sit systematicus, philosophus erit nullus, cuius est, & rem, & rei novisse causas. Sin autem systema facimus universum quoddam scientiae corpus, per omnes naturae partes longe lateque diffusum; non video sane, cur a philosopho tantam, tamque operosam substructionem systematis requiramus. graecis, qui otio abundarunt; scholasticis, quibus otium ipsum nomen dedit; reformatoribus istis philosophis, qui, ut in otio essent negotiosi, sese philosophiae penitus dediderunt; naturae totius in systemata redigendae, ac veluti denuo novis artificiis condendae curam relinquamus.

(*a*) *Tull. lib.* II. *De Officiis.*
(*b*) *Pet. Ioan. Maff. Vit. Ignat. c.* 7. *l.* I.
(*c*) *Tom.* I. *lib.* I. *& lib.* II. *& tom.* III. *Period.* II. *Part. alt. l.* I. *cap.* I.
(*d*) *Brucker.* saepe id videtur desiderare in philosophis non graecis.

VIII. *Antiquissima philosophi materia Deus, & homo.*

Est illa quidem natura tota, quam latissime patet, dignissima philosophi provincia, ubi ius dicere possit. at si in conventu aliquo taceat, modo alicubi forum agat, non propterea desinet esse philosophus. vix enim quemquam in omni antiquitate invenias, *a* qui de omnibus naturae partibus iudicium fecerit. Nam antiquissimi illi sapientes duabus quidem in rebus, certe dignissimis, cognoscendis, videntur omnem operam suam consumpsisse, Deo, & homine. quam rem indicare multis visus est ille, graecae sapientiae a multis habitus auctor, Homerus: * apud quem Pallas Minerva ita alloquitur Diomedem,

αχλην δ' αυ τοι απ' οφθαλμων ελον η πριν επηεν,
οφρ' ευ γινωσκης η μεν θεον, η δε και ανδρα.

CAP. V. *VIS ET RAtio philosophiae.*

PROP. I. *Alia saepe habita philosophia, alia sapientia.*

Quod si oculos in eum finem referamus, quem in philosophando homines sequebantur, qui, beatitudinis innata quadam cupiditate, summum illud bonum intelligere volebant, quo cum fruerentur, beati tandem evaderent; facile aliam fuisse vim philosophiae, aliam sapientiae apud antiquos, comperiemus. interest enim illud inter philosophiam, & sapientiam: quod philosophia sit *sapientiae amor* b *& affectatio* : *studium virtutis* : c *studium corrigendae mentis* : *appetitio rectae rationis* : *lex*, *atque ars ipsa vitae* : *studium artis convenientis*, d *meditatio*, *commentatio*, *consuetudoque mortis*; e sapientia vero *perfectum bonum mentis humanae*. Quam ego distinctionem totam petendam esse iudico & a voluntate, cuius est amor sapientiae; & ab intelligentia, sive mente, cuius ipsa est sapientia, quae & ostendat expetenda ad summi boni assecutionem, & fugienda.

II. *Probata philosophiae definitio.*

At multi, bonique scriptores, non auditis stoicis, qui illam suam micrologiam huc etiam transtulerunt, discrimen illud philosophiae, ac sapientiae tollunt. Plato enim *f philosophia est*, ait, *possessio sapientiae*. Aristoteles etiam, ut alios stoicis ipsis iuniores omittam, g philosophia est, inquit, * *veritatis scientia*. Atque hi quidem cum mentem solam respicerent, quae sibi sapientiam, & philosophiam totam vendicaret, in hunc fere modum philosophiam definiebant: philosophia *h* est *divinorum, humanorumque scientia*; sive *cognitio*, i *& scientia rerum divinarum, humanarum, causarumque, quibus hae res continentur*; sive *scientia veritatis contemplatrix*; *k* sive ** *ars artium*, *scientiarum scientia*. quam ultimam gloriosiorem definitionem philosophiae Macrobius, *l* rem esse, dicit, *consensu humani generis decantatam*, *& creditam*, *philosophiam artem esse artium*, *& disciplinam disciplinarum*.

Atque

* *Ili. caliginem rursus tibi ab oculis abstuli, quae prius inerat; ut bene cognoscas & Deum quiden., ac etiam virum.*

(*a*) Insignis est locus Origenis contra Celsum lib. 1. *Nemo nostrum dicet, novi Epicuri omnia; nec audebit profiteri, se nosse Platonis omnia: nosse stoicorum omnia, vel peripateticorum.*
(*b*) *Sen. Ep. LXXXIX.* (*c*) *ib.*
(*d*) *Vid. Lip. Man. lib.* 11. *Dis.*
(*e*) *Senec. l. cit.* (*f*) *In Euthyd.*
(*g*) *Metaph. lib.* 11. *cap.* 1.
(*h*) *Sen. Epist. LXXXIX.*
(*i*) *Tul. l. cit.* (*k*) *Arist. ibi.*
(*l*) *Lib. VII. Sat. cap. V.*
** τεχνη τεχνων επιστεμη επιστεμων.

CAP. VI. *DIVISIO philosop.*

Atque haec sit notio, visque totius philosophiae. de cuius partitione quid placuerit maioribus nostris (maiores enim nostros, nos, qui philosophi haberi, & esse cupimus, philosophos antiquos iure vocemus) breviter videamus. Ego vero ab illis video, philosophiam vel in partes suas dividi, vel in classes philosophorum. Haec autem est antiquissima philosophiae partitio in physicen, ethicen, & logicen: quam etiam, si Eusebio credimus, *a* ab hebraeis ortam, Plato secutus est. *Plato*, inquit Eusebius, *in tres partes omnem philosophiae tractationem dividit, in physicam, ethicam, logicam..... apud hebraeos autem invenies, etiam ante natum Platonem, tres illas doctrinae partes fuisse tractatas.* Vereor, ut satis sua constet Eusebio fides *b* de hebraica partitione: de platonica multos habet suffragatores Eusebius. Tullius *c* certe, *fuit ergo*, ait, *iam accepta a Platone philosophandi ratio triplex, una de vita & moribus; altera de natura, & rebus occultis; tertia de disserendo.* mitto testes alios. *d* unus enim Tullius, etiam iniuratus, summam habet fidem.

PROP. I. *Platonica philosophandi ratio triplex.*

Quid? dicat aliquis, nonne erat ante Platonem graecis in partes distributa tota philosophia? negat Eusebius, *e* qui, *Plato*, inquit, *primus coniungens in unum omnes philosophiae partes divisas adhuc, & dissipatas, tanquam membra Penthei, unum veluti corpus integrum, atque vivum fecit philosophiam*: negat apud eundem *f* Aristocles: negat denique Sextus Empiricus, *g* qui duo postremi distincte persequuntur, quae singulae partes philosophiae ante Platonem carptim a singulis tractatae fuissent.

II. *Ante Platonem nondum divisa philosophia.*

Quo ego vehementius miror, cum Plutarchum, *h* qui innuere videtur, primam philosophiae partitionem ab stoicis fuisse profectam; tum Diogenem Laertium, *i* qui eamdem a Zenone stoicorum parente scribit inventam; tum vero maxime recentem quemdam philosophiae professorem, qui haec ausus est in vulgus edere: quae vulgo circumfertur philosophiae partitio in logicam, physicam, metaphysicam, & ethicam, vel omnino non constare, quo iure sit inducta, vel receptissimam non esse, vel quam afferat utilitatem, non satis praeseferre. Nihil quicquam gravius statuo. in Plutarcho, in Diogene erit qui excipiat, eos non praecise negasse, divisorem principem fuisse Platonem; sed voluisse, a Zenone philosophos diligentissime omnium in philosophiae partitione fuisse versatos. At in nupero philosophiae doctore, cuius ego valde colo memoriam, lapsum memoriae nec excuso, nec accuso: non enim ut ille, sic ego

Indignor, quandoque bonus dormitat Homerus:

vellem equidem excusare posse. illud addo unum, si quando in manus sumet antiquos philosophos, quos scio sumet saepissime, illico animadversurum, & iure ipsius naturae, quae materiam sapientiae veluti in tres

III. *Nonnullorum της μνημης αμαρτημα de partitione philosophiae.*

(*a*) *Euseb. lib. XI. P. Ev. cap.* 1.

(*b*) Multi negant philosophos fuisse hebraeos.

(*c*) *Lib.* 1. *Ac. Quaest. & IV. de Fini.*

(*d*) *Alcinous de doctrina Platonis cap.* 1. *Laert. in Plat. August. de Civ. Dei l. VIII. cap. IV.*

(*e*) *Lib. XI. Praep. Ev. cap.* 11. *ex testimonio Attici.*

(*f*) *Apud Ev. l. cit.*

(*g*) *Adv. Log. Lib. VII. initio.*

(*h*) *Lib.* 1. *de Placitis cap.* 1.

(*i*) *Lib. VII.*

tres classes tribuit; & iure antiquissimae praescriptionis, cui erudita paruit antiquitas, inductam illam fuisse philosophiae partitionem! *a*

IV. *Dialectica a nonnullis verbo praeterita, re probata in partibus philosophiae.*

Neque vero multum refert, si neque Epicurus, neque ipse Aristoteles philosophiae partitionem formula illa solita tulerint. verbis sane dissentiunt, cum dialecticam suam per se ducere familiam nolunt; re consentiunt, cum illam philosopho valde necessariam volunt. De Aristotele, cuius illud nimis fortasse dialecticum circumfertur Organum, non est, cur plura dicamus. De Epicuro perspecte scripsit Walkius, ex veteribus neminem *b* melius de re logica fuisse promeritum. *nimirum contempsit Epicurus stoicorum, & peripateticorum dialecticen, & sophisticen, & eristicen, quae contendendo aptiores erant, quam inquirendae veritati: at artem logicocriticam impense coluit, ut ex eius Canonica, cuius epitomen nobis servavit Lucretius, & quam docte commentatus est Gassendus, apparet.* Certe apud Tullium, qui Epicurum saepe contemnit tanquam non dialecticum, Torquatus, & Velleius epicurei *Canonicam* summis laudibus efferunt: ille, *si stabilem*, inquit, *rerum* c *scientiam tenebimus, seruata illa, quae quasi delapsa de Coelo est, ad cognitionem omnium, regula, ad quam omnia iudicia rerum dirigantur, numquam ullius oratione victi desistemus*: hic vero *d* ita locutus est, *cuius rationis vim atque utilitatem ex illo coelesti de regula, & iudicio volumine*, Epicuri scilicet, *intelligemus.*

V. *Aristotelica divisio.*

Quamquam vero illud Senecae probem, *dividi, non concidi philosophiam, oportere*, eo quod id vitii *habet nimia*, *quod nulla divisio*, eo quod *simile confuso est, quidquid usque in pulverem sectum est*: non possum tamen, ut in schola peripatetica, Aristotelis partitionem philosophicam praeterire. Itaque placet Aristoteli, duplicem esse philosophiae rationem alteram practicam, alteram speculativam. *e* * Ac Benedictus quidem Pererius; *f* emunctissimae naris philosophus valentinus, *de practico quidem*, inquit, *& speculativo multa disputant theologi, multa etiam philosophi, quae quod non oleant* doctrinam peripateticam ex Lyceo, sed ex Arabia, non probat ille satis; quaeque non ego sane disputem, cum illud maximum mihi videatur vitium *g* *quod quidam nimis magnum studium, multamque operam in res obscuras atque difficiles conferunt, easdemque non necessarias.* Est enim obscurissima, minimeque omnium necessaria tota de practico, totaque de speculativo disputatio. Illud restaret unum, nisi paulo ante res ipsa nos, ut praeverteremus, monuisset, quae distributio philosophorum, & quas in classes esset inducenda. in qua versata est patiens quaedam nonnullorum diligentia, quae cupienti faciet satis. nos rem ipsam aggredimur.

BAR-

(*a*) *Eusèb. XI. P. Ev. cap.*
(*b*) *Vid. Anton. Genuensis Prolog. De Art. Log. Natura. pag. 9.*
(*c*) *De Finibus lib. II.*
(*d*) *De nat. Deor. lib. I.*
(*e*) *Diogenis sunt verba lib. V.*
(*f*) *Lib. I. cap. II.*
(*g*) *Tull. lib. I. de off.*
* διττον ειναι τον κατα φιλοσοφιαν λογον, τον μεν πρακτικον, τον δε θεωρητικον.

BARTHOLOMAEI POVII
E SOCIETATE JESU
INSTITUTIONUM
HISTORIAE PHILOSOPHICAE
LIBER II.
DE
PHILOSOPHIA SACRA.

CAP. I. *AUCTOR philoſophiae.*

PROP. I. *Divinitas quaedam philoſophiae.* *Origo controverſa.*

QUam in ipſo aditu hiſtoriarum romanarum Tit. Livius ſcripſit, *a* datam antiquitati fuiſſe veniam, ut, miſcendo humana divinis, primordia rerum ſuarum auguſtiora faceret, originesque ſuas ad deos referret auctores; eam ſi decretis dogmatibusque ſuis poſtulet philoſophia, ius profecto ſuum videbitur poſtulare. nam in ea nihil eſt, quod quamdam non videatur habere divinitatem. ſive enim praeſtantiam ſpectes, videas ab aliis coeleſte munus vocari *b* philoſophiam; ſive, quam afferat rebus humanis utilitatem, cogites; ab aliis quidem intelligas tantam iudicari, *c* ut propterea inventum dicatur eſſe deorum; ſive veram illius originem animo repetere voles, diſces auctore Deo, Dei donum ab initio rerum fuiſſe philoſophiam. Atque his quidem de cauſis ſacra quodammodo omnis dicatur philoſophia. at ego cum Franciſco Valleſio *d* medico hiſpano, viroque doctiſsimo eam voco ſacram philoſophiam, quam ſacra nobis pagina prodidit memoriae: quam cum antediluvianam, tum etiam hebraicam alii appellant. quae cuiuſmodi fuerit, nobis eſt hoc loco videndum.

Atque

(*a*) *Dec. I. lib. I.*

(*b*) *Plato in Epi.*

(*c*) *Plato in Timaeo. Tull. Tuſ. Q. I.*

(*d*) *Fran. Valleſius de ſacra philoſophia* librum edidit ſingularem, dignumque, qui a noſtris legatur, ne ſemper externa praeferant ſuis.

Atque de origine quidem philosophiae, video rem esse controversam. sunt qui primum hominem primum faciant philosophum; sunt qui eundem rusticum terrae filium sibi fingant; sunt qui graecos philosophiae inventores fuisse opinentur; sunt denique, quibus usus ipse multis in locis meditando philosophiam extudisse videatur. Ex quorum sententia [a] Afranius loquentem ita fecit philosophiam,

Usus me genuit. mater peperit memoria.
Sophiam me vocant grai, vos sapientiam.

II. *Dei munus Adamo datum, philosophia.*

Atque ii sane recte sentiunt, qui sentiunt, Adamum vix dum ab humo, & pulvere divina manu excitatum, habuisse divinarum humanarumque rerum, causarumque, quibus hae res continentur, scientiam. In quo sequntur illi quidem sacrarum litterarum fidem. Ecclesiasticus enim habet de primis parentibus, [b] *Deus creavit illis scientiam spiritus, sensu implevit cor illorum. & disciplina intellectus replevit illos.* Haec etiam scripsit Moses, *creavit* [c] *Deus hominem ad imaginem suam.* quam divinam imaginem homini impressam, multi patrum fuisse iudicant, maiore quidem ex parte, anticipatas rerum notitias, animoque insculptas. [d]

III. *Impositio nominum index philosophiae Adami.*

Deinde quam narrat Moses [e] primam nominum appellationem, ab Adamo inventam, illa certe, quantus, & qualis fuerit philosophus primus nomenclator, ostendit satis. erat enim sapientiae, & imperii prima nominum impositio. *Sapiens autem erat,* [f] *neque doctus ab alio, quam ab ipso Deo* is, qui prima animantibus nomina dabat; id quod Philo Iudaeus scribebat. Atque ab hac opinione Plato, [g] ut iuniores alios omittam, [h] non multum abludit, si non ad illam ipsam prorsus alludit, id quod suspicatur Eusebius. [i] docet enim Plato, cum a graecis, tum etiam a barbaris, *non instituto, sed natura ipsa duce commoda rebus imposita esse nomina.* barbaros autem Platonis, hebraeos interpretatur Eusebius. *nec* [k] *enim*, ait, *apud alios talem observationem facile inveneris.* Omnino autem concludit Plato, *nominum latorem doctissimum,* [l] *praestantissimumque virum esse debere*, qualem Adamum fuisse conclusisset, si satis novisset Adamum.

IV. *Adami philosophia non fuit vetitae arboris fructus.*

Hoc ego loco sciens prudens iis abstineo subtilioribus interrogationibus, quibus more suo principes scholae [m] ob has causas Adamo cumulatissimam scientiam attribuunt, vel quod rectus ille a Deo conditus, vel quod beatus, vel quod primarius magister, & quasi antecessor fuisset. Iam qui detrahant Adamo, recenti ab artificis docta manu, omnem scientiam, ex antiquis nonnullos, e iunioribus etiam paucos, novimus.

nam

(a) *Apud Tull. Gel. lib. III. cap. VIII.*
(b) *Cap. XVII.*
(c) *Genes. cap. I.*
(d) *Cons. Petav. de Opif. lib. II. cap. II.*
(e) *Gen. cap. II.*
(f) *Philo Iudaeus lib. de mund. Opif.*
(g) *In Cratilo.* ubi dialecticum etiam facit primum nominum latorem.
(h) *Chrysost. Hom. XIV. in Gen.* quo cum facit omnis sacrorum interpretum chorus.
(i) *Lib. XI. Praep. Euan. cap. III.*
(k) *Loc. cit.* (l) *Loc. cit.*
(m) *Suarius. Vazquius. Petavius.*

nam Theophilus Antiochenus, *a* Procopius Gazaeus, * Nemesius, *c* Adamum finxere sibi ante, quam vetitum *scientiae* fructum ederet, non tam innocentem beatumque, quam infantem, & imperitum. quasi vero sub singulis illis illius nefastae arboris foliis scientia latitasset; aut quasi arbori erroris, & ignorantiae in omne tempus foecundissimae scientia potius nomen, quam scientiae acerbissima quaedam fecisset ironia. *d*

V.
Adamus a Deo conditus sapientissimus.

Atque haud scio satis, an antiquos illos sibi sententiae suae auctores habuerit Hugo Grotius. *e* qui non modo primos homines censuit magna conditos simplicitate, in quo Nazianzeni *f* non ille quidem sententiam, vocem modo expressit; sed etiam barbaris, & agrestibus Indis fuisse quam simillimos. cuius erroris ut nonnullos habuerit e suis Grotius castigatores, *g* plures certe iam habet hodie subscriptores. Quanquam iam mihi demum videor intelligere, quos secutus sit in hac sententia auctores. rabbinis, credo, consensit, quos ab homine erudito fieri solitos fuisse tanti, saepe soleo mirari. rabbini enim, quibus *solemne est in exponendis sacris litteris ridicule nugari, frequentesque miscere fabulas, fingunt Adamum, & Evam creatos esse simplicissimos.* h

VI.
Philosophia iure dicenda Adami scientia.

Erit autem fortasse qui addubitet, iure ne philosophia dicatur copia illa visorum, sive notionum Adamo indita; maxime si Caietanum *i* audiat, scientiam rerum coelestium, in quibus exultat, & triumphat maxime philosophorum oratio, primo homini invidentem, elementorum etiam cognitionem reconditam, exquisitamque detrahentem. At dubitare profecto desinet, ubi primum animadverterit, *k* non oportuisse, vinci luce sapientiae innocentem, beatumque omnium patrem ab ullo infectae posteritatis filio: vincendum vero a Salomone fuisse, qui doctus esset a Deo *horum*, l *quae sunt, scientiam veram, virtutes elementorum, anni cursus, & stellarum dispositiones*, nisi harum rerum omnium scientiam animo comprehensam ac perceptam tantam Adamus habuisset, quantam omnes unum in locum collati philosophi vix essent unquam habituri.

VII.
In Adamo nocente superstes philophia.

At non iam addubitat, sed contentiose negat Bruckerus, *m* Adamo reo fuisse maiorem aliquam scientiam: quam innocenti ideo gratificatur, opinor, ut eam invidiosius omnem post scelus admissum detrahat. At non constat satis, mulctaverit ne Deus praevaricatorem Adamum abdicatione philosophiae; iustitiae dono ita mulctasse constat, ut posset

(*a*) *In II. ad Autolycum* adhuc puer Adam erat.

(*c*) *De Nat. hom. cap. I.*

(*d*) *Pererius lib. III. in Gen. Quaest. III.* non tam putat ab eventu arborem *scientiae* nuncupatam, quam ab ironia.

(*e*) *Apud* Ignat. *Schawarz. Soc. Ies. pag.* 8.

(*f*) Nazian. *Orat. XXXVIII.* primos homines vocat *simpliciores*

(*g*) *Thomasius Iurisp. Div. lib. I. cap. II.* vocat *dogma Grotii Deo iniurium apud Ignat. Schawarz. loc. cit.*

(*h*) *Perer. loc. cit.*

(*i*) *Tom. I. lib. I. pag.* 54.

(*k*) *Consul. Pererius loc. cit.*

(*l*) *Sapientiae cap. VII.*

(*m*) *T. I. lib. I. cap. II.*

(*) *In Genes.* negat ostendisse Deum Adamo regnum coelorum, quam pro ipsius captu maius. μειζον ον, η κατα την του ακουοντος δυναμιν.

posset ad bonam mentem redire, ad quam eo facilior reditus erat futurus, quo & maior divinae lucis copia, & philosophiae pristinae splendor animo obversaretur. Nec si nubes ignorantiae mentem sceleratam invasit, propterea omnis extincta sapientia fuerit, quae solet obduci scelere, deleri repente non solet. Quid? etiamne vis illa divinioris ingenii tota, Adami culpa, funditus periit? an qui secuti sunt posteri meditando philosophiam invenerint, cum tam brevis essent aevi; Adamus tam longo vitae tempore in tenebris, & ignorantia iacuerit? Ego certe malo, parum criticus videri, retinenda Adami philosophia, quam nimis ingratus illa communi parenti eripienda.

VIII. *Graecorum nonnulli barbaris acceptam referunt philosophiam.*

Iam multi etiam philosophorum graecorum, si non Adamo, quem illi ne per somnium quidem plerique omnes noverant, at certe barbaris philosophiae munus in acceptis referunt. quod simpliciter affirmant & Sotion [a], & Aristoteles, [b] sive quicumque sit alius scriptor *Magici*. non enim constat satis, an Aristoteles, an Rhodus, an Antisthenes fuerit [c]. Democritus etiam [d] ingenue fatetur, se patria procul octoginta annos totos vixisse disciplinarum amore. Plato denique, [e] ut alios bene multos eius rei testes [f] praeteream, a barbaris didicisse se omnia profitetur. qui alloquentem etiam aegyptium sacerdotem cum Solone, apud Aegyptum peregrino, in hunc modum inducit, *graeci*, [g] *vos semper estis pueri. nullus enim apud vos senex est graecus.* reddit vero dicti causam inopinati, *disciplinam enim nullam habetis canam.*

IX. *Graeci philosophiae fontem non videbant satis.*

Atque ego sane non ita credulus ero, ut ab his graecis, qui barbaricae philosophiae primas dabant, putem, vel natale solum, vel parentem philosophiae Deum inventum fuisse. nam quî potuere profani homines, ad haec intima religionis arcana sine ullo errore pervenire, ii maxime, qui fabulas aniles de cosmogonia sequebantur? qui si philosophiam saepe vocabant, *a diis datum munus homini*, [h] *& bonum deorum concessu, atque munere datum* [i] *mortalium generi*, [k] *& donum, & inventum deorum*: non ideo, credo, vocabant, quod primum philosophiae satum in Paradiso cognovissent; sed quia laconum more, [l] ut quaeque praestantissima sunt, sic ea maxime divina, & e coelo delapsa solebant nominare.

X. *Diogen. Laertius graecanicam ab origine prima fecit philosophiam.*

Ergo hi graeci per nebulam, alii ne per nebulam quidem, ortum viderant, natalemque diem philosophiae. e quibus ille historicus philosophus Diogenes Laertius, [m] cum esse dixisset nonnullos, qui principium philosophiae a barbaris repeterent; *sed non vident*, adiecit, *se graecorum, a quibus non modo philosophia, sed hominum genus initium habet, praeclara reperta ad barbaros transferre.* Satis quidem confidenter,

o

(a) *Apud Laert. lib. I. Prooe.*
(b) *Apud Laert. loc. cit. Magicus*, libro titulus erat.
(c) *Suidas in voce. Antisthen. Laert. l. cit. Plin. lib. XXX. cap. I.*
(d) *Laert. Aelianus. alii.*
(e) *Plato in Timaeo. Phaedone.*
(f) Omnes graeci Patres. Viden. Menag. & Casaub. *in prooemium Laertii.*
(g) *In Timaeo.*
(h) *Plato in Epin.*
(i) *Plato in Timaeo.*
(k) *Tull. Tusc. Quaest. I.*
(l) *Plato monet in Phaed.*
(m) *Lib. I. Prooemio.*

o Laerti; sed, ut cum poeta loquar, *a* in re maxime historica,

Non isthuc satis est uno te dicere verbo,
Sed facere, ut quivis sentiat, & videat.

Principium, inquit, *a graecis habuit philosophia.* Quo istud argumento? *cuius vel nomen ipsum*, ait, *a barbarorum abhorret appellatione.* Atqui de nomine graeco, cuius auctorem tibi barbari dabunt Pythagoram, nihil quaeritur. tu si quid habes aut melius, at validius, fac proferas, ne iure videatur Casaubonus, tuam coniecturam pugionem vere plumbeum *b* appellasse.

XI. *Iniuria barbaris eripit reperta philosoph. Bruckerus.*

Atque heic mirari saepe soleo Bruckerum, *c* qui, ne parum sit usquam criticus, cum totam hanc controversiam verbi vocarit, secundum graecos ad extremum dat iudicium. barbaros *simplici potius cognitione, quam scientifica, quod aiunt, meditatione veritatem indagasse ... graecos ubi a ruditate morum primum emerserunt, veri, atque boni principia* investigasse: *ex fontibus deductas veritates certa, & ratiocinandi legibus astricta methodo, aliis* proposuisse. Quem ego hominem multo verius iudicasse crederem, si ubique locorum ac gentium & philosophiae principia sensim restituta, & derivatas e principiis conclusiones, & artem differendi conformatam existimasset. nunc unum scire velim, cur *graeci, ubi a ruditate morum primum emerserunt*, philosophi sint e vestigio facti; reliquae vero gentes, quae vel nunquam rudes, vel quandoque ruditatis spolia exutae fuerunt, ne longo quidem spatio, neque assiduo usu philosophiam illam artificio expolitam invenerint? Ego de re tota censeo, ferme viguisse philosophiam in omni republica, quae diu viguerit; deinde saepe numero elanguisse, ubi status civitatis elanguerit: postremo usu, & meditatione, non traditione sola, multis in populis revixisse.

CAP. II. *PHILOSOphia antediluviana.*

PROP. I. *Adamus philosophiae propagator.*

Ergo, ut ad primum redeam philosophum, in quo coepit non infans, sed adulta Dei munere philosophia; profecto iis assentior, *d* qui sentiunt, sapientiam una cum humano genere ante diluvium propagatam ab eodem parente, ab eodem magistro Adamo fuisse. Fuit olim apud graecos haec sapientia, quam philosophiae nomine non dedignatur *e* Bruckerus, *f*

Publica privatis secernere, sacra profanis,
Concubitus prohibere vagos, dare iura maritis,
Oppida moliri, leges incidere ligno.

Quae utinam nunquam ita degenerasset, ut eiusmodi protulisset * philosophos *factis procul*, *g* *verbis tenus*: dignos profecto, quibus occineret Pacuvius *h*

Ego odi homines ignava opera, & philosopha sententia.

Atqui illud, est de quo ne dubitet quidem epicharmius sapiens Bruckerus,

* ανευ του πραττειν, μεχρι του λεγειν

(*a*) *Catull.* (*b*) *In l. Laer.*
(*c*) *T. I. lib. I. cap. I.*
(*d*) *Suid. V. Adam. conf. Fabricius cod. Pseudep. V. T. Vol. I.*
(*e*) *Tom. I. pag.* 434.
(*f*) *Horat. Art. Poet.*
(*g*) *Aul. Gel. lib. XVII. cap. XIX.*
(*h*) *Idem l. XIII. cap. VIII.*

rus, Adamum posteros in societatem vitae convocasse: eos primo domiciliis, deinde coniugiis, fortasse etiam litterarum communione iunxisse, publica privatis, sacra profanis secrevisse. nisi forte id nobis non liceat ex libris sacris coniicere, Bruckero ex libris graecis modum coniiciendi nunquam libeat facere.

II.
Adami posteri philosophi, cum hominum, tum vero Dei filii.

Quod si quispiam quaerat, quid? illi ne primi mortales, quorum vel vitia, vel virtutes eximiae sacris sunt litteris proditae, ista gloriosa, & praepotenti philosophia eruditi fuerint? graece eos fuisse philosophatos, non hercle opinor; at sapientes ita fuisse, ut principia veri, bonique nota haberent, cognitiones bene multas ad illa ipsa exigerent, omnino mihi persuadeo. neque id difficile est de plurimis confirmare. Primum in duas veluti respublicas, alteram civium voluptariorum, quos hominum filios *a* sacra pagina appellat; alteram civium ita bene moratorum, ut eos Dei filios Moses nominet, satis cito Adami posteri convenerunt. At in illa utraque civitate vestigia legimus non vulgaris cuiusdam sapientiae, quae non leviter essent, sed ad memoriam omnium infixa sempiternam. Quanta in Caini progenie, quae videtur philosophata fuisse minus, industria? quanta artium inveniendarum sagacitas? quanta urbium condendarum diligentia apparet? At credo, qui nobis engyscopia, barometra, thermometra, tubos, machinas, prismata invenerit; is, etiam sellularius artifex, insignis habebitur philosophus; qui maiora architecti munia primi obiere cainani, rudes, & imperiti, & simplices, & de peiore nota erunt barbari appellandi. Quid de illa republica dicam sive divorum, sive Dei filiorum? Qui Plato rempublicam deorum, in ideis scilicet platonicis, effinxit, divinus dicatur philosophus; qui sethiani in vita, in moribus, in institutis divorum habebant expressam civitatem, rudes, & impoliti existimentur. An vero tanta omnium officiorum ratio, tanta in Deum religio, tanta omnibus in rebus fides, sine exquisita sive doctrina, sive rerum scientia multarum, consistere apud sethianos tam diu potuisset?

III.
Negata Bruckero antediluviana philosophia.

Novimus sane, quam censuram nobis sit inusturus criticus ille philosophiae historicus Bruckerus, eam ipsam quidem, qua Deslandium *Historiae Criticae Philosophiae* scriptorem gallum *b* notaverit. *Eleganter haec*, ait, *& speciose dicuntur, misere tamen cohaerent.* Deinde vero summam iudicii censuraeve suae facit. *ea primorum hominum actio fuit, ut praesentis vitae miseriam levarent, aeternae reparandae viam ingrederentur: quae occupatio parum temporis ad philosophandum reliquit.* Quasi vero, qui nunc philosophiam, & sapientiam, & criticen ebulliunt, ii non simul vitae miseriam, & aerumnas levent, simul aeternae salutis viam eorum plurimi ingredi conentur, simul longas ducant horas philosophando. hoc demus, quod conficit, Bruckero, otiosum non se Adamum praestitisse philosophum.

IV.
Nihil causae est quare an-

Itaque Adamus ipse sive retinuit sapientiae divinitus datae hereditatem, eam posteris suis ex asse reliquit; sive tantum patrimonium male agendo amisit, experiendo, sudando, algendo, maxime cum graecos omnes Pythagoras, Platonas, Zenonas, Thaletas ingenio vinceret, cum urbanis

(*a*) *Gen. IV.* (*b*) *T. I. pag. 56.*

urbanis occupationibus non aeque distineretur, credo, quem sapientiae thesaurum graeci effodere, Adamus invenerit. Itaque nihil est, quamobrem e republica philosophorum Adamum, Cainum, Abelem, Sethum, Enochum, alios inclementer quis expellat: nihil est, cur ius philosophicae civitatis ad normam, & leges graecorum exigat. concedat etiam Bruckerus, si *haec*, *quae* a *velut propria philosophiae asserunt*, *tractamus omnes*, non modo ab his primos non abstinuisse mortales, sed his plura, & maiora excogitasse.

tediluviana reprobetur philosophia.

CAP. III. *ORIGO LITTERATURAE.*

PROP. I. *Litteratura diluvio prior.*

At enim, dicat aliquis, primi ante diluvium homines, longe, lateque diffusi, cum nulla tenerentur litterarum communione, sapientiam, sive philosophiam, si quam maxime didicissent, brevi admodum obliti fuerint. Non equidem negarim, tam longum tot seculorum spatium ante diluvium, illos etiam homines in ultimas terras usquequaque diduxisse. quod tamen non liquet satis. at hoc viderit Isaacus Vossius, *b* qui ante diluvium admodum anguste credidit habitatum. Inventas nondum fuisse litteras, quarum tenerentur communione mortales prima mundi aetate, si negaro; magnorum virorum auctoritate mihi certe licebit sententiam tueri meam. non quod exoticas probem de libris antediluvianis fabulas, sed quod coniecturas sequar mihi probabiles, probatas etiam magnis viris.

II. *Libri antediluviani suppostitii.*

Rideo, *c* Adamo missa fuisse coelitus viginti volumina, legum oraculorumque refertissima. Rideo muneri datos Enocho *d* triginta libros, (satis hercle malorum, si magni libri fuissent) doctrinarum omnium bibliothecam. Non ego credulus illis, qui *e* Adamo *Apocalypsin*, *Poenitentiam*, f *Creationem*: Enocho vero *g* nobilem illum librum supponunt, *h* ex quo B. Iudas Christi apostolus testimonium recitat. sunt, & esse gaudeo, spuria, sunt a multis notata Ecclesiae patribus, *i* sunt tam nulla ea commentaria, quam nulla ea esse iudicantur, quae Genebrardus sine teste tribuit Enosio. *k*

III. *Usus litteraturae aegyptiae, cannanaeae, hebraicae Mose antiquior.*

Tamen non recedo ab eorum coniectura probabili, qui mundi initio litteras natas fuisse suspicantur. Primum enim satis constat, apud aegyptios, cananaeos, & hebraeos, antiquissimum usum fuisse litterarum. *nam eruditus est Moyses omni sapientia aegyptiorum.* l iam *quis m dicere audebit*, ut si minus sententia, at verbis utar Augustini, *aegyptios mirabilium disciplinarum peritissimos fuisse*, *antequam litteras nossent?* aut quis

(*a*) *Quinct. Prooe. Inst. Orat.*

(*b*) *De aetate mundi* negat, terram ante diluvium neque omnem habitatam, neque omnem diluvio demersam.

(*c*) Arabes eam vendunt fabulam. *Otting. pag.* 22.

(*d*) *Herbelot. Bib. Ori. pag.* 301.

(*e*) *Gelasius Papa* apocrypham habet *Adami Apocalypsin.*

(*f*) *Gelas. Papa* meminit librum *Poenitentiam Adami. Salianus* memorat *librum de creatione.*

(*g*) *Fabricius* collegit eius libri fragmenta.

(*h*) Interpretes sacri docebunt, qui scriptor canonicus ab apocrypho libro testimonium petierit.

(*i*) *Orig. Aug. Hierony. alii.*

(*k*) *Chronic. lib. I. pag.* 10.

(*l*) *Act. Apost. III.*

(*m*) *De Civ. Dei lib. XVIII. cap. IXL.*

quis Mosen mirabilium disciplinarum sapientia non eruditum, non peritissimum etiam sibi persuadeat? Deinde multo ante Mosen iam erant cananaei litterati. erat apud illos illa urbs *Dabir*, a *quae prius vocabatur civitas litterarum.* quae si non disciplinas, at certe litteras domicilio receperat. Erant in urbe Tingitana Africae, etiam sexto Ecclesiae seculo, *b* columnae duae residuae, ab illis olim erectae cananaeis, quos Iosues imperator domo expulerat. in iis autem, & litteris, & verbis phoeniciis, quae ipsae erant cananaeae, incisa erat illa sententia: NOS. II. SVMVS. QVI. FVGIMVS. A. FACIE. IESV. LATRONIS. FILII. NAVE. Tandem hebraei, contra quam opinatur Eupolemus, *c* non primum litteratorem Mosen, sed alium longe Mose antiquiorem, videntur habuisse. quî enim potuit Moses in tanto imperio, in perpetuo itinere, tam brevi ita docere litteras, ut populus suis ipse oculis leges hebraicas legeret? itaque multo ante Mosem usus erat frequens scripturae.

IV. *Non Abrahamus, non Moses, non phoenices auctores primi litteraturae.*

Quaero, unde primum ille usus natus esset? non audio Petrum Crinitum, a Mose litteras hebraicas, ab Abrahamo syriacas, ab ipsis phoenicibus phoenicias fuisse excogitatas. quae *temere ab auctore Crinito scripta fuisse, non immerito suspicaremur*, *d* inquit Calmetius. Non audio Lucanum canentem, *e* primos fuisse ausos phoenicas, cogitationes ipsas animi vivis pingere coloribus, quibus ad oculos loqui liceret.

Phoenices primi, famae si credimus, ausi,
Mansuram rudibus vocem signare figuris.

non audio, inquam, Lucanum, ne si ducat quidem subscriptores duos eruditissimos Plinium, *f* & Curtium. *g* cum Lucano enim non concinit Diodorus Siculus, *h* qui e syris ad phoenicas migrasse litteras scribit. cum Lucano non concinit Philo Iudaeus, *i* qui Abrahamum etiam parentem facit litterarum. cum Lucano non concinit Eusebius, *k* qui phoeniciam litteraturam syris refert acceptam, qui hebraeos etiam syrii nominis fuisse docet; qui demum hebraicas litteras cum ex figura, tum etiam ex ipso nomine easdem esse demonstrat, atque phoenicias. cum Lucano denique non concinit Iosephus, *l* qui scribendi initium ab initio mundi reperit.

V. *Iosephus, quam Tacitus dignior, cui de inventione litteraturae fides habeatur.*

At enim studio partium hebraicarum saepe mentitur multa Iosephus. An vero plura, quam Plinius, quam Curtius, quam Tacitus? Quae malum ergo ea perversitas est severiorum criticorum, ut, si quando secus de rebus sacris profani homines narrent, ea mordicus arripiant; si quae gloriose Iosephus, Philo, Eusebius memorent, furca protinus expellant? Malo Iosepho fidere, quam Tacito, qui aegyptiis tribuit litterarum inventionem non maiore credo fide, quam qua solet de iudaeis verbis singulis mentiri. *m primi*, ait, *per figuras animalium aegyptii sensus mentis*

(*a*) *Iosue cap. V.*
(*b*) *Procop. de bello vandalico lib. II. cap. V.*
(*c*) *Apud Euseb. lib. IX. Praep. Evan.*
(*d*) *Dic. Sac. voc. Littera.*
(*e*) *Lib. III.*
(*f*) *Lib. V. cap. XII.* alibi tamen sibi non consentit.
(*g*) *Lib. IV.* (*h*) *Lib. IV.*
(*i*) *Lib. IX. Prae. Evan. cap. V.*
(*k*) *Histor. lib. V.*
(*l*) *Lib. I. Antiq. Iudaic.*
(*m*) *Lib. I. An. cap. XXXXV.*

mentis effingebant; & antiquissima monumenta memoriae humanae impressa saxis cernuntur. Uter heic labatur, Iosephus, qui lapideum monumentum inscriptum a sethianis ante diluvium testatur, an Tacitus; nequeo divinare. divinet criticus quispiam audax. Pergat narrare Tacitus de aegyptiis: *& litterarum*, ait, *semet inventores perhibent. inde phoenicas, quia mari praepollebant, intulisse Graeciae, gloriamque adeptos, tanquam repererint, quae acceperant.* Heic ego vereor, ne de suo Tacitus phoenicas fecerit plagiarios; non quod negem, litteras eos *b* per Cadmum advexisse graecis, quas hi vel nondum domi habuerant, vel certe amiserant; sed quod de plagio litterario nullus, quod sciam, alius memoret. Illud quidem alios habet auctores Platonem, *c* maxime, & Tullium, *d* quendam Mercurium inventas a se litteras Thamo regi obtulisse. quod ne Platoni quidem, Tullioque multi credere volunt.

VI. *Litterae ultimae sunt antiquitatis.*

Sed e ludo litterario ad exedras redeo philosophorum. Ego in eos coniectores inclino de usu & litteraturae, & sapientiae, qui litteras ante diluvium, qui omne genus doctrinarum frequentatum fuisse suspicantur. nec si nondum erat Academia, Lyceum, Stoa, continuo non erat philosophia. Me quidem in hac re movet pietas, & iusta in Deum religio, quae inter illos Dei filios sine litteris, doctrinaque vix foveri potuisset. movet me industria in filiis hominum, qui cum artes etiam ministras voluptatum excogitassent, scripturam, doctrinamque non vitae, ac societati necessariam magis, quam iucundam, ignorasse, non sunt existimandi. movet me illud primi hominis ingenium, Dei ipsius sculptum, & expolitum manu; quod parum decere videtur, aut non accepisse, aut non etiam invenisse per se omne genus litterarum. movet me denique sapientiae antiquitas sine certo auctore, quae maiorum gentium scriptoribus aequalis fuisse creditur generi humano. Itaque quod aliis commentum est, sapientiam, doctrinam, litteraturam ad Noemum pervenisse, mihi fit satis verosimile.

CAP. IV. *PHILOSOphia noachidarum.*

PROP. I. *Noemus non imperitus philosophiae.*

Nunc autem memini, re ipsa monitus, videre me paucis ante annis in nobilissima, & florentissima Hispaniae academia cathedrarium quendam philosophum, qui scripserit, Noemum in arca fluctuantem, credo, quod abundaret otio, philosophiae scholas habuisse. mihi vero non tam Noemus fuisse videtur philosophus, ut ne in arca quidem desineret esse cathedrarius. Equidem existimo, eum, qui Noemo detrahat vel eximiam quandam sapientiam, ne semper vulgarem philosophiam loquamur, vel singulare quoddam sapientiae propagandae studium; eum de providentia Dei erga hominum genus parum religiose, de communi hominum conservatore parum pie, aut etiam paulo magis imperite, cogitaturum.

Nam edocuit profecto suos Noemus. cui rei tam valde assentior, ut finxisse quidem, sed proxima veris eos finxisse credam, qui, quoniam viderent a B. Petro *e* vocari Noemum iustitiae praeconem. &

(*a*) *Herod. lib. V. c. XXXXXVIII.*

(*b*) *Her.* advectas negat a Cadmo primas litteras Graeciae. vult eas ipsas restauratas, quae fuissent Deucalionis diluvio antiquiores.

(*c*) *In Phaedro.*

(*d*) *De Natura Deor. lib. III.*

(*e*) *Ep. II. cap. XII.*

II.
Scripta multa Noemo supposita non evincunt τὴν νοθείαν ipsius philosophiae.

& Noëmo scripta multa, *a* & supposito Noëmi filio Magesthoni *b* supposititios libros aliquot tribuerent. Quo ego in genere Annium Viterbensem bonum fuisse poëtam, *c* quamquam mala fide historicum ageret, existimo, qui Noëmo auctoritate Berosi sui tribuit vim doctrinae singularem, scriptorumque librorum copiam non exiguam. Hoc loco praetereo compendium illud iuris naturalis, *d* quod apud iudaeos lex *Noachidarum*, vel septem praecepta *Noachitica* inscriptum, circumferri solet, quod critici nondum constanter Noëmo abiudicarunt. *e* praetereo arcae fabricationem ad dimensiones mathematicas fideliter exactam. praetereo delectum animalium mundorum, & immundorum. Illud unum in philosophiae patrocinium affero, quo illam Bruckerus *f* oppugnat, Noëmum multa didicisse divinitus, Noëmum fuisse vatem, qui tanto praestantior ea de causa fuerit philosophus, quanto magis & sapientia sibi erat opus, & praceptore Deo utebatur, quem *quae praeceperat*, *g* *eundem & scire manifeste fecisse*, Chrysostomus arbitratur.

III.
Noemi philosophia in Semo propagata.

Quod si quis semel probarit in Noëmo philosophiam, multo clarius, constantiusque videbit fontem omnis sapientiae non modo sacrae, sed etiam profanae. Ac de origine quidem profanae philosophiae alio loco dicetur. *h* nunc per quos sit a Noëmo derivata sapientia sacra, & veluti apud hebraeos stabili domicilio, ac civitate donata, paucis persequamur. Semus, natu maximus filiorum Noëmi, patrimonium sapientiae in bonis paternis recepit. *i* quem & humana, & divina edoctum, & temporum rationes, *k* & medicas praeceptiones ferunt, *l* leges etiam politicas tulisse. Quae omnia semianae philosophiae argumenta, si non sunt in sacro codice testata, non continuo non sunt probabilia. Quid istis facias? sacrae testantur tabulae de Noëmi, de Ennosii, de Adami sapientia? non ergo philosophi, sed vates erant. Multae sunt coniecturae, multae auctoritates de semiana philosophia? tacent sacrae tabulae! philosophus ergo non erat Semus. Utrum hoc est critico argumento concludere, an cornuto sophistarum pugnare dilemmate?

CAP. V.
PHILOSOPHIA HEBRAICA.

PROP. I.
Testimonia profana de A-

Chamus Semi frater non modo philosophus, sed praestigiator, malusque magus a multis dicitur. *m* sed quem Noëmus sacrorum arcuit communione, dirisque devovit, eum nos e sacra philosophorum republica extorrem in profanis tabulis scribemus; maxime cum ad hebraicos philosophos properet oratio. de quibus si puncta singula vellem colligere, infinitus essem. De Abrahamo quidem generis totius illustrissimo parente plurima testimonia producerem, quibus una cum Eusebio *n* confi-

(*a*) *Guil. Postellus de orig. Lambecius in cat. Bibli. Cod. Fab. Pseudepig. V. T. T. I. citant. libros Noemi. Gerrae germanae.*

(*b*) *Fab. l. cit.* (*c*) *Ber. l. III.*

(*d*) *Con. Saldenus de J. Nat. & Gent. iuxta Disciplinam Hebraeorum l. I. cap. X.*

(*e*) Magnae de illo compendio protestantibus actae lites. *Con. Budd. H. Ec. V. T. T. I. p. 194.*

(*f*) *T. I. pag. 67.*

(*g*) *Hom. XXIV. in Gen.*

(*h*) *L. III.*

(*i*) *Con. Scipio Sgambatus e S. J. Arch. V. T. T. I. pag. 161.*

(*k*) *Fab. l. cit.*

(*l*) *Sgam. l. cit.*

(*m*) *Sgam. l. cit.*

(*n*) *Euseb. lib. IX. Prae. Evan.*

ficerem, sapientissimum illum fuisse. possem laudare *a* Iosephum, qui testaretur, aegyptios ab Abrahamo doctos astronomiam fuisse, & arithmeticam. possem adducere Eupolemum, *b* qui pro testimonio diceret, *Abrahamum, cum sapientia omnes vinceret, astronomiam pariter, & chaldaicam invenisse.* possem denique orphica illa carmina de Abrahamo recitare *c*

brahami philosophia.

ου γαϱ κεν τις ιδοι θνητων μεροπων κραινοντα,
ει μη μουνογενης τις απορρωξ φυλου ανωθεν
χαλδαιων. ιδρις γαρ εην αστροιο πορειης
και σφαιρας κινημ' αμφι χθονα ως περιτελλει
κυκλοτερες γ' εν ισω, κατα δε σφετερον κνωδακα.

Atqui ego ne his quidem utor, si non veris, at certe legitimis testimoniis; ne dum ut suppositas, quas Abrahamo tribunt rabbini tabulas, proferam in medium; *Creationem*, d *Apocalypsin*, e *Assumptionem*, *f* & si qua alia scripta scriptorum subiectores Abrahami nomine inscripserint. Quorum omnium cum nihil dicam, dicere non dubito, non modo philosophum fuisse Abrahamum, hoc tam gravi dignum nomine; sed philosophiam quoque veluti hereditariam genti suae reliquisse. Quid? quae multa post secula de rerum genesi scripsit Moses ille divinus, pertinent ne ad philosophiam? velim sane scire, cur insanae opiniones persarum, *g* aegyptiorum, *h* phoenicum, *i* graecorum etiam *k* de cosmopoeia, sint in maxima parte philosophiae putandae; doctrina vero hebraica, quae una fontes omnium rerum vidit, ne sit quidem ornanda philosophiae appellatione. quasi vero qui duce Deo erant veritatis viam ingressi, non ipsi deinceps magistra natura, & causas, & effecta, & affectiones possent intelligere. *l* Ergo doctrina Mosis quo simplicior, eo potior erat philosophia. *m* quam ego totam, non sine magnis auctoribus *n* existimo, Mosi iam inde usque ab Adamo per manus maiorum suorum quasi & spei, & vitae, & salutis lampada, fuisse traditam.

II. Philosophiae lampas ab Abrahamo per manus tradita patriarcharum.

Atque

(*a*) *Lib. I. An. cap. VIII. & IX.*

(*b*) *Apud Eus. lib. IX. P. Ev.* ubi suffragatur etiam Alexander Polyhistor, quorum reliquias non erat cur Bruckerus vexaret.

(*c*) *Apud Clem. Alex. l. V. Stro. & Euseb. Praep. Evan. lib. XIII. cap. XII.*

Nemo illum novit, mortalia cuncta regentem
Unicus ille nisi chaldaeo sanguine cretus.
Norat enim Solis qua se astrum lege rotaret,
Et circum terram magnus se volveret orbis,
Aequalisque, teresque, intus sita circumplectens.

(*d*) *Lib. Ietzira Mantuae editus MDLXII.*

(*e*) *Epip. in Panar.*

(*f*) *Vid. Syn. B. Atanasio tributam.*

(*g*) *Infra.* (*h*) *Infra.*

(*i*) *Infra.*

(*k*) *Infra.*

(*l*) *Vel Bruckerus ille t. I. p. 8.* non negavit, *quin interdum oculus intendendus sit ad revelationem*, veluti initium doctrinae philosophiae; & utitur exemplo immortalitatis animorum.

(*m*) *Con. Plucheus t. XIV. hisp. interp. pag.* 60.

(*n*) *Cons. Be. Pererius. In Gen.*

III.
Coniecturae de Isaaci, deque Iacobi philosophia.

Atque hac una sive coniectura, sive etiam non aspernando in re historica argumento, mihi videor de philosophia Isaaci, ac Iacobi rem posse conicere. de Isaaco quidem vix aliud nobis reliquum est indicium. *a* de Iacobo vero multa profert Menochius *b*, vir sane in omnibus litteris eruditior, quam cuius coniecturas *frivolas ratiunculas*, diceret Bruckerus; *c* is, qui saepe calcem sine arena adhibere sit solitus. Ego unum illud dico, vim arcanam phantasiae in conformanda prole, Iacobo *d* adeo fuisse notam, ut nemini deinceps philosophorum, tanto temporum intervallo, tot, tantisque machinis, experimentisque adhibitis, notior fuerit. hodie dum enim, & peripatetici, qui vi plastica in ea imagine ducenda utimur; *e* & physici novatores, qui prima prolis lineamenta repetunt ab initio rerum, quasi iam tum impressa seminibus; *f* hoc unum novimus, quod praeceperat animo Iacobus, ad foetus vim, naturamque effingendam multum valere defixam animi cogitationem: caussam, cur tantopere valeat, novisset fortasse Iacobus sive Deo, sive duce natura: nos certe, si verum amamus, videri nos velle scire, cum re ipsa nesciamus, confitebimur.

IV.
Iosephus Aegypti prorex philosophus.

Iam de illo Aegypti sapientissimo praeside Iosepho, quid est, quamobrem dubitemus? & multa sunt testimonia, & indicia sacra, Iosephum fuisse philosophum. Iustinus enim de Iosephi sapientia tam magnifice praedicat, *g* ut neget, quicquam *divini iuris, humanique ei incognitum visum fuisse.* Artapanus etiam *h* de ingenio, de sapientia, de prudentia, de arte imperandi, de reliquis Iosephi virtutibus insignem locum scriptum reliquit. Quod si in sapientibus sunt sine intercessione critica numerandi Solon, Lycurgus, aliique legum latores agrariarum; cur Iosephum in iisdem non numeremus, qui praesertim non modo agrum aegyptium descripsisse; *i* sed artem etiam dimetiendi primus invenisse dicatur? Quid? quod in sacris litteris memoriae sit commendata Iosephi sapientia? *k* quod illi sint in doctrinam, disciplinamque traditi *l* principes aegyptii? quod ea sit Iosepho quaesita a Pharaone rege conditio, *m* quae illum summa necessitudine cum aegyptiis sapientibus, quales ibi constat sacerdotes fuisse, devinciret? video his omnibus argumentis alium posse exitum inveniri, quibus tum ego alium quaeram exitum, cum obtrectatores hebraicae philosophiae eas coniecturas protulerint, quae omnem aditum praecludant Iosephi philosophiae.

CAP. VI.
MOSAICA philosophia.

Ventum est iam ad arcem hebraicae sapientiae, quam si Bruckerus, aut alius quisquam expugnaverit, nosmet illi dedemus non in fidem, est enim homo reformatae fidei a Lutero, sed in triumphum. Moses ille antiquissimus omnium scriptor, sanctissimus legum lator; naturae totius is contemplator, qui unus ex omnium sapientium numero arcanis illius arti-

(*a*) *Gen. XXVI. Con. Scipio Sgamb. Archi V. T. pag.* 197.
(*b*) *De Rep. Heb. lib. VI. c. I.*
(*c*) *Tom. I. pag.* 75.
(*d*) *Genes. cap. XXX.*
(*e*) *Perip. inclementius excepit Polignatius lib. VII.*
(*f*) *Idem loc. cit.*
(*g*) *Lib. XXXVI. cap. II.*
(*h*) *Eus. lib. XI. P. Ev. c. XXIII.*
(*i*) *Eus. loc. cit.*
(*k*) *Gen. cap. XLI. & proximis.*
(*l*) *Psal. c. V.*
(*m*) *Gen. loc. cit.*

artificis fuerit admissus, iure suo philosophorum omnium ducit familiam. sive enim profanam cogites doctrinam, *a* eruditus est Moses omni sapientia aegyptiorum, apud quos sedem imperii sui haec, quae ethnicis dicitur philosophia, olim habebat; quae qualis aetate Mosis esset, alio dicetur loco. *b* sive divinam philosophiam malis, quae una est, & dici potest sapientia, profecto tantum in ea praestitit Moses, ut, si quid de natura veri, si quid sani tot seculorum, quae consecuta sunt, spatio, experimenta patefecerint, id omne *c* simplicem illam Mosis, ac propterea verissimam orationem ac philosophiam de principiis, de elementis, de generatione rerum mirifice confirmaverit.

PROP. I. *Moses philosophiae peritissimus.*

Nondum ad testimonia venio erudita, quae facili declinatione, atque, ut aiunt, corpore, effugit Bruckerus. *d* Haec oracula sacra cur non audiet? cur Bruckero *e* Moses *nec dux proprie populi, nec legislator proprie dictus dici potest*? Reipublicae mosaïcae formam, ait, *theocratiam recte appellant viri docti.* Quaero paucis, *theocratiam* satisne animo informaverat Moses? satisne principia, satis consecutiones *theocratiae* noverat? an quod Deum sequeretur sibi singula praecipientem, idcirco minus sive praecepta cognoscebat, sive, cum ea bene nosset, appellandus est philosophus? Quasi vero qui praeceperit, *sequere Deum*, *f* philosophus fuerit ea sola sententia; qui vero Moses reipsa sit Deum secutus ducem, non fuerit philosophus. Sed istos abire sinamus reformatae religionis criticos, qui vatem nullum sinunt esse sapientem.

II. *Theocratia non vetabat, quominus philosophus esset Moses.*

Ad eruditos testes veniamus, quorum paucis, sunt enim infiniti, *g* testimonium denuntiabimus. Clemens Alexandrinus *h* pro testimonio dicet, *arithmeticam, & geometriam, & rhythmicam, & harmoniam, & medicinam doctum fuisse Mosen ab iis, qui erant insignes apud aegyptios.* Philo iudaeus *i* hoc ipsum Mosi dabit testimonium. addet etiam, *Mosen summum philosophiae fastigium assecutum, oraculo de praecipuis naturae arcanis edoctum.* Eusebius *k* tabulas, auctoritates, litteras cum undique comparatas recitaverit; hoc etiam adiiciet, erat *l Moses sapiens legislator & dialecticus.* Multa denique rabbinorum veniet manus, auxilio quae sit mihi, ac Bruckerum veluti

Iudaei cogemus in hanc concedere turbam.

ex his enim Ischmael, nescio quis, recitabit leges dialecticae mosaicae, *m* quae non, si somnia sint, propterea tota Mosis philosophia erit volucri simillima somno.

III. *Testimonia pro philosophia Mosaica.*

D

(*a*) *Act. Apost. cap. VII.*

(*b*) *L. III. infra.*

(*c*) *Pluchens loc. cit.*

(*d*) *T. I. pag.* 81. *reliq.*

(*e*) *T. I. pag.* 85.

(*f*) *Tull. III. De Fin.* tribuit veteribus sapientibus proverbium.

(*g*) *Con. Fab. C. Pseud. V. T. I. pag.* 826. Bruckerus *T. I. p.*78. fatetur eam esse unanimem sententiam veterum Ecc. doctorum, quam ille Quin religiosissimus scilicet discipulus vocat *cantinelam.*

(*h*) *Strom. lib. I.*

(*i*) *De vita Mosis. I.*

(*k*) *Lib. IX. & XI. & saepe alibi.*

(*l*) *Lib. XI. P. Ev. cap. VI.*

(*m*) *Wolf. Bib. Heb. T. II. p.* 624. *Struvius. Rudim. Logicae Heb. Bruckerus* recitant leges dialecticas e *Traditione Ora.*

IV. *Infida & male sana testimonia de philosophia mosaica.*

Quin ego metuo, ne cui istorum, ab impio iudaeo Spinosa pantheistarum, nimis fuisse philosophus Moses videatur. Quid ita vero dicat aliquis? nempe Eupolemus iudaeus scriptor * haec habet verba, *Mosem primum sapientem fuisse*: at certe primus ille non fuit. nempe Artapanus ** haec habet alia, *Moysum .. philosophiam invenisse*: quam ab aliis didicerat. nempe Diodorus Siculus, c cuius nobis testimonium Photius asservavit, d scripsit: *imagines deorum omnino non sculpsit Moses, quod putarit humana non videri forma Deum, sed COELUM HOC, quod ambit omnia, Deum ipsum esse*: quod non Deum, sed Dei opus Moses habuit. nempe memoriae prodidit Strabo, e Mosen docuisse, *id solum esse Deum, quod nos & terram, & mare continet: quod COELUM, & MUNDUM, & rerum omnium naturam appellamus*: quasi stoicus fuisset Moses. Quae quam longe sunt omnia a vera ratione repulsa? nec enim Moses, qui sapientiam ab aegyptiis didicerat, aut primus philosophus, aut philosophiae inventor esse potuit: nec qui coelum a Deo factum scripserit, totamque rerum summam e nihilo conditam docuerit, is, *HOC quod ambit omnia*, Deum esse insanierit. Itaque Moses bono modo, tantum quantum satis erat, nobis philosophus fuisse videtur.

CAP. VII. PHILOSOPHIA *Salomonis.*

Ac mirum nemini sane videbitur, eam hebraeorum rempublicam, quae a legislatore tali, tantoque philosopho sit constituta, fontem fuisse, unde reliquae nationes philosophiam derivarint. derivasse enim paulo post docebimus, si nobiles, qui ex hebraeis sunt reliqui, philosophos prius persecuti fuerimus. Et de Salomone quidem si quis inter legendos philosophos taceat, insignem iniuriam sapientiae ipsi intulisse videatur, quae in uno Salomone instituendo omnem vim suam visa est contulisse.

PROP. I. *Salomon egregius praeter caeteros philosophus.*

magnificatus est enim rex Salomon super reges terrae non f modo *divitiis*, sed etiam *sapientia*. Quem Ecclesiasticus g est in hunc modum allocutus: *eruditus es in iuventute tua, & impletus es, quasi flumen sapientia ... in cantinelis, & proverbiis, & comparationibus, & interpretationibus miratae sunt terrae, & in nomine Domini Dei, cui est cognomen Deus Israël.* Quid ille locus e libris Regum? *praecedebat sapientia Salomonis* h *sapientiam omnium orientalium, & aegyptiorum; & erat sapientior cunctis hominibus... Locutus est quoque Salomon tria millia parabolas ..... Disputavit super lignis a cedro, quae est in Libano, usque ad hyssopum, quae egreditur de pariete. & disseruit de iumentis, & volucribus, & reptilibus, & piscibus.*

II. *Scripta Salomonis insigniter philosophica.*

Heic iam ego scire pervelim, quid demum in ullo Graeciae philosopho habeamus, quod in Salomone desideremus. nemo de officiis, nemo de moribus, nemo de civitatis statu sapientius scripsit; nemo illam sapientiam, divinamque philosophiam, quae in libris Salomonis continetur, in *Canticis*, in *Proverbiis*, in *Ecclesiaste*, quae certe sunt illius

scripta,

(c) *Bib. lib. XL.*
(d) *Codice CCXLIV.*
(e) *L. XVI.*
(f) *Lib. III. Reg. cap. X.*
(g) *Cap. XLVII.*
(h) *Lib. III. cap. IV.*
(*) *Eus. lib. IX. P. Ev. p. 252. edition. Stephani an. MDLXIII.* ευπολεμος δε φησι τον μωσην πρωτον σοφον γενεσθαι.
(**) *Eus. loc. cit.* τον μωυσον . . . την φιλοσοφιαν εξευρειν.

ſcripta, *a* non dicam aſſecutus, ſed ne imitatus quidem eſt inter tot, tantoſque Graeciae philoſophos. De illis vero rerum phyſicarum ſcriptis, *b* quae perierunt, ſi ex aliis alius generis coniecturam facimus; poſſumus profecto eos eiuſmodi putare, quibus nihil ſimile tota philoſophorum natio deinceps aliquando protulerit. Quare abiudicemus ſane ſcripta illa ſuppoſita Salomoni, qui alienis, quibus ornet ſe, non eget exuviis. abiudicemus *Pſalterium*, *c* a noſtris editum ſociis. abiudicemus *Epiſtolas*, *d* quas apud Euſebium recitat Eupolemus. abiudicemus, quos vel ſuppoſitos, vel expoſitos libros meminit Fabricius. *e* Tamen nec ſine temeritate negare, nec ſine flagitio proditae religionis poſſumus dubitare, quin Salomo philoſophus fuerit inſignis.

III.
Teſtimonium Ioan. Pinedae a Bruckero recitatum de ſapientia Salomonis.

Heic mihi audiendus erit Bruckerus, *f* qui impenſe det operam, ut cum eruditione aberret, qui ita ſcribere audeat: *omnes vero abſurditate vincit ex Ieſuitarum Sodalitio Ioannes Pineda, qui ut in deſcribenda polyhiſtoria Salomonis eſt diſertiſsimus, ita Salomonem facit* eloquentia admirabilem, in poëſi, atque muſica clariſsimum, dialecticum ſubtiliſsimum.. aſtronomum ſummum, coſmographum, geographum, hydrographum, ac architectum abſolutiſsimum, philoſophum profundiſsimum, naturae ſcriptorem, & ſcrutatorem diligentiſsimum, civilis doctrinae conſultiſsimum, medicinae principem, magiae naturalis ſcientiſsimum, oeconomiae, atque ethicae praeceptorem dexterrimum, theologum naturalem, & ſupernaturalem optimum maximum, profeſſorem ſapientiae publicum.

IV.
Bruckeriana iniuria a Pineda repulſa.

Quae, pergit, & alia de academiis, & ſcholis Salomonis philoſophicis, quae auctor affert, ita comparata ſunt, ut merito patientia, & miſericordia lectoris exoranda ſit. Qui tamen Sodalem invenit, g *qui veſtigia eius ſtrenue calcaret.* Et paratos, promptos, ſtrenuoſque habet alios Pineda ſocios, quo magis tibi, tuiſque ſodalibus doleant oculi, Bruckere, qui rurſus veſtigia ſua premant. Tu in iſtis tuis tenebris mica cum tuis eruditis, Thoma Burnetio, *h* Apollonioque, *i* qui iudaeos dicant *barbarorum ineptiſſimos*, cum Reimmano, *k* quem tu credo idcirco vocas *doctiſsimum*, quod nefarie Salomonem fecerit ſcepticum. Qui erudite cum omni antiquitate, *l* qui pie cum omnium bonorum conſenſione, qui graviter cum Eccleſiae Patribus *m* de philoſophia Salomonis ſcripſerit Pineda; eum, ſi ita conveniat bene cum iis litteris in *Lib. III. Reg. c. V.* recitatis.

(*a*) *Nat. Alex. T. II. Hiſ. Ec. V. T. p.* 140.

(*b*) *Nat. Alex. loc. cit.*

(*c*) *And. Schottus S. Ieſ.* Graecum Salomonis Pſalterium, in quo Pſalmi ſunt octodecim, a ſe Auguſtae Vindelicorum inventum, latinum fecit. paulo poſt eiuſd. Soc. Ioan. Lud. Lacerda notis ſuis auctum vulgavit. Non eſt legitimum. *Huet. De. Ev. Pro. IV. conſul.*

(*d*) *Euſeb. lib. IX. Prae. Evan.* non videntur legitimae. quibus non

(*e*) *Fab. multa collegit.*

(*f*) *T. I. pag.* 87.

(*g*) Anaſtaſius eſt. *Q. XXXIX. in ſcrip.*

(*h*) *Archae. Philoſ. lib. I. c. VII.*

(*i*) *Citatus Apollonius Burnetio.*

(*k*) *Obſer. Halens. T. VIII. Obſ. XIII.*

(*l*) *Conſ. Pineda Vir eruditiſ. de rebus Salomonis.*

(*m*) *Pineda copioſe.*

si saperes, si quem servas cum tuis, heic eamdem cum nostris servasses humanitatis rationem, nunquam omnes absurditate vicisse scripsisses.

CAP. VIII. *RELIQUI philosophi sacri.*

PROP. I. *Daniel philosophus fuit.*

Neque vero cum homine moroso, & cui aurem assiduo vellat Epicharmus, *nervos sapientiae non credere*, diutius litigabo. quamquam mihi vix unquam cum illo bene conveniet. Nam ecce iterum contra sentio, Danielem fuisse egregium philosophum. credo enim his oraculis, *a* Danielem, eiusque socios *eruditos omni sapientia*, *cautos scientia*, & *doctos disciplina fuisse*. credo fuisse, *qui doceret eos litteras*, & *linguam chaldaeorum*. probo, Danielem cum sacris maiorum gentium interpretibus, *b* consueto inter babylonios doctrinarum genere fuisse expolitissimum. Quae sane evincunt Danielis philosophiam, etiamsi auctoritate Huetii *c* non utamur, qui Pythagoram facit Danielis auditorem.

II. *In scriptoribus hebraeis philosophumena complura.*

Quod si paucos hos hebraeorum sive sapientes, sive etiam philosophos nominatim recensuimus; alios indictos abire sivimus; non id inopia hebraeorum philosophorum fecimus. alios enim non ita paucos adiicere possemus, nisi nos & institutiones sponte sua breves, & institutiones non sacras, sed philosophicas scribere meminissemus. Nam in omnibus prope scriptoribus antiqui canonis quam multa sunt dicta philosophice? quam multa ex intimis naturae visceribus petita? quam multa ad veri, bonique communia principia exacta fideliter? ut ego nihil verear neque Burnetii, sacrae paginae *d* insani, & allegorici subiectoris, neque istorum criticorum censuram, si simpliciter dixero, omnibus illis hebraeorum scriptoribus arcana philosophiae patuisse. qui si in ipsa Graecia vixissent, vel certe in Iudaea non vixissent, quales, quantique philosophi ab istis eruditis haberentur?

III. *Iobi philosophia probata.*

Certe suspicor, Iobum, eo vel solo nomine, quod iudaeus non esset, a multis protestantibus *e* habitum cum primis insignem philosophum. Quorum ego iudicium valde de Iobi philosophia probo. hoc enim vero, fuisse sapientissimum Iobum, de Iobo licet affirmare: reliqua, si non omnia, at pleraque sunt in opinione posita, atque levi coniectura. sunt, qui Iobum faciant antediluvianum; sunt, qui Mosis aequalem; sunt, qui multo iuniorem. Nec de patria, quam de aetate hominis liquet magis. his hebraeus esse, illis arabs videtur, Mantuano etiam *f* Iobus visus est nullus. quamquam illi vero propiora loquantur, qui Iobum fuisse censent ex Abrahami posteris unum Mose vetustiorem.

Ac de Iobi sapientia & canonicus ipsius liber singulis prope verbis testatur, *g* & Ecclesiae Patres sapientissimi *h* tam valde assentiuntur,

(*a*) *Dan. c. I.*

(*b*) *Hect. Pint. Corn. Alapides. Libanius, alii.*

(*c*) *Huet. D. Ev. Pro. IV.*

(*d*) *Theoria telluris sacra Londini. MDCLXXXI.* ubi Genesis historiam totam facit allegoriam parum sanam.

(*e*) Unus pro cunctis *Verulamius de Aug. Scient. lib. I.*

(*f*) *De Patient. lib. II. cap. XIV.*

(*g*) Veru. loc. cit. Regnaul. e S. I.

(*h*) *Ambros. de Offi. lib. I. c. II.* Hieromy. ad Pau.

tur, ut Iobum faciant auctorem dialecticae primum. Nihil est opus Soli lumen inferre. nihil est, quod patrocinium causae coactum in affirmanda Iobi philosophia referat. Criticum tantisper fastigium, superciliumque demittat Bruckerus. *a* iam sine dubitatione multa in Iobo videat philosophemata, quae frustra in graecis philosophis requirat bene multis. ut *quod omnia haec manus Domini fecerit*: *b* ut quod *ipse Deus fines mundi intuetur*. *c* ut quod *Deus extendit aquilonem super vacuum, & appendit terram super nihilum*. *d*

IV. *Iobi philosophia laudata.*

CAP. IX. *HEBRAICAE scholae.*

Sed ad summam totius philosophiae hebraicae redeamus, de qua duo dicere non dubitabimus. alterum scholas fuisse publicas divinae cuiusdam philosophiae apud antiquissimos hebraeos: alterum libros ipsos hebraeorum fontes fuisse, unde reliqui aliarum gentium philosophi sapientiam deduxerint. Ac nemo quidem est, qui scholis illis prophetarum, quas saepe sacri codices memorant, *e* litem ullam moveat. at quando scholae haberi coeperint, quales etiam fuerint, magna est controversia. sunt enim, qui magna illi quidem specie veri, sed auctoritate tamen non satis gravi, initium scholarum hebraicarum a temporibus repetant antediluvianis: qui post diluvium vestigia videre se earum ipsarum putent in Melchisedecho, doctore Abrahami, cui Hebrone cathedram constituunt: in Abrahamo deinde, quem magistrum aegyptiorum faciunt: in Iacobo etiam, de quo paraphrastes chaldaeus pro eo quod est *f* *Iacobus erat vir simplex, & habitabat in tentoriis*, convertit, *erat praefectus, & minister in domo doctrinae*.

PROP. I. *Scholae hebraeorum antiquissimae.*

Quas ego tam antiquitus apertas fuisse scholas optem potius, quam probem. Itaque antiquissimae illae sunt apud hebraeos scholae memoratae, quas vel Moses in solitudine, vel Iosues in Palaestina instituit. has videre licet multis in oppidis frequentatas *g* a filiis prophetarum. his videntur synagogae successisse, quae primis hebraicae theocratiae temporibus non sunt memoratae. Quibus gymnasiis sacra erat disciplina, qualem hodie theologorum scholae profitentur. Hoc ego loco compositum ad pugnam video par nobile criticorum protestantium. Vates, ait Bruckerus, *h* *instituerunt quidem scholas... cave tamen philosophorum collegia somnies*. Heumanus *i* cum scholam prophetarum non *immediate* a Deo aflatorum, exposuisset; *iure*, inquit, *& hoc inde concludo, fuisse etiam minores scholas in populo hebraico, in quibus legendi, scribendique artem, arithmeticam, fundamenta religionis prima, & huiusmodi alia edocti pueri, tum demum recipiebantur in scholas suas a prophetis.*

II. *Scholae filiorum prophetarum.*

Ego quidem Heumano policem premo. nam qui bene coniecerit, hunc ego vatem optimum perhibeo. Heumanus, qui bellum non indixerat hebraicae philosophiae, vidit id, quod necesse erat, multa humanae sapien-

III. *In scholis philosophic. prae-*

(*a*) *T. I. pag.* 100.
(*b*) *Cap. XII.* (*c*) *Cap. XIV.*
(*d*) *Cap. XVI.*
(*e*) *Lib. I. Reg. c. XVIII. &* *XXII. & lib. Reg.* II. *c.* XXXVIII. *& lib.* IV. *c.* II.
(*f*) *Gen.* XXXVII.
(*g*) *Kariath Ramathae. lib.* I. *cap.* IX. *in Bethel. lib.* IV. *Reg. cap.* II. *in Ierico.* II. *Reg. cap.* XVII.
(*h*) *T. I. pag.* 85.
(*i*) *Consp. Reip. litt. cap.* IV. *num.* II.

ludebant theologiae filii prophetarum.

ſapientiae fundamenta, multas artes fuiſſe ſupponendas diviniori theologiae. quae virgula, quod aiunt, divina tradi quidem imperitis; ſine ſubſidio vero multarum artium ab hominibus doceri, non poteſt. At ille Bruckerus, qui inſtituto ſermoni, non rei ipſi ſerviret, non vidit, ſine doctrinis theologiae miniſtris tales futuros fuiſſe theologos, filios prophetarum, qualem ſe *Miniſtrum* calvinianum vidiſſe narrat *a* Petr. Ioan. Perpinianus, *tanta doctrina, ut nihil plane ſciret; tanta gravitate, ut ſtabulo, iumentiſque praeeſſet; tanta modeſtia, ut ſtabularius hebes, & indoctus illius vici magiſtrum ſe eſſe profiteretur*. Non erant filii prophetarum ſub graeco pallio philoſophi. Quid tum poſtea? ergo neque argumentum concludere, neque veritatis fontes videre, neque honeſtatis principia invenire, neque populorum ſaluti conſulere, quae ſunt philoſophiae partes, didicerant?

CAP. X.
HEBRAICA ſcripta.

PROP. I.
Ethnici ſapientes per ſcripta profecere hebraeorum.

De libris vero hebraeorum vetus controverſia eſt, multis quidem res comperta, nobis ſatis videtur probabilis, hebraeorum ſcriptis alias gentes ad philoſophiam profeciſſe. Primum enim conſtat, Moſen eſſe omnibus & philoſophis, & hiſtoricis, & poetis aliorum populorum antiquiorem. id quod bene deductis rationibus multi Eccleſiae Patres *b* conficiunt. Deinde ſi Danieli Huetio viro clariſsimo, *c* ut nihil de aliis dicam, aſſentimur; ſi natas ex ſimilitudine rerum coniecturas ſequimur; omnes poetarum fabulae ab hebraeorum ſcriptis fingendi impudentia emanarunt. Ad extremum ſiquis velit inſignes quaſdam, maximeque luculentas ſcriptorum profanorum ſententias, cum oraculis, dictiſque ſacris conferre, quod olim eruditiſsimi Patrum fecere; *d* is videat facile, tantam eſſe ſententiarum cognationem, ut omnes ab iiſdem ingeniis partae videantur.

II.
Hebraei non boeoto in aere nati.

Omnino illud ferri non poteſt, hebraeos a Burnetio, *e* & nonnullis aliis tanquam ſtolidos, & litteris male natos, per ora hominum traduci. Apollonium nobis teſtem Burnetius profert, iudaeos tardiſsimos eſſe omnium barbarorum. An vero hoſtis iudaei nominis teſtimonii dictionem contra iudaeos habebit? Quanto rectius illi, qui ex magna ſcriptorum copia, quae apud iudaeos antiquiſsimos eſſet, maxima vi ingenii gentem fuiſſe praeditam arbitrantur? At parum illam dicendi graecorum ſive copiam, ſive garrulitatem ſint iudaei imitati; parum ſcribendi ſtudium, frequentiamque ſint ſecuti. tantum mea quidem ſententia abeſt, ut idcirco ſtolidi, idcirco parum ſint habendi philoſophi; ut in eo ipſo ſeſe maxime oſtenderint ſapientes, quod vita potius, & moribus, quam ſcriptis, ac ſermone ſint philoſophati. quod enim ſcribebat Plato, *f* *veram ego philoſophiam, animi conſtantiam, fidem, ſanitatemque eſſe aio. artes autem alias, quae alio pertineant, ſi ſolertias, elegantias, argutias dixero, recte mihi videor eſſe dicturus.*

Video

(*a*) De Perfect. Chriſt. Doct. Forma. *Veronae an.* MDCCXXXII. *pag.* 163.

(*b*) *Iuſti. Mar. in Paraen. in Apol.* II. *Tertulli. in Apol. c.* XIX. *Tatian. Apud Euſ. lib.* X. *P. Ev. cap.* XII. *Aug. lib.* XVIII. *D. C. Dei cap.* CXXXVII.

(*c*) *Dem. Ev. P. IV.*

(*d*) *Iuſt. Martyr. In Parae. In Apol. II. Aug. D.C.D.XXXV. II. Tertullianus In Apolog. Tatian. Euſb.*

(*e*) *Archael. Philoſ.* 1. 7.

(*f*) *Epiſt.* X.

III. *Antiquitas & nobilitas hebraicae sapientiae attentatae.*

Video vero, quid contra possit, & soleat dici. *a* primum non constare satis, aiunt, antiquissimam fuisse hebraeorum doctrinam, cuius primus ille magister Moses omni aegyptiorum sapientia, longe vel hoc solo nomine antiquiore, institutus fuisse dicatur. Deinde addunt, parum verosimile videri, ante mosaicos, nullos alios extitisse libros. An aegyptii sapientiam sine libris retinerent? at Augustinus negandum non esse dicit, iam tum libros fuisse chaldaeorum, vel aegyptiorum. Quid? quod Moses ipse alios libros laudaverit, *b* *Librum Foederis*, *Librum Bellorum Dei*, *Librum Legis Dei*? Age vero, aiunt, ante Mosen nulla fuerint scripta. quî fieri, quaeso, potuit, ut hebraeorum sapientia ad alios populos perveniret? quis philosophus peregrinator, quod Lactantius *c* miratur, hebraeos unquam adiit? quis ante Alexandrum Macedonem gentem novit hebraeorum? quis denique ante Ptolemaeum Philadelphum, cuius auctoritate facta est graeca sacra pagina, aut linguam didicerat, aut litteram unam legerat hebraeorum? Haec sunt, quae, iudice Marshamo, ut non probent, aliorum populorum doctrinam esse Mose antiquiorem, certe suadent, non esse a mosaicis fontibus derivatam.

IV. *Scripta mosaica, quantum superest librorum, antiquissima.*

At iamdiu est, cum obviam est itum Marshamo. Moses quidem est eruditus aegyptiis doctrinis. at ante Mosen erat hebraeis sua etiam institutio. in familia Abrahami divina quaedam prodita erat disciplina. fortasse per Abrahamum, fortasse per Iosephum Aegyptus ante fuerat erudita. Sed divinationem astrologis relinquamus. Illud constat, scripta Mosis salva non sine numine superesse, omnium, quotquot sunt, librorum, natum quantum est ubique scriptorum, antiquissima. Aegyptus laceras, & exiguas sapientiae reliquias vix male servat, aenigmata pauca, quae ne Oedipus quidem dissolvat. quare qui fortasse fuerint ante Pentateuchum libri, cum iam diu perierint, aetatis praerogativam mosaicae sapientiae non adimunt.

V. *Non liquet satis de praerogativa antiquissimorum scriptorum.*

Quamquam non paret satis, alios aetate Mosis extitisse libros. *Liber* enim *Foederis*, *Liber Legis* *non alii sunt ab Exodo*, vel *Deuteronomio*, Auctore Augustino. *d* *Liber Bellorum Domini* pugnas eruditis movet. *e* qui rem ita componunt, ut plerique librum non faciant Mose vetustiorem. Quid vero eruditissimo faciam Augustino? crediderim in hac parte Augustinum suspicione quadam, cui parum fideret, adductum fuisse: quem videam alio loco *f* praecise, restricteque dixisse, aegyptios eo Mosis tempore ne litteras quidem novisse. Mihi de antiquitate librorum non liquet satis. ampliandum censeo. nisi quod in hanc partem, nescio quo pacto, inclino & litteras, & libros aetate Moseos fuisse vetustiores.

VI. *Satis antiquis cognita natio hebraeorum.*

De obscuritate hebraeorum, quod causatur Marshamus, ante bella macedonum, videat, ne cui plus Tacito credidisse videatur, *g* a quo gens hebraea fuisse dicitur, *dum assyrios penes, medosque, & persas oriens fuit, despectissima pars servientium*; quam libris Regum, in quibus nobilissimum describitur hebraeorum imperium. An vero ante Alexandrum, non

(*a*) *Aug. XXVIII. D.C.D.XVII. & XVIII.*
(*b*) *Exod. 24. Num. 21. Deuter. 31.* (*c*) *Div. Inst. IV. c. 2.*
(*d*) *Aug. In Numer. Quaest. XLII.*
(*e*) *Consul. Alapides. Maluenda.*
(*f*) *D. C. D. XV* III.
(*g*) *Hist. V.*

non multos habuit Xerxes in exercitu, quem contra graecos duxit, iudaeos milites? quos enim alios describit Choerilus ille vetustissimus? *a*

τῶν δ᾽ οπιθεν διεβαινε γενος θαυμαστον ιδεσθαι,
γλωσσαν μεν Φοινισσαν απο στοματων αφιεντες,
ωκουν δ᾽ εν σολυμοις ορεσι, πλατεη παρα λιμνη.

Non alios quam iudaeos Eusebius *b* intellexit quidem certe. Quos, quaeso, indicat alios Homerus, Choerilo antiquior? *c*

τον δ, εκ αιθιοπων ανιων χρειων ενοσιχθων
τηλοθεν εκ σολυμων ορεων ειδεν.

quam Homeri de iudaeis mentionem ne Cor. quidem Tacitus iudaeis infidissimus tacitam tulit. *clara*, ait, *alii faciunt iudaeorum initia. Solymos carminibus Homeri celebratam gentem*, d *conditae urbi nomen Hierosolymam e suo fecisse.*

VII. *Sapientia hebraica graecis oraculis celebrata.*

At philosophi peregrinatores nunquam adiere iudaeos. Non constat adiisse; fateor: at constat auctoritate plurimorum scriptorum, *e* Pythagoram, atque Platonem ex iudaicis scriptis praestantissima quaeque eorum, quae sua venditant reperta, transtulisse. at constat, nobiles sapientiae laude, vel Apollinis geminato oraculo iudaeos habitos fuisse. quorum recitat Eusebius alterum *f*

μουνοι χαλδαιοι σοφιαν λαχον, ηδ᾽ αρ᾽ εβραιοι.

alterum ne Porphyrius quidem, ut multis habetur, desertor & iudaeorum, & christianorum tacet: *g*

πολλας και Φοινικες οδους μακαρων εδαησαν,
ασσυριοι, λυδοιτε, και εβραιων γενος ανδρων.

VIII. *Ante Alexandrum noti graecis hebraei.*

Quid illa, quae de Pythagora narrat Ambrosius, quae de Numa Clemens Alexandrinus litteris prodidit? quorum ille *h* scribit, *cum ex populo iudaeorum, ut plerique arbitrantur, genus Pythagoras deduxerit, ex eius disciplina derivant etiam magistri praecepta*; hic *i* una cum Eusebio vult, Numam ex Moseos scriptis eum cepisse fructum, ut nulla

(*a*) *Apud Euseb. P. E. L.* 10. *cap.* 9.
Traiicit inde hominum genus admirabile visu:
Phoenicum similis grandi sonat ore loquela:
Montibus in SOLYMIS habitant, iuxtaque paludem.

(*b*) *Ibi.*
Hunc vero ex Aethiopum terra rediens potens Neptunus
E longinquo ex SOLYMORUM montibis aspexit.

(*c*) *Odys. E.*

(*d*) *Lib. V.*

(*e*) *Con. Stanleius P. IV. P. VII. in Pythag. & Platon.*

(*f*) *Prae. Ev.* IV. 10.
Soli chaldaei sapientiam sortiti sunt, atque HEBRAEI.

(*g*) *Apud eumd. loc. cit.*
Plurima quin etiam ad superas via cognita sedes
Phoenici, assyrio, lydo HEBRAEOque colono.

(*h*) *Strom.* I.

(*i*) *Ev. lib.* IX.

la *a* romanis deorum simulacra effingenda iudicarit. Quae testimonia, si rem ipsam parum convincunt, at ostendunt satis, ante macedonicum imperium & nomen, & sapientiam, & scripta hebraica non alias latuisse nationes. At enim ante Ptolemaeum Philadelphum nulla erat sacri codicis graeca interpretatio. Non ita quidem opinantur Aristobulus, *b* Clemens Alexandrinus, *c* & Eusebius, qui ante LXX. interpretes illos, interpretationem aliam fuisse consentiunt graecam, neque valde copiosam, neque correctam satis: quam significasse volunt Demetrium Phalereum in iis litteris, quas de sacra pagina graeca facienda scripsit ad Ptolemaeum Philadelphum. *d* Sed ne fuerit vetustior interpretatio. quid? hebraei poterant graece, graeci poterant hebraice didicisse? unde nobis constat non didicisse? *e*

IX.
Iudicio christianorum philosophorum graeci e fontibus hebraicis sua prata rigarunt.

Imo vero si iis assentiendum Patribus *f* a nobis est, qui primi in Ecclesia seculo post C. N. secundo philosophiae operam navarunt; nullus erit relictus dubitandi locus, quin rumor cuiuimodi, ac notitia sacrorum scriptorum ad ethnicos philosophos pervenerit. erant enim in ea sententia Clemens Alexandrinus, Origenes, Lactantius, Hieronymus, aliique christiani philosophi clarissimi, Ecclesiam iudicium habere legitimum adversus ethnicos sapientes de decretis, ratisque sententis repetundis, quas illi malae fidei possessores ereptas ab hebraeis fecissent suas. quae caussa fuisse dicitur etiam a Iacobo Bruckero, in alia omnia manibus pedibusque abeunti, *g* quare eclecticam atque promiscuam fecerint Patres II. seculi philosophiam christianam.

Quamquam autem nos rem totam ordine dicemus, & loco; tamen nobis imperare vix possumus, quin indicium iam nunc philosophiae graecanicae ab hebraeis derivatae faciamus. Non dicam cum Lactantio, *totam igi-*

E tur

(*a*) *Ap. Eu. P. E.* XIII.

(*b*) *Loc. cit.* (*c*) *Strom.* V.

(*d*) *Viden. Ios. Iud. Ant.* XII. *c.* 3.

(*e*) *Augustinus Magnus ille Parens l.* VIII. *D. C. Dei. c.*10. cum eam sibi proposuisset quaestionem: *unde Plato istam intelligentiam potuerit acquirere, qua christianae scientiae propinquavit*, ita in hanc sententiam ipse sibi respondet: *Platonem forte per interpretationem, non versionem quidem legis, accepisse: quod solus Ptolemaeus pro ingenti beneficio, qui regia etiam potestate timeri poterat, vix meruerit: COLLOQUENDO tamen, quid contineret, quantum capere potuisset, addidicisse.*

(*f*) Apud Euseb. l. XIII. c. IX. habet Aristobulus. *Satis constat legum nostrarum instituta secutum esse Platonem, & singula eorum capita diligenter & studiose perlegisse. Nam etiam ANTE Demetrium illum Phalereum, atque ob eam rem ANTE Alexandri ac persarum imperium, ea iam omnia GRAECE ab aliis CONVERSA fuerant.. ut nemini dubium esse possit, quin suos in libros laudatus ille philosophus pleraque derivarit.* Et locus quidem non patitur, ut de Interpretatione LXXvirali in historia philosophiae disceptatio suscipiatur. hoc unum addo, *Bellarmino, Possevino, Gretsero, Serario e S. I.* Rugerio *De Lib. Canonicis c.* 36. eam Aristobuli sententiam non improbari; at scriptoribus istis reformatae fidei *Scaligero, Iunio, Hedio, Waltono* non placere tam antiquam interpretationem. *Vid. Iacob. Lelongius Bibliot. Sacra. T. I. pag.* 133.

(*g*) *Tom.* III. *pag.* 136.

X.
Testificatio christianorum philosopho-rum.

tur a veritatem, & omne divinae religionis arcanum philosophi attigerunt, quod quî fieri potuerit non lectis iudaeorum libris, aut non auditis iudaeis, equidem non video. Non dicam cum Minucio Felice, *b* expositis opinionibus omnium philosophorum, posse quemvis arbitrari, *aut nunc christianos philosophos esse, aut philosophos fuisse iam tunc christianos.* quae tanta & philosophorum, & christianorum consensio vel nulla fuit, vel ab eadem sacrarum tabularum auctoritate profecta fuerit. Non dicam cum Tatiano, *c* quem sequuntur auctorem PP. bene multi in ea sententia, graecos philosophos a barbaris sapientiam accepisse.

XI.
Clementis Alexandrini classicum testimonium.

Unum adducam Clementis Alexandrini testimonium, *d* quo aperte docet, furatos fuisse graecos a barbaris philosophiam. *graeci*, ait, *alia quidem sunt suffurati, alia vero male audierunt.* Longa est Clementis oratio, quam qui volet audire totam, is profecto intelliget, fieri non potuisse, quin & scripta hebraica, quod ego non possum non suspicari, & verba audierint Graeciae sapientes, per quos in philosophia profecerint. Equidem malui in tota hac sacra philosophiae parte, nunc in ipsa etiam libri clausula malo, cum bonis pie; quam cum criticis istis si non impie, at nimis severe consentire. Quae de sectis iudaeorum feruntur, non sunt huius loci. non enim sunt in sacra philosophia numerandae, quippe quae vel Orientis errores, vel ritus novos, vel graecum sibi pallium adoptaverint. de quibus alio a nobis loco dicetur.

BAR-

(*a*) *L.* VII. *cap.* VII.
(*b*) *In Octavio cap.* XX.
(*c*) *Vid. Orig. Cont. Cel. I. Hieronymus D. S. Ec.* 29. *Eusebius H. Ec. l.* IV. 16.
(*d*) *Strom. l.* VI.

BARTHOLOMAEI POVII E SOCIETATE IESU INSTITUTIONUM HISTORIAE PHILOSOPHICAE

LIBER III.

DE PHILOSOPHIA BARBARICA.

CAP. I. *ORTUS philosophiae barbaricae.*

QUi ſingulas ſoliti ſunt litterulas in ſcriptis ſuis faſtidioſe perſequi, ii ſine me rivali quaerant otioſius, unde ducta ſit *barbarorum* appellatio. *a* Ego enim ad rem ipſam propero, quam non ſine faſtu, contemptuque exterarum nationum, eo nomine graeci ſignificarent, qui communi populorum eruditorum vitio, cum ipſi in ſe gauderent maxime, cum ſeſe arrogantius mirarentur, cum alibi nuſquam putarent provenire poſſe ſapientiam; quicumque graeci non eſſent, eos omnes imperitos, barbaroſque nominabant. *b* quod ipſum hodie dum accidere iis Europae nationibus, apud quas fervet opus ſapientiae, & variae eruditionis, nemo eſt, qui non in earum ſcriptis animadverterit. *c* ut qui olim veluti nota propria barbari

PROP. I. *Graeci exteros vocabant barbaros.*

a

(*a*) *Conſulendi Iſaacus Beauſobriùs Hiſt. du Manicheiſme p.* II. *L.* I. *cap.* 2. *Scaliger Exercit.* LI. *contra Cardanum. Faber. Cellarius. Voſius. Etymolographi. Lexicographi.*

(*b*) *Strabo L.* XIV. & *Herodotus l.* II. docet, graecos uſum vocis ab aegyptiis accepiſſe. *Barbaros*, ait, *vocant aegyptii omnes, qui non ipſorum lingua utuntur.* Vid. Emmanuel Alvarus alpha grammaticorum.

(*c*) *Heumanus Conſp. Reip. Lit.* p. 200. in notis *Quanta*, ait, *ingeniorum Hiſpaniae ſit hodie babaries* cet. *Conſulenda oratio edita in Ludis apud Academiam Cervarienſem ann.* MDCCLVII.

a graecis, romanisque vocabantur, illi ipsi barbaros nunc omnes alios appellent. Itaque philosophi barbari nomine quidem tenus, ii sunt appellati, qui apud chaldaeos, persas, indos, aegyptios, phoenicas, arabas, aethiopas, scythas, gallos, hispanos, romanosque veteres fuerunt philosophati. de quibus hoc libro dicemus singulatim, si de origine omnis sapientiae barbaricae pauca prius dixerimus. Primum res ipsa clamat, a Noëmo rivos omnes esse tanquam a capite repetendos omnis & sacrae, & profanae sapientiae. quibus autem vestigiis ad hunc veluti philosophiae fontem duceremur, cum libro superiore monstraverimus; hoc loco ea non relegemus. De *noachidarum* philosophia (liceat a rabbinis, qui omnes, quotquot hebraei non fuerant, vocabant *noachidas*, vocem sine usura sumere mutuam.) qualis initio fuerit, quaerere pergamus.

II. *Apud primaevos noachidas non desiderata philosophia*

Equidem existimo nunquam apud noachidas omnino desideratam, sed traditione quadam fuisse potius propagatam philosophiam. Non utar multorum testimoniis, qui primis post diluvium seculis suos tribuant philosophos. non dicam cum Scipione Sgambato, *d* primum omnium Zoroastrem fuisse Chamum, ex cuius institutione sit ad chaldaeos, persas, aegyptiosque derivata philosophia. non assentiar Borrichio; *e* chemiam & cultam, & appellatam, & disseminatam a Chamo fuisse. non audiam Ioannem Casšianum, *f* a Chamo superstitionem, magiamque nefariam deducentem. non credam haeretico Isidoro, *g* Pherecydem immortalitatem animorum a Chamo didicisse. Hos ego potius sequerer coniectores, quam testes. heic enim coniectura magnam probabilitatem; testimonium ex tanto seculorum intervallo vix fidem habeat exiguam.

III. *In causa ultimae antiquitatis coniecturis etiam utendum.*

Ego vero hoc loco, ut de origine statuam barbaricae philosophiae, eos mihi propono imitandos polyhistoras, qui, cum antiquitatem ultimam ingenio, ac diligentia superaturos se confidant; ibi maxime verba faciunt, ubi maxime rerum gestarum memoria coepit eos deficere. saepe enim cum eo ventum est, ubi prorsus tacent annales, ubi deleta vestigia, ubi nuda nomina servant; operae pretium est videre, quam illi perite, quid fieri oportuerit, coniiciant; quam critice, quid etiam factum fuerit, pronuntient. Qua quidem in re tenere modum, multorum exemplis, qui antiquitatis cognitionem auguralem quamdam fecerunt disciplinam, quam non sit facile, intelligo. at si teneatur modus, profecto non video, quamobrem non sit optandum, ubi antiquorum fide nescias, quid acciderit; tum iuniorum prudenti quadam divinatione coniicere, quid sit probabilius accidisse. Ergo hanc veniam mihi pudenter sumo, & duabus coniecturis cum religione, tum etiam politia philosophos antiquissimos facio *noachidas*.

Ac de religione noachidarum cum loquor, velim, ne quis philosophiam, ac veritatem in prima fronte locatam, sed in profundo potius tur-

(*d*) *In Arch. V. T. Kirkerius in Arca Noe. Clericus Histoire de la Medicina. Clemens Romanus Recognitionum l.* IV. *c.* XXI. siquidem sint Clementis Recognitiones.

(*e*) *De Origine Artis Chemicae. p.* 16. *Hornius H. Phi.* III. 5.

(*f*) L. VIII. *Collat. c.* XXI. *Col. Sereni Abbatis.*

(*g*) *Consul. Clem. Alex. Strom.* VI.

turbidae, obscurataeque religionis demersam, mecum requirat. Nulla gens tota, nulla natio fuit, quae Deum esse negaret. *omnes esse vim*, h *& naturam divinam* sunt arbitrati. quam ego consensionem legem esse naturae, non equidem nego. illud addo, fuisse quoddam tempus, cum primi omnium terrarum, locorumque coloni notitiam, cognitionemque Dei communi quadam institutione audirent. tum credo, cum primis a diluvio seculis nondum essent noachidae in omnes terrarum tractus dissipati. Quo quidem illi tempore & aras Deo dicabant, & in aris sacrificia faciebant, & frugum primitias libabant, & decumas dare Deo consueverant, & foedera in maxima quaque re sancire, interposita Numinis auctoritate. Nihil est opus rem pluribus confirmare, cuius pleni sunt mosaici libri. *i*

IV. *In religione noachidarum coniectura quaedam philosophiae.*

Illud erit satius, noachidas antiquissimos cum plerisque nobilium philosophorum brevi conferre. Illi Deum unum prius, quam primaeva religio & levitate vulgi, & poëtarum mendacio, & morum perversitate degeneraret, religiose colebant; quod in Melchisedecho, in Iobo, in priscis seris, in aliis multis intelligi licet: *k* hi deorum numerum auctore, & iudice populo auctum philosophica sententia *l* confirmabant. illi tam ample, tamque magnifice de maiestate Dei sentiebant, ut Deo & mundi fabricam, & rerum omnium procurationem, & ius summum imperii tribuerent: *m* hi partim negabant, mundum effectum a Deo, *n* partim Dei providentiam labefactabant, *o* partim fato Dei arbitrium constringebant. *p* Quid plura? cum multi philosophi sese supra Iovem efferrent, *q* multi de humani generis conditione, de societate, de fine bonorum, malorumque cimmerias tenebras palparent; illi antiquissimi mortales &, effundendo victimarum sanguine pro suo, reos se mortis Deo profitebantur; & communione sacrificii publici humanae naturae societatem, cognationemque testabantur; & religione sepulcrorum superesse animos declarabant, qui vel beati essent, vel miseri pro meritis futuri. *r*

V. *Noachidae longe sapientiores nobilissimis Graeciae philosophis.*

Quin tu vero, dicat secum aliquis, noachidas non ex religione, quae in aniculis etiam deliris summa esse solet, sed ex naturae cognitione, si potes, (vereor enim, ut possis) ex ipsa philosophia philosophos facis? Equidem non dubito, quin multi sint ita mecum acturi tacitis animi

(*h*) *Tull. vid. T. Q.* I.

(*i*) Sacrificia, aras, victimas, decumas in usu fuisse primis illis temporibus, apparet ex Noemi sacrificiis, ex sacerdotio Melchisedechi, ex Iobi libro, ex singulis fere paginis Pentateuchi.

(*k*) Praeter illos, quos sacra pagina indicat recte de Deo sentientes non hebraeos, praeter sinenses vetustissimos, quos non fuisse idololatras ostendunt *Duhaldius*, *Trigaultius*, *Iuventius*: docet *Eusebius l.* IV. *P. Evang.* recte chaldaeos primitus de Deo sensisse. *Vid. Diod. l.* II.

(*l*) *Consul. Huet. Dem. Eva. P.* IV. *c. X. Vossius De Theologia Gentil.*

(*m*) *Cons. Plucheus Spect. Nat. T.* XV. *hisp. inter. f.* 130.

(*n*) *Vid. Gas. Epic. Philos. T.* I. *p.* 367.

(*o*) *Idem p.* 374.

(*p*) *Idem. T.* II. *p.* 227.

(*q*) *Iust. Lipsius Man. l.* III. *Dis.* XIV.

(*r*) *Plucheus l. cit.*

VI.
Notata impietas nonnullorum philosophatorum.

mi cogitationibus. res est enim turpissima dictu. Equidem video, doleoque vehementer, hoc tempore mirum in modum placere multis impiam quandam sine Deo philosophiam; neque aliam ego causam quaero potiorem, cur tantopere colatur atomus Epicuri: ut etiam nunc valde sit ea probabilis argumentatio, quae olim Tullio (s) probabilitatis dabat exemplum: *qui philosophiae dant operam*, plerosque e septemtrione *non arbitrari Deum esse*. Quid ergo? qui parentem rerum omnium Deum, qui mundi artificem, & conditorem, qui fontem totius sapientiae, & viderint ingeniose, & studiose coluerint noachidae; hi superstitiosi, hi deliri, hi fanatici sint habendi? at epicurei, qui Deum e mundo sublatum in intermundiis otiosum esse iusserint, sapientes, eruditi, philosophi nominandi?

VII.
Verosimile est, derivatam a religione philosophiam inter noachidas.

Age porro, ne quis simplicem, & stolidam cognitionem noachidarum, philosophoque faciat indignam; cui, quaeso, verosimile fiat, cum tantopere res divinas, quae sub sensus non cadunt, a se cognitas, cultasque vellent, eosdem nullos habuisse oculos, quibus coelum, terras, maria, naturasque reliquarum rerum perspicerent? eosdem rationem non habuisse a natura datam, mentemque & acrem, & vigentem celerrimeque multa simul agitantem, &, ut ita dicam, sagacem, quae & causas rerum, & consecutiones videret? Credo hoc mihi licebit defensionis genere uti in causa noachidarum, quo usus fuerit Olearius (t) in causa phoeniciae philosophiae.

VIII.
In politia noachidarum coniectura quaedam philosophiae.

Sed ad politiam, coniecturam alteram, venio, quam ego feci de noachidarum philosophia. Illa ergo prudentia in civitatibus condendis, constituendis, moderandis, mihi monstrat perspicue primaevam mortalium de rebus humanis cognitionem, quam ego maxime vocabo cum Tullio philosophiam. Is enim cum eodem respiceret, *o vitae philosophia dux*, ait, *quid vita hominum sine te esse potuisset? tu urbes peperisti, tu dissipatos homines in societatem vitae convocasti. tu eos inter se primo domiciliis, deinde coniugiis, tum litterarum, & vocum communione iunxisti. tu inventrix legum, tu magistra morum, & disciplinae fuisti.* (u)

IX.
Antiquissima noachidarum πολιτικη index sapientiae.

Mirabuntur alii, qui post diluvium fieri potuerit tam exiguo aetatis intervallo, ut Belus imperium assyrium, Menes Aegypti dynastias, Aegialeus regnum sycionium, alias alii ductores constituerint civitates. nec immerito illi quidem mirabuntur, tantam esse, tamque recentem a diluvio tantarum civitatum antiquitatem. (x) Ego vero potius mirarer, eos homines sine rerum divinarum exquisita quadam cognitione, sine intima iuris, societatisque humanae notitia in civitates, optimis legibus, atque institutis in longissimum aetatis tempus temperatas, convenire potuisse. Itaque illi sua quisque in gente cultores philosophiae exotericae, quos singulos iam persequemur, non tam mihi repertores fuisse, quam vel reparatores, vel propagatores nobiles videri solent sapientiae. Sed satis coniecturis datum est, historiam ex aliena fide chaldaicae philosophiae pertexamus.

In

(s) L. I. De Inv. Rhet.
(t) Dissert. II. apud Stanl. P. IX. c. VI.
(u) Tus. Qu. L. V.
(x) Eusebius in Chron. Petavius Userius. Cellarius.

CAP. II. *CHALDAICA philoſophia*

PROP. I. *Zoroaſter auctor philoſophiae chaldaicae vulgo habetur.*

In tanta vero antiquitate ſapientiae chaldaicae, quam omnium maximam antiqui faciunt hiſtorici, *a* nemo mirabitur, ſi auctor illius iaceat dubitationum tenebris obmerſus. Is Zoroaſter fuiſſe dicitur. de quo tam multa, tamque pugnantia inter ſe traduntur, ut illa vel diiudicare, vel exponere, vel meminiſſe, *maioris ſit operae, quam pretii*: quod eſt ſcite dictum a Fabricio. *b* quaecumque enim de Zoroaſtre ſciri, aut intelligi poſſent, de iis omnibus magno conatu dubitatum fuit his, quibus licuit eſſe in re deſperata curioſis, Franciſco Patricio, *c* Henrico Urſino, *d* Thomae Hydeo. *e* Dubitant, quae ſit nominis poteſtas; quod alius convertit ſacerdotem aſtrorum, *f* alius contemplatorem ſiderum, alius *amicum ignis*, alius *aurum obryzum*. omnes autem quid convertant, eos ſane neſcire crediderim. Dubitant, quot fuerint Zoroaſtres. non enim conſtare, ait Plinius, *unus* g *Zoroaſtres fuerit, an poſtea & alius.* certe plures numerat Arnobius, *h* cuius verba hominis vitio familiari paulo obſcuriora, eo diduxerunt noviores polyhiſtoras, ut incertus unus Zoroaſter & conduplicaret, & triplicaret, & quadruplicaret. *i*

II. *Zoroaſter non Chamus, non Nemrodus, non Meſraimus, non alius e ſacra pagina heros.*

Itaque cum haec Zoroaſtris ſive perſona, ſive pallium tam multis aptetur philoſophis, merito dubitatum eſt, eccuis ſub Zoroaſtre lateat. Clemens enim Romanus, *k* ſive quiſquis ille ſit ſcriptor *Recognitionum*, Zoroaſtrem facit Chamum Noëmi filium, cui conſentiunt viri duo e Soc. Ieſ. inſignes Athanaſius Kirkerius, *l* & Scipio Sgambatus. *m* Multi vero veteres Eccleſiae doctores, *n* Zoroaſtrem fuiſſe putant vel Nemrodum, vel Meſraimum, in hiſtoria ſacra nominatos. Huetius denique exiſtimat, *o* ita eſſe fictam Zoroaſtris perſonam, ut ſub illa Moſes ille deliteſcat, in quem unum confert, quidquid in hiſtoria profana magnorum virorum reperit Huetius. Atqui ego vereor, nequis in hos ſcriptores, & quaſi Zoroaſtris artifices, idem illud retorqueat, quod Lactantius

(*a*) *Diodor. Siculus lib.* II. *Biblio. Lact. Inſt. Div. lib.* VII. *cap.* XI. *Cicero De Div. lib.* I. *Porphyri. apud Simplicium Comm. in lib.* II. *Ariſt. de Coelo. Ptolemaeus lib.* IV. *cap.* VI. *Plinius lib.* VIII.

(*b*) *Fab. Cod. Pſeudep. V. T. T. I. pag.* 344.

(*c*) *Patric. Diſſert. de Zoroaſtre, praeſcripta Oraculis.*

(*d*) *Urſinus De Zoroaſtre, Hermete Triſmegiſto, & Sanchuniatone.*

(*e*) *Thomas Hydeus Hiſt. Relig. Vet. Perſarum.*

(*f*) *Dino, & Hermodorus apud Laert. lib.* I.

(*g*) *Plinius lib.* XXX. *cap.* I.

(*h*) *Adver. Gent. lib.* I. *locus ex editione Canteri hic eſt: Age nunc veniat, qui ſuper igneam Zonam, magus interiore ab orbe Zoroaſtres, Hermippo ut aſſentiamur auctori. Bactrianus & ille conveniat, cuius Cteſias res geſtas hiſtoriarum exponit in primo; Armenius Heſthanis nepos, & familiaris Pamphilus Cyri.*

(*i*) Zoroaſtres tuetur tres *Naudaeus c.* VIII. *Apologie pour les grands hommes accuſes de Magie*: duos tuetur *Salmaſius Exercit. Plinian. pag.* 855. duos tuetur *Urſinus loco cit.*

(*k*) *Recognit. Lib.* IV. *c.* XXV. *& Fab. Cod. Pſeudep. V. T. T.* I. *pag.* 229 *alios memorat conſentientes.*

(*l*) *In Arca Noe.*

(*m*) *In Archiv. Vet. Teſt.*

(*n*) *Vid. Huet. Dem. Evan. Prop.* IV. *cap.* V. *& Fabr. Bib. Graec. Vol.* I. *p.* 243.

(*o*) *Loc. cit.*

tius in chaldaeos contorsit, quia in Zoroastre reformando *se non poss arguì putaverint*, *liberum sibi credidisse*, non mentiri quidem, quo nihil est ab ipsorum gravitate alienius, sed certe libere fabulari. Nullum enim monumentum est, quod Zoroastrem nobis vel Chamum, vel Nemrodum, vel Mesraimum, vel Assurem, *p* vel Abrahamum, vel Balaamum, *q* vel Mithram, vel Osiridem *r* exhibeat.

III.
Bini fuisse videntur Zoroastres.

Iam in quo alios accuso, ne maxime ipse videar accusandus, si historiam philosophiae auguralem faciam disciplinam; non ausim sane de Zoroastre iudicare. nihil autem magnopere repugnabo, siquis duos Zoroastres fecerit: alterum vetustiorem apud babylonios, qui auctor astrologiae, magiaeque fuerit: alterum persam iuniorem, qui religionem magorum, rege Dario Hystaspe, correxerit. Quod ego ipsum sententia mea comprobarem, si arabes historici didicissent, non mentiri. arabes enim Abulpharaius, *ſ* & Elmacinus, *t* qui portenta narrant de Zoroastre, Zoroastres duos dignoscere videntur. *u* Et vero tanta est rerum gestarum copia, quam de Zoroastre referunt antiqui scriptores, ut magnifice possit utrumque Zoroastrem exornare, si ex aequo, & bono inter duos dividatur. Bruckerus mihi arbiter in ea partitione fuisse bonus videtur. *x* is aeque multa utrique dedit. Zoroastrem antiquiorem eum esse docet, quem Plinius *z* scribat, quo natus sit, eodem risisse die, illiusque cerebrum magiae destinatum palpitasse; quem usum praeceptore Azonace, magiam didicisse; magum eremitam in altissimis montibus meditationis, & observationis causa viginti annos solo caseo victitasse; superos, ut igne coelesti conflagraret, rogasse; cineresque suos, aeternum imperii babylonii praesidium, siquidem tuto asservarentur, civibus suis commendasse. Alia multa, si tanti est, *e* alii dabunt. nos pauca mox de iuniore Zoroastre.

IV.
Zoroastris philosophia magica.

At qua Zoroaster arte confideret, docet Plinius, *a* ut alios complures taceam, eum magiam fuisse professum. Rursus hariolationes de Zoroastris magia. sunt, qui *b* contendant, eam fuisse goetiam, sive cum malo doemone initam societatem. sunt, qui velint, *c* fuisse cultum divinum. sunt, qui utramque rem in Zoroastris professione contentam fuisse existiment. *d* Non temere ultimae antiquitati sine testibus legitimis quicquam tribuendum. neque vero si apud assyrios, consecutis deinceps temporibus magia simul theurgica, simul goetica fuerit, continuo eiusmodi fuisse Zoroastris magia, erit existimanda. Quod si Her-

mip-

(*p*) *Fabr. loc. cit.* memorat, qui Zoroastrem fecerint Assurem, qui Abrahamum, qui Eliae, qui Ieremiae, qui Esdrae servum.

(*q*) *Georg. Hornius* Zoroastrem facit Balaamum lib. II. cap. VI.

(*r*) *Atha. Kirker. Oedip. Aeg. pag.* 216.

(*ſ*) *Apud Herbelot. Bibliot. Ori. p.* 931.

(*t*) *Apud Stanleium.*

(*u*) *Vid. Eutychius In Annal. T.* I. *p.* 63. & 263.

(*x*) *Tom.* I. *p.* 123. *Lipsiae* MDCCXLII.

(*z*) *Plinius lib.* VIII. *c.* 16. & *lib.* XXX. *c.* I. & *lib.* XI. *cap.* 42. *Iustinus lib.* I. *cap.* 2. *Plato in Alcibiade* I. *Chrys. De S. Babyla Mart. Clemens Rom. lib.* IV. *cap.* 27.

(*a*) *L. c.* (*b*) *Vid. Ursi. l. c.*

(*c*) *Naudaeus loc. cit.*

(*d*) *Marsilius Ficinus in Arg. Cratyli.* & *Bruckerus.*

mippi Smyrnaei nobis reliqua essent scripta, qui *libro* περι μαγων *diligentissime de tota arte magica* scripsit, & *e vicies centum millia versuum a Zoroastre condita, indicibus quoque voluminum eius positis*, complanavit; facile cuiusmodi fuisset Zoroastris magia diiudicaremus. quamquam ne tum quidem sine errandi periculo, nisi Hermippus evinceret prius, Zoroastris antiquioris esse versus illos proprios, iudicium facere possemus. sed praestat omnino non iudicare de Zoroastre.

V.
Belus quidam babylonius philosophus fuit. quis fuerit, incertum.

Alter est antiquis proditus astrologus, sive chaldaeus sapiens, Belus. de quo cum multa sint *f* dicta, vix est, quod prudenter dicere possis. Primum enim movent Belo vel de nomine ipso litem, non unius fuisse proprium. multi enim sunt apud antiquos *g* Beli appellati. Deinde quae gesta sint Beli astrologi, incertum. quamvis enim illa narret Diodorus, Belum Neptuni, Lybiaeque filium ex Aegypto coloniam deduxisse Babylona, sacerdotes chaldaeos muneribus publicis ali solitos, more aegyptiorum, qui physici, & astrologi essent, instituisse; filiamque Semiramin Belo patri Babylone templum extruxisse; tamen nihil est, cur ea omnia rata, ac firma habeamus. qui ita narrat Diodorus, caussam agere videtur aegyptiorum, qui commenta multa fingebant, ut sese omnium mortalium facerent antiquissimos. *h* Certe cum tanta sit antiquorum scriptorum consensio de Belo quodam apud chaldaeos sapiente; hac quidem tenus affirmari potest, fuisse Belum sapientem; qualis vero, aut quis ille Belus fuerit, non modo non affirmari, sed ne suspicari quidem potest.

VI.
Berosus chaldaeus Alexandri aetate vixit.

Tertius chaldaeorum sapiens Berosus, antiquis ille quidem satis celebratus, novis vero parum est etiam notus. quasi fato quodam totius nationis, incertam omnis habeat chaldaeus historiam. Gerard. Ioan. Vossius, *i* testimonio usus Tatiani, *k* Berosum vixisse opinatur, rege Ptolemaeo Philadelpho. cui tota natio horum criticorum, qui luxatam antiquitatem restituere se profitentur, magnopere repugnat. fuisse Berosum aetate Alexandri Macedonis, aiunt, ipsum etiam Tatianum eodem illo parum sano testimonio, *Berosum l Alexandri tempore vixisse*, aperte dicere: Berosum ipsum, se circa Alexandri tempora floruisse, apud Syncellum scribere. *m* Certiora narrat de Beroso Vitruvius, in insula Coo docuisse graecas disciplinas chaldaeorum, magnisque honoribus a graecis fuisse amplificatum. Edidit Berosus Historiam rerum chaldaicarum, quam ille Annius Viterbensis suppositam fraude mala publicavit. Mitto alios magos philosophatores, Teucrum Babylonium, Cidenum, Naburianum, Sudinum, Seleucum, Ziratum, sive Nazaratum assyrium. quos nemo de nomine satis bene novit.

F Apud

(*e*) *Plinius loc. cit.*

(*f*) *Vid. Diodor. lib.* I. & *lib.* II. *Plinius lib.* IV. 26.

(*g*) *Solinus in Polyh. cap. ult.*

(*h*) *Conf. Pompon. Mela de Situ Or. lib. I. cap.* 9. *Plinius lib.* VI. *c.* IX. *Ursinus loc. cit. Perizonius Orig. Babylon. cap.* V.

(*i*) *De Hist. Graecis lib.* I. *cap.* XIII.

(*k*) *Ad. Graec. c.* LVIII. *edidit. Paris.*

(*l*) Eodem loco *Tatianus* habet.

(*m*) *In Chro. pag.* 14. *Suidas Brukerus alii.*

CAP. III. *PERSICA philosophia.*

PROP. I. *Zerdushtii philosophiae persicae auctoris dubiae res.*

Apud persas etiam philosophatum est, si cum arabas, tum vero Thomam Hydeum *a* britannum, rerum persicarum peritissimum, audiamus. quibus tamen auctoribus tanto ex intervallo de philosophia persarum testificantibus, monumentaque parum vel genuina, vel sincera secutis, quatenus sit fidendum, iudicio sapientum relinquimus: certe illorum fidem non praestamus. Persicae sapientiae Zerdushtius auctor. De Zerdushtio & multa, & mira feruntur. primum omnium nomen *b* valde ambigue effertur, cuius ea est Hydeo interpretatio, *c* ut Zerdushtius sit *ignis amicus*. Deinde aetas hominis non satis est definita. *d* quamquam aliquid dicere de illa ii videntur, *e* qui Dario Hystaspe rege, vixisse Zerdushtium coniiciunt. Quid de vita tota? aliis *f* medopersa, aliis sina, *g* aliis medus, *h* aliis *franco* patre natus, fuisse dicitur. *i* prodigia diei natali, *k* institutionem primae aetati nobilem, *l* adolescentiae israelitam magistrum, *m* familiaritatem unius alicuius prophetae, *n* ambitiose arabes Zerdushtio conquirunt. Nec sane mirum. fingendus enim his est insignis quidam magus, & astrologus.

II. *Zerdushtius ementitus auspicia, volente Hystaspe, magorum religionem reformandam aggreditur.*

Ut vero in Zerdushtio egregius appareat seductor, dignissimusque magorum reformator, eadem tela arabibus constanter texitur. iam adoleverat magus, praestigiasque multas *o* didicerat, ignem illaesa manu tenuerat, *p* supinus dipondium liquefacti aeris in sinum infusi sine malo receperat. Auctoritatem, & veluti auspicia divina, ut secum deferret, in montem secessit. *q* ibi duodecim volumina tantae molis in coriis taurinis scripsit, ut singula vix multi ferrent boves: quasi Entelli more pugnaturus, pro caestibus libros proiecisset, in quibus

tantorum ingentia septem
Terga boum plumbo insuto, ferroque rigebant.

Iam res inibi erat, ut Zerdushtius posset non sine colore veritatis auspicia divina mentiri. mentitus est ergo, secum e flamma sacra collocutum Deum. se reparatorem antiquae religionis Dei iussu adesse (obsoleverat enim prisca magorum religio offensione publica illorum, qui sibi imperium, Cambyse mortuo, malis artibus vindicaverant; passimque apud persas astrolatria vigebat, quippe cui serviret Darius rex.) Cum Hystaspem Darii patrem, avitae religionis cultorem, convenisset, facile se illi probavit Dei nuntium, totamque reformatam doctrinam persis, patriae institutionis cupidissimis, persuasit. Aggrediendus erat illi Darius, qui novae

(*a*) *Thom. Hide de Veteri Religione Persarum.*

(*b*) Nomen efferunt multifariam Arabes *Zerdusht. Zaradusst.*

(*c*) *Videndi Herbelot. Bib. Ori. p. 16. Hyde loc. cit. cap. 24.*

(*d*) Sunt qui unum, & eundem faciant *Zoroastrem antiquiorem, & Zerdusthtium. vidend. Hide.*

(*e*) *Cons. Agathias lib.* II. *Huetius De. Ev. Pro.* IV. *cap.* 5. *Hyde loc. cit. pag.* 298.

(*f*) *Clemens Alex. Strom. l.* VII. *Suidas* V. *Zoroastres.*

(*g*) *Huetius loc. cit.*

(*h*) *Hyd. l. c.* (*i*) *Huet. l. c.*

(*k*) *Hyde l. c.* (*l*) *Hyd. l. c.*

(*m*) *Hyd. loc. cit.*

(*n*) *Propheta Zerdushtii alius est aliis, vel Elias, vel Ieremias, vel Esdras. Vid. Hydeus ibidem.*

(*o*) *Hyd. loc. cit.*

(*p*) *Hyd. loc. cit.*

(*q*) *Hyd. p.* 319.

novae reformationi obſtabat. ſed audaci, praefidentique mago nihil arduum videbatur. Darius Zerdushtii captus praeſtigiis, novam theologiam, contra ſabaeis nitentibus, ſententia ſua comprobavit.

III. *Dubia Zerdushtii ſcripta ZENDAVESTA, & SADDER.*

Iam ſua ſunt ſcripta Zerdushtio, ſive Zoroaſtri, ſi titulos ſequimur. Perſae enim etiam nunc tanto in honore, ac prope dicam religione, habent Zerdushtii librum illum ſacrum *Zendaveſta*, quanto *r* nos chriſtiani noſtra Biblia. Hydeus, quam *Zendaveſtae* editionem, atque interpretationem promiſerat, praeſtare, morte prohibente, non potuit. Liber complecti dicitur & ſacrorum caeremonias, & vitae diſciplinam. cuius compendium continet minor ille alius liber *Sad-der*, e quo ſummam quandam vulgavit Hydeus. Non cupimus laureolam e muſtaceo petere; nec in re facili critices famam aucupamur. quam ſit antiquus liber *Zendaveſta*, quam ſit genuinus, diſputabunt Hydeus, Fabricius, *ſ* Huetius. *t* ego cum Democrito veritatem in profundo non video demerſam.

IV. *Suppoſita Zerdushtii ſcripta memorata*

Quid ergo, dicat aliquis, nihilne ſcripſit Zerdushtius? imo vero ſcripſiſſe, clamat antiquitas: quae nunc ſcripta Zoroaſtri perſae tribuuntur, zoroaſtrea non eſſe, clamat criticorum hominum natio. Plinius quidem Hermippo auctore, *u vicies centum millia verſuum a Zoroaſtre condita* ſcribit. Euſebius *x* meminit *ſacrae collectionis perſicorum.* quae ſacra collectio Zoroaſtris fortaſſe fuerit monumentum. Porphyrius *z* memorat *Apocalypſes* Zoroaſtris, quas habere ſe gnoſtici iactabant. ad extremum *Oracula Zoroaſtris* in omnium manibus ſunt. *y* quae tamen omnia monumenta criticorum cenſuram paſſa ſunt, *a* quam alii decies repetent. Atqui ego non ita me profitear cenſorem ſeverum. crediderim in iis, quae reliqua ſunt, oraculis latere fragmenta vel Zoroaſtris, *b* vel certe magorum a Zoroaſtre, *c* quae ſi maxime ſint a platonicis interpolata, *d* non tamen exiſtimem fuiſſe ex aſſe conficta. Sed ſatis ſit de oraculis, de quibus ut quiſque maxime diſſerit, ſic maxime videtur fundere oracula.

V. *Hyſtaſpes, Zoroaſtri in praefectura*

Quae de Hyſtaſpis philoſophia referuntur, minus videntur fabuloſa. Hic, auctore Ammiano Marcellino, *e* Brachmanum indorum, quos adierat, *monitu, rationes mundani motus, & ſiderum, puroſque ſacrorum ritus,*

(*r*) *Hid. l.c.* (*ſ*) *Cod. Pſeudep. V. T. T. I. p.* 349.

(*t*) *Dem. Evan. Prop.* IV. *ca.* 5. *Kirk. Oed. Aeg. T.* II. *P.* II. *p.* 593.

(*u*) *Plin. loc. cit.*

(*x*) *Praep. Ev. lib.* I.

(*z*) *In vit. Plotini cap.* 16.

(*y*) *Vid. Hiſtoria Oraculorum apud Stanleium. in fine.*

(*a*) *Conſ. Petrus Lambecius Prodro. Hiſt. Litterariae pag.* 79. *& Fabricius Bib. Graec. Vol.* I. *p.* 246. *Plinius. loc. cit. Plotinus Ennead.* II. *Porphyr. loc. cit. Bruk. T.* I. *p.* 157.

(*b*) *Fabri. l. cit.*

(*c*) *In Excerptis Peireſcianis a Valeſio editis memorantur p.* 460. *Logia Zoroaſtris, quae a Platonicis citantur,* λογια ιερα, *vel* χαλδαικα. *& in prima editione is erat titulus* Μαγικα λογια των απο του Ζωροαςρου Μαγων.

(*d*) *Suidas voc. Iulianus*, ſcribit, *Iulianum chaldaeum philoſophum theurgiae oracula, & alia arcana verſibus edidiſſe. quare etſi verba platonicorum in zoraſtreis legantur, tamen fuiſſe quaedam oracula chaldaica, videtur ſatis probabile.*

magica successit. Hostanes magus fuit.

ritus, quantum colligere potuit, eruditus, ex his, quae didicit, aliqua sensibus magorum infudit. Atque Hystaspes quidem Cyri tempore vixit. oriundus ex Achaemenia patrem habuit Arsacem; filium Darium, cui dicitur etiam praedixisse imperium. Zoroastri in pontificatu maximo magorum successisse, ex eo epigrammate sepulcri, *fuisse praefectum*, sive magistrum magorum, *f* videatur intelligi. Hostanes alius est astrologus, si non fabulosus, at certe dubius. de quo nihil licet simpliciter affirmare. Nomen hominis varium, vel Ostanes, vel Otanes. numerus etiam incertus. Plinius quidem *g* duos numerat Hostanas. Suidas vero Otanas certae cuiusdam sectae magos appellatos fuisse, tradit. cui consentit omnino Laertius. *h* Aetas Hostanis est etiam controversa, & ambigua. sunt enim, qui Hostanem Zoroastris faciant praeceptorem. *i* sunt etiam contra, qui post Zoroastrem dicant ab Hostane astronomiam fuisse excultam. *k* Qui duos fecit Hostanas Plinius, alterum Xerxe rege, alterum Alexandri Macedonis aetate, docuit floruisse. Atque ille quidem *Xerxem regem persarum bello, quod is Graeciae intulit, comitatus*, dicitur a Plinio, *l semina magiae artis portentosa sparsisse obiter, infecto, quacumque commearat, mundo, a quo maxime ad rabiem, non ad aviditatem modo eius scientiae* graecorum populi agebantur. Quae forsitan causa fuerit, cur tantum nomini famam comparaverit, quantam multae Patrum de illo testificationes *m* significant. Itaque pronum erat, ut tam illustri mago monstrosus aliquis ingenii partus supponeretur. suppositus liber chemicus, nescio quis; supposita sunt scripta alia complura, quae refert Fabricius.

VI.

Institutio prima magorum incerta; officium vel sacerdotis, vel astrologi, vel philosophi, vel ονειροκριτου.

Sed ad magos redeamus, quorum unde ducatur nomen, disputent, per me licet, rerum Orientis periti. Ego cum incertam putem nominis notationem, tum illam certissimam iudico potestatem, magum ignis dici sacerdotem, atque cultorem. *n* Neque vero magorum institutio persica est existimanda, quae apud chaldaeos, sive babylonios multo ante persicum viguerat imperium. A quo vero magorum institutio repetenda sit, puderet me nescire fateri, si, qui illam arbitratu suo vel ab Adamo, vel a Noemo, *o* vel ab Elia, *p* vel a barbaro repetunt, nescio quo, *r* non aeque cum ignarissimis scirent. At quaecumque demum origo fuerit, ea erat certe magorum conditio, ut magus vocaretur & sacerdos ignis, & philosophiae professor, *s* & astrologus apotelesmaticus, & somniorum inter-

(*e*) *Lib.* XXIII. *cap.* 8.

(*f*) *Porphyr. de Abstin. lib.* IV. *Lact.* VII. 5. vaticinia memorat de Romanis.

(*g*) *Lib.* XXX. *cap.* 1.

(*h*) *Lib.* I. *seg.* 2.

(*i*) *Plinius consul. lib.* XXX. *cap.* 1.

(*k*) *Suidas Voc. Astronomia T.* I. *p.* 360.

(*l*) *loc. cit.*

(*m*) *Cons. Tertul. De Anima cap.* 57. *Arnobius Adversus Gentes lib.* I. *Minucius Felix in Octavio. Augustin. contra Donatistas lib.* VI. *c.* 44. *Fabricius Bib. Grae. V.* I. *p.* 92.

(*n*) *Vid. Hyd. loc. cit. p.* 273.

(*o*) *Herbel. Bib. Or. v. Caiumarath. p.* 243.

(*p*) *Novelle de la repub. des letres* 1648. *Mars. p.* 71.

(*r*) *Hyd. loc. cit.*

(*s*) *Cicero de Divinat. lib.* I. *Laert. l. cit. Hesychius* Μαγον τον θεοσεβη, και θεολογ, ενκαι ιερεα.

interpretator. *t* Quamquam saepe numero etiam magi dicebantur ii, qui magorum sanguine incesto creti, non erant magicae professioni destinati. magorum enim proles in amplitudinem iustae gentis, *u* quae regionem & separatam, & immunem, & honoratam incoleret, dicitur excrevisse. de qua tota veluti classe, quae una Persidi, & sacerdotes, & magistros daret, illud est proditum memoriae, *x* eam ab incesto non abhorruisse coniugio, eumque genuinum habitum fuisse magum, qui eandem matrem, eandem aviam vocaret.

VII. *Magi in tres classes distributi.*

Qui ergo infames, nulliusque frontis, pudorisque apud alias gentes fuissent, ii apud persas pudendo instituto sacris, ac rebus divinis praeficiebantur. quorum omnis religio in fovendo igne sacro, ante Zerdushtium quidem in aris sub dio sacratis, post Zerdushtium reformatorem in pyreis, sive sacrariis igni positis, versabatur. Erat autem & pyreorum, & magorum ordo tripartitus, quorum officia descripta dicet Hydeus. *y* Ego ex Tullio id, quod philosophiae videtur fuisse, commemoro, eos saepe in fanis, pyreisve congregari fuisse solitos commentandi causa, atque inter se colloquendi. *z*

VIII. *Magorum disciplina severa. doctrina hereditaria, & gentilitia. Sectae.*

Atque haec sunt magicae religionis instituta; vitae autem disciplina a Zerdushtio tam severa dicitur fuisse sancita, *a* ut is omnem & continentiam, & honestatem, & rerum sacrarum summam peritiam a magis suis postularit. leve quiddam est scilicet, quod astrologis permiserit astrologus, ut incestas nuptias inirent. Iam in ea parte disciplinae, quae doctrinam, & institutionem spectaret, ea ratio probata est, ut magus non nisi magi filium edoceret. *b* Neque propterea non erant apud eos variae & sectae, & sententiae. Laertius enim *c* scribit, *magos fuisse Ostanas, Astrampsycos, Gobryas, ac Pazatas.* qui de nomine, opinor, sectae conditoris ita sint appellati. fuit enim & nobilis Hostanes, & non ignobilis Astrampsycus, *d* cuius liber veterinarius de curatione asinorum, & alius de interpretatione somniorum memoratur. *e*

IX. *Scholae magorum dissentientes.*

Eae praeterea sunt apud Plinium, *f* & Strabonem *g* magorum scholae, ab urbibus, in quibus essent, appellatae, babyloniorum, hipparenorum, orchenorum borsippenorum. quas communia habuisse omnia dogmata, quantumvis affirmare Diodorus, eoque etiam nomine graecorum dissentientium scholis praeferre, videatur: ego & habita scholae, per se contentiosae, ratione, & auctoritate Strabonis adductus, potius crediderim, *complures* magorum *iisdem de rebus,* h *ut in se-*

(*t*) *Herodot. Lib.* I. *cap.* 107.
(*u*) *Vid. Prideauxius Hist. Iud. Tom.* I. *p.* 222.
(*x*) Nihil erat, cur de infami instituto dubitaret *Beausobrius Histor. de Manich. T.* I. *lib.* I. *cap* 6. *p.* 320. cum testes sint *Clemens Alexand. Strom lib.* I. *Sex. Empiricus Pyrrhon. Hyp. lib.* I. *s.* 152. & *lib.* III. *s.* 205. & *Diog. Laert. loc. cit.*
(*y*) *Hyd. loc. cit.*
(*z*) *Cic. de Div. lib.* I. *Valer. Maximus lib.* I. *cap.* 6. *alii.*
(*a*) *Beausobrius loc. cit.*
(*b*) *Diod. lib.* XVII. *pag.* 622.
(*c*) *Loc. cit.*
(*d*) *Suidas. v. Astrampsycus.*
(*e*) *Fabricius Bibli. Grae Vol.* III. *pag.* 409.
(*f*) *Lib.* VI. *cap.* 26.
(*g*) *Lib.* XVI.
(*h*) *Loc. cit.*

sectarum fieri solet diversitate, aliter, atque aliter statuisse. Illas etiam magorum classes, quas commemorat Daniel, *ariolos*, *magos*, *maleficos*, *chaldaeos*, huc *i* revoco. quas qui volet, ita cum Iacobo Tirino interprete accuratissimo reddiderit, ut *arioli* sint divinatores, *magi* naturae scrutatores, *malefici* praestigiatores, & aruspices, *chaldaei* denique astrologi iudiciarii, ut vulgo loquimur.

CAP. IV.
INDICA philosophia.

PROP. I.
Desiderata fides de indica philosophia.

Quae vero adhuc de philosophis asiaticis a nobis scripta sunt, eorum pleraque, non est admodum dolendum incerta esse, ac prope fabulosa, nisi iis forte, qui tanto rerum veterrimarum studio insiniunt, antiquariis, ut eorum causa scripserit *a* Sectanus, *Antiqui nec consulis*: caetera dixerit satyricus, quae non audeo, ac ne possum quidem honeste dicere historicus. Nihil enim valde vel cognitione dignum, vel quod magnopere vitam hominum iuvet, in magorum fabulosis rebus apparet. At quae iam dicere pergimus de indis philosophis, non ad vanam, magicamque sapientiae ostentationem compositis, sed ad duram, philosophicamque virtutem animi natis, ut essent quam certissima omnia, profecto esset optandum. Atque habemus quidem complures testes rerum indicarum: *b* at quibus vix licuerit vel locorum, vel temporum intervallo, vel insolentia indici commercii, ea, quae scripserint, comperire. itaque iis credimus, ut possumus, quoniam ut volumus, non licet.

II.
Buddas princeps indorum philosophorum. Dandamis nobilis philosophus.

Ac de indis quidem philosophis, quae nobis sint dicenda hoc loco, ea vel ad ipsos philosophos singulos, vel ad sectas philosophorum universas referre possumus. Buddas quidam princeps habetur philosophus, qui tanta latet in obscuritate, vix ut satis distingui possit ab altero Budda doctore Manetis, qui graecis dicitur Terebinthus. *c* sit tamen alius Buddas indus philosophus, qui sit solitus de se iactare, *d* virginem a latere suo genitam prodiisse. sit etiam ille idem divus iaponum, siamensium, & sinensium *e* sive Xaca, sive Sommonacodomus, sive qui alius dictu asperior. Alter est indorum philosophorum nobilissimus Dandamis, sive Mandanis. is apud Strabonem *summopere f se laudare*, dixit, *Alexandrum ... quem solum in armis philosophantem viderit.* Multa, &

(*i*) *Dan.* I. כשדים מכשפים אשפים חרטמים habet hebraice *Hhartumim*, *Aschaphim*, *Mechaschephim*, *Chasdim.*

(*a*) Ser. III. qui totus Rulium irridet ineptum antiquitatis admiratorem.

Quid plura? antiqui nec consulis excrementum
Abiicies; si forte viae inter rudera sacrae
Tale quid existat.

(*b*) De sapientia indorum testes habemus graves *Strabonem l.* XV. *&* *Plutarchum Vit. Alex. & Arrianum De Exped. Alex. l.* VIII. *& in Indicis, & Palladium,* cui tribui solet *Liber De Gentibus Indiae, & Brachmanibus. De quo con. Fabri. B. G.* V. IX. *& Ambrosium; cui abiudicant tamen Benedictini Editores Librum De Moribus Brachmanorum.* at leviores sunt, *Philostratus Vit. Apollo. Apuleius Lib.* II. *Florid. Porphyrius De Abstin.* IV.

(*c*) *Beausobrius Hist. des Man. Tom.* I. *p.* 57. *notat Tollium, qui utrumque Buddam fecerit unum.*

(*d*) *Hier. Contra Iovi. fol.* 22.

(*e*) *Lacroze Hist. Christianismi Indorum pag.* 645.

(*f*) *Strabo loc. cit.*

magna referunt ii ſcriptores, quos rebus indicis paulo ante teſtes produximus, de moderatione cupiditatum, de ſapientia, de libertate Dandamis philoſophica.

III. *Sphines indis, Calanus graecis notiſsimus philoſophus, Alexandri comes.*

Tertium tulit india tellus philoſophum Sphinem, cui Alexandri familiaritas ſplendorem, famamque dedit. Calanum graeci milites ideo vocarunt, quod ſalute indica *cale*, pro graeca *chaire* obvios quoſque impertiret. Ergo Calanus, cum Alexandri legatum graeco ornatu cum crepidis, cum cauſia, cum chlamyde ad ſe venientem vidiſſet; hominem naſo ſuſpendit adunco. ſi quid velit audire, ornatum abiiciat, ſecumque nudus in iiſdem illis lapidibus iaceat. At vicem legati ultus *g* Mandanis Calanum obiurgat, *qui contumeliam culpans, ipſe contumelioſe agat.* Huic Alexander per Taxilum ſuaſit, ſe ut proſequeretur familiariter. quo nomine valde eſt ab indis reprehenſus, tanquam proditor diſciplinae, qui unum Deum profeſſus dominum, ſeſe mancipio dederet Alexandro. *h* Paulo poſt Calanus, cum ex inſtituto diſciplinae indicae turpe ſibi duceret, morbum tolerare, vivus in oculis exercitus ſeſe in ignem coniecit, ea, cum rogum aſcenderet, uſus inſana gloriatione: *o praeclarum diſceſſum e vita, cum, ut Herculi contigit, mortali corpore cremato, in lucem animus exceſſerit!* i

IV. *Iarchas a Philoſtrato mala fide factus ſubſcriptor* μετεμψυχωσεως. *logi & fabulae.*

Alius indus eſt *k* celebratiſsimus Iarchas, quem, ſi divis placet, fingit Pythagoram alterum pythagoreus Philoſtratus. nempe in Iarcham animus Gangis tranſmigraverat. Equidem video ſuſpectam eſſe in ore Philoſtrati indicam metempſychoſim; non tamen dixero mendacem. qui enim hodie ſunt brachmanes, ſunt cum primis pythagorici, & heredes fortaſſe antiquiſsimae metempſychoſeos. Quae vero portenta narrat Philoſtratus de principe, & coriphaeo brachmanum, tripodas aureos in eo Iarchae convivio, quo Apollonium exceperat, ſeſe ipſos mutaſſe; pincernas aureos convivis ſponte ſua miniſtraſſe; terram baculis philoſophicis percuſam, non alio modo, quam quo ſolent maris fluctus, ſeſe extuliſſe: monſtra ſunt non tam digna philoſopho, quam Homero poeta, vel divum fabro Vulcano, *m* cui

Αμφιπολοι ρωοντο ανακτι
χρυσειαι, ζωησι νεηνισιν εοικυιαι.
της εν μεν νοος εϛι μετα φρεσιν, εν δε και αυδη.

V. *Nomina & ſectae indorum philoſophorum.*

Sed Iarcham Philoſtrato ornandum, aliis, ſi placet, tollendum relinquamus. nos de univerſis familiis indorum ſapientium, quos gymnoſophiſtas dixere graeci ſive a nuditate corporum, *n* ſive a victu tenui & parabili; brachmanes non ab Abrahamo, *o* ſed vel a Brachmane, *p* vel

a

(*g*) *Strab. loc. cit.*
(*h*) *Strabo, Arrian. loc. cit.*
(*i*) *Cicero De Divin. lib.* I.
(*k*) *Philoſt. loc. cit.*
(*l*) *Litt. Religioſae PP. S. I.*
(*m*) Iliad. Σ *ancillae confluebant Regi*
aureae vivis puellis ſimiles,
quibus & inerat in mentibus prudentia, & vox.
(*n*) *Porphyr de Abſt.* IV. *Laertius l. ſeg.* I. *Plinius* VII. *c.* 2.
(*o*) *Strabo. Pal. Ambroſ. conſ. Belius art. Gynoſop.*
(*p*) *Ad Lib. Jetzira conſ. Poſtellus ille nugivendus.*

a deo Biruma *q* ipsi se appellant; si quae rimari liceat, perscrutemur. Ac de numero quidem sectarum non liquet satis. alius enim alias numerat sectas, *r* brachmanes, sarmanes, germanes, samanaeos, gymnosophistas, calanos, pramnas, hylobios. quibus in classes, censumque tribuendis quaeratur censor aliquis otiosus, qui an tres, an quatuor sectas constituat.

VI. *Brachmanum philosophia gentilitia, castigatissima institutio, & disciplina.*

Brachmanes habent sapientiam hereditariam. omnes enim communes parentes, a quibus certa successione sint profecti, connumerant. *s* cuius rei etiam hodie persuasio firma, & intolerabilis superbia bramina tenet. *t* Brachmanum filiis elegantem institutionem, severamque disciplinam fuisse narrat Megasthenes. *u* Porphyrius vitam admodum philosophicam vixisse scribit *z* brachmanes eos, qui philosophi fuerunt. *ali in monte, alios apud fluvium Gangem habitasse*: pomis, lacte, herbis, oryza victitasse. carnem eos ne tetigisse quidem, *y* Certe his paria faciunt e Soc. Iesu missionarii, qui in provincia malabarica Ecclesiae catholicae pomerium proferunt.

VII. *Samanaei philosophia plebeia, vita durissima, mors stoica. Pramnae sophisticum genus.*

Samanaei genus aliud gymnosophistarum, vitae severitate potius, quam maiorum sanguine nobilium, ex omni hominum colluvie in collegia congregabantur. *a* Quicunque samanaeus fieri constituisset, professus nomen vitaeque novum genus apud oppidi praefectum; publice a rege tanquam in Pritaneo alebatur. Horum vita pomis, oleribusque contenta in divinis & colloquiis, & precibus extra oppidorum moenia ducitur, vel ipsis regibus veneranda. exitus vero vitae plusquam stoicus esse solet conscìis, comprobantibusque samanaeis, & mandata ad inferos dantibus, vivus, vidensque igne perit samanaeus. Neque in tanta turba gymnosophistarum desunt etiam indi sophistae. est enim genus quoddam pramnarum plane sophisticum, qui, contemptis brachmanibus naturae, siderumque deditis studio, ipsi tempus altercando, ac disputando consumunt. qui sint etiam *in montanos*, *gymnetas*, *civilesque distributi.* quanquam montanos sophistas, erit, qui miretur. certe rusticos non ego miror.

VIII. *Ad summam indi philosophi nuncium mittunt rebus humanis.*

Superest, ut de severa, castigataque, quae communis omnibus esse dicitur, brachmanum vivendi ratione, summam quamdam adiiciamus. Non suo ipsorum consilio, *c* sed sorte divinitus accepta hominum dicuntur renunciare societati. Quid istud sit? utinam dixisset Palladius, qui negat, eos monachorum more societati suorum civium nuncium remittere. Iam nihil in vita sanctius habent, quam victum frugalem, ac parabilem abstinent vino, rebusque animatis. *nudos*, certe quidem male vestitos, *aetatem agere*, & *cum ad flammam se applicaverint*, *sine gemitu aduri*, scribit Tul-

(*q*) *Relationes missionis Danicae ad Mal. P.* I. *pag.* 353. hos haereticos missionarios vocat haereticus *Prukerus Tom.* I. *pag.* 193. meritissimos evangelii praecones. huc illud, da mihi testimonium mutuum.

(*r*) *Strab.* XV. *Clemens Alex. Porphyrius loc. cit. Clearchus ap. Euseb. Praep. l.* IX. *Litt. PP. Soc. Ies.*

(*s*) *Strabo loc. cit.*

(*t*) *Litt. Religiosae PP. Soc.*

(*u*) *Apud Strab. loc. cit.*

(*z*) *Loc. cit. Palla. Ambrosiaster*

(*y*) *Litt. Rel. PP. Soc. Ies.*

(*a*) *Diodorus Sicul.* II. *Bardesanes apud Porph. loc. cit.* cuius utinam liber *De philosophis Indiae* non perisset. *vid. Iorsius P.* I. *l.* III.

(*b*) *Strab. loc. cit.*

(*c*) *Pallad. loc. cit.*

Tullius. Castitatem illis cultam, auctor est Clemens Alexandrinus. *e* In durissimis exercitationibus obduraſſe narrant. ab ortu solis ad occasum *f* perstare contuentes solem immobilibus oculis, ferventibus arenis toto die alternis pedibus insistere. Infinita praetereo indorum philosophorum ad speciem egregia facta; ad superbiam ipsorum brachmanum, qui a rege iussi venire, *g* responderent, *ad se veniret rex, si quid assequi vellet*, intoleranda; ad exitum quaesitae ambitiose mortis inhumana. sed nimis multa de indis. Aegyptus antiqua doctorum hominum natio nos ad se vocat.

CAP. V.
AEGYPTIA philosophia.

PROP. I.
Desperata fides in historia Aegypti.

Et vero plurane monstra Aegyptus ipsa, quorum ferax esse dicitur *a* prae aliis regionibus, an antiqua aegyptiorum historia procrearit, saepe mecum ipse dubitavi. cum enim vix, ac ne vix quidem ulla fuerit alia natio, de cuius rebus plura in dies singulos ab infinito prope tempore sint ab eruditis hominibus scripta, quos si vellem recensere, me charta deficeret: *b* tamen nulla certe est, de qua plura aut magis fabulosa, aut incerta magis dicantur. *c* Quod praeiudicium ante Christophorum Cellarium fecerant & Herodotus, *d* qui res omnes Aegypti dubias ante commercium aegyptiorum cum graecis pronuntiat, & Diodorus Siculus, *e* qui diserte confirmat, illum ipsum Herodotum, nonnullosque rerum aegyptiarum scriptores *portenta narrationum, fabulasque fuisse complexos.*

II.
Polyhistoras exagitat cupido aegyptiacorum.

Et tamen tam valde polyhistoras invasit aegyptiarum rerum cupido, tam valde in illa historia eruenda, componendaque ex Manethone, Africano, Syncello, aliisque male luxatis scriptoribus, insudatum est, ut in ea viri eruditi lapidem quendam historicum, ut ita dicam, lapide philosophico multo pretiosiorem, sibi esse polliciti, videantur. Cuius ego rei causam in nobilitate aegyptiorum antiquissimorum sitam esse existimo. Ut enim nihil de imperio dicam, deque dynastiis illis antiquissimis *f* aegyptiorum, quae res una solet maximam facere nobilitatem; summa semper fuit opinio de Aegypti sapientia, quam ex antiquis prope omnibus scriptoribus *g* accepimus, quamque peregrinationibus eruditis in Aegyptum Plato, aliique veterum contestati fuere.

G Anti

(*e*) *Loc. cit.*

(*f*) *Plin. lib.* VII.

(*g*) *Pallad. loc. cit.*

(*a*) *Arist. lib.* IV. *de Gen. Anim. cap.* IV.

(*b*) Omnes antiqui, & graeci & latini veluti quadam coniuratione carptim de Aegypti rebus memorant. iuniores innumeri sunt. *Ath. Kirck. Marshamus. Reimmainus. Vitsius.* alios vide, si tantum tibi est otium a rebus tuis, *apud C. H. Heumanum Act. Phil. T. I. pag.* 190.

(*c*) *Christ. Cellarius Hist. Ant. Ienae anno* MDCCXIX. *cap.* 169.

(*d*) *Lib.* II. *cap.* 157.

(*e*) *Bib. lib.* I.

(*f*) *Vid. Greg. Syncell. monachus,* qui ex *Manethone*, *Eratosthene*, *Africano*, aliis de Dynastiis antiquissimis scripsit.

(*g*) *Eusebius lib.* IX. *cap.* X. affert Apollinis oraculum, quo primi magistri sapientiae dicuntur aegyptii, qui

πρωτοι μεροπων επ' απειζονα, πρηξιν εφηναν
οι το καλον πινοντες υδωρ νειλωπιδος αιης.

III.
Testimonia de auctore aegyptiae sapientiae Mercurio Thoith, qui nullus est e Sacra Pag.

Antiquissimus auctor aegyptiae sapientiae Mercurius habetur. quem, ut scribit Eusebius, *b* phoenices *Taut*, at Alexandrini *Thoot*, alii *Theut*, alii *Thort*, graeci *Hermetem*, latini *Mercurium* appellant. Qui velit fabulas, consulat Lilium Gyraldum, *i* unde earum sibi manabit plena copia cornu. Qui vero historiam desiderat, audiat Tullium, *k* & Diodorum. *l* Tullius haec habet, Mercurius *quartus Nilo patre natus, quem aegyptii nefas habent nominare. quintus, quem colunt pheneatae, qui Argum dicitur intermisisse, ob eamque causam in Aegyptum profugisse, atque aegyptiis leges, & litteras tradidisse. hunc aegyptii Thoyth appellant.* Diodorus vero ita scribit. *Osirim cum Mercurio omnia communicasse, eiusque consilio maxime usum fuisse, illumque in honore ante omnes habuisse, cum esset perspicacis ingenii in excogitandis humanae vitae commodis.* Pergit porro, atque recenset, quas Mercurius artes invenerit: *loquelam articulatim distinxisse, litteras invenisse, rebus multis anonymis nomen posuisse, religionem deorum constituisse. ordinem astrorum, & naturas observasse. palaestram, oleamque induxisse.* Mercurius itaque senior patria fuerit aegyptius, aetate antiquissimus, religione suorum civium unus fortasse *m* divorum cabirorum, magistratu scriba vel Saturni, *n* vel Osiridis; omnes artes invenerit, maxime litteras *o* hyeroglyphicas. Itaque si quid licet non omnino temere de Mercurio sentire, nobis placet, huiusmodi fuisse Mercurium. neque enim assentimur iis, qui ex quovis ligno, quod aiunt, sibi Mercurium faciunt. alii ex Henocho, *p* alii *q* ex Aegypti prorege Iosepho, alii *r* ex Canaano, alii *s* ex Mose denique.

IV.
Mercurius Trismegistus restitutor aegyptiae sapientiae.

Restitutor vero alter Mercurius antiquissimae doctrinae apud aegyptios fuisse narratur, *u* Mose iunior. de quo quamquam graeca fide nobis Manetho dicet testimonium: t *ex stelis in terra seridiaca positis sacra dialecto, & hierographicis litteris, a Thoth Mercurio primo exaratis, secundus Mercurius Agathodaemonis filius, Tati pater ex sacra illa lingua transtulit litteris hieroglyphicis in libros, quos in adytis templorum aegyptiorum reposuit.* Ego vero fidem Manethonis non praesto; si quam habeat fidem, huiusmodi habemus Mercurium, patria aegyptium, ab illo casco Mercurio alium, Agathodaemonis, vel Vulcani filium, Sipheam regem, Trismegisti nomine decoratum, doctrinae sacrae erutorem ex stellis, sive

Fructu immenso primi docuere nepotes,
Niliaco undantes potant, qui gurgite lymphas.

consul. Macrob. Som. Scip. lib. I. *c.* XIX. *Iustinus Martyr. Clem. Alex. Orig. Philo.* aliquos profert. *Wolfius orig. phil. pag.* 46.

(*b*) *Lib.* I. *Prae. Ev. cap.* X.

(*i*) *Hist. Deo. l.* IX.

(*k*) *L.* III. *De Nat. Deo.*

(*l*) *L.* I.

(*m*) *Vossius de Idol. lib.* II.

(*n*) *Sanchuniathon apud Euseb. l.* I. *Prae. cap.* IX. Saturni ministrum: *Diod. loc. cit.* Osiridis facit Mercurium.

(*o*) *Conf. Aelian. Hist. Ani. lib.* XIV. *cap.* XXXIV. *Plato in Phaedro, & Phileb.*

(*p*) *Kirker. Oedip. Aeg. p.* 67.

(*q*) *Tho. Gale. Phil. Gent. p.* 15. *& Scip. Sgamb. Arc. V. T.*

(*r*) *Boch. G. S. P.* I. *L.* I. *c.* II.

(*s*) *Huet. De Eu. Prop.* IV. *cap.* IV.

(*t*) *Manetho apud Syncel. p.* 50.

(*u*) *Euseb. loc. cit.*

ve *x* subterraneis *z* syringibus. His ego possum si non tam valde assentiri, quam Moshemius assensus est, *y* at non penitus dissentire.

Propagatores sapientiae instituit alteruter Mercurius sacerdotes, prophetas, hierophantas. his enim nominibus communiter appellantur. Quorum utra laudetur magis disciplina, an doctrina, non facile definias. Nam quod ad vitae rationem pertinet, *eos omnium mortalium habitos religiosissimos, a rebus humanis nuncium remisisse, contemplationi rerum divinarum sese tradidisse, ex habitu gravitatem, incessum aequabilem, aspectum stabilem, risum rarum, manum semper intra vestem habuisse: diem ad deorum cultum contulisse*, multi *b* sunt auctores. Officia vero singulorum ordinum, pluribus exponit Clemens Alexandrinus, *c* quem qui legerit, operae pretium faciet. Ego & his, & illis vitae institutis, quae litteris prodidere & Herodotus, & Porphyrius, praetermissis; ad doctrinam venio aegyptiorum sacerdotum.

V. *Sacerdotes aegyptii propagatores sapientiae, praeter ius & aequum laudati.*

VI. *Aegyptii sacerdotes omnium disciplinarum professores.*

Hi legislatores, philosophiae praedicatores, *d* coelestium rerum observatores, in speculationibus arithmeticis, geometricisque occupati, semper in experimentis versati fuisse dicuntur. *e* Artes vero omnes illos fuisse professos, testis est omnis antiquitas. Iustinus enim M. *f* scribit, *astronomiam, & astrologiam, & geometriam apud aegyptios habitas fuisse doctrinas vulgares, & humiles; in honore autem, ac pretio fuisse, quae vocantur litterae hieroglyphicae.* Hoc ipsum testatur Hieronymus, *g* sacerdotes aegyptios rerum naturalium causas, & *rationes siderum fuisse contemplatos.* Ex antiquis vix est, quin ad astra ferat aegyptiam sapientiam, quam tamen Hermannus Contingius affligere, & atterere conatus est eo libro, quem fecit de *Hermetica Aegyptiorum Medicina.* Itaque non geometriam, *h* non astronomiam, *i* non musicam desiderarunt, *k* non medicinam, canente Apolline ovidiano, *l*

Inventum medicina meum est, opiferque per orbem
Dicor, & herbarum subiecta potentia nobis:

non astrologiam, illam etiam iudiciariam, *m* non denique magiam ac veneficia. *n*

Ad scientiam vero quod attinet rerum divinarum, humanarumque, quae

(*x*) *Apud Syncel.* I. *p.* 124. in laterculo Reg. Aegypti.

(*z*) *Am. Marcel. l.* XII. *cap.ult.* Syringes *sunt subterranei, quidam, & flexuosi recessus, quos, ut fertur, periti rituum vetustorum adventare diluvium praescii, metuentesque, ne caeremoniarum oblitteraretur memoria, penitus operosis digesti fodinis per loca diversa struxerunt, & excisis parietibus volucrum, ferarumque multa genera exculpserunt.*

(*y*) *Ad syst. intel. Cudworth. c.* IV.

(*a*) *Herod. l.* II. *c.* XXXVII.

(*b*) *Chaeremon apud Porph. lib.* IV. *de Abs.*

(*c*) *Strom. lib.* VI.

(*d*) *Clem. Alex. strom. l.* III.

(*e*) *Chaeremon l. cit.*

(*f*) Sive auctor *quaestionum, & responsionum ad Orthodoxos* inter opera Iustini *pag.* 406.

(*g*) *Lib.* II. *contra Iovi.*

(*h*) *Cons. Laer. l.* I. *s.* II. *& in eum locum Menagius.*

(*i*) *Iustin. l. c. Serv. ad Virg. Ecl.* III. *Herod. l.* II. *Tul. de Div.* I.

(*k*) *Diod. l. c.*

(*l*) *Metamorph. l.* I.

(*m*) *Clem. Alex. strom.* VI.

(*n*) *Exodi.* IV. *Paul. ad Ti.* II. *c.* 3.

VII. *Dissensio in doctrina sacra aegyptiorum, & mutatio.*

quae propria est nostri huius instituti, dici vix potest, quam sit obscura aegyptiorum theologia, quam implicata philosophia. Nos alio loco systema aegyptium recte & ex ordine constituemus; nunc generatim de re tota pauca dicamus. Primum non una erat sacrae doctrinae disciplina. aliam alia collegia, per totam Aegyptum dispersa, sententiam sequebantur. quod & tradit Herodotus, *o* & Plutarchus de *Iside*, & *Osiride* adductis multis, multumque discrepantibus aegyptiorum veterum interpretationibus ostendit, & Iuvenalis satyrice notat. *p* Deinde non una fuisse semper videtur facies sapientiae inter aegyptios sacerdotes, qui primis temporibus magiam, atque idololatriam; rege deinde Cambyse, chaldaeorum theologiam; rerum potito Alexandro, graecorum sapientiam comprobavere. *q*

VIII. *Theologia aegyptia altera popularis, & foeda: altera arcana, & impia.*

Praeterea duplex erat theologia, popularis, & arcana. altera quam foeda fuerit, nemo non didicit, qui vel de nomine Tullium, *r* Tertullianum, *s* Suetonium, *t* Iuvenalem cognoverit. *u*

Quis nescit, Volusi Bithinice, qualia demens
Aegyptus portenta colat?

Altera tota erat impia. tollebat deos, *y praeter vulgo dictos planetas.* non statuebat *corporis z expertem aliquem huius universi architectum.* diffundebat per totam universi molem deum Osirim, tanquam mundi animam. *x* Isin deam, veluti materiam Osiridi susternebat. *a* unde illae duae natae sunt inscriptiones. *b*

TE. TIBI.

VNA. QVAE.

ES. OMNIA.

DEA. ISIS.

AERRIVS. BALBINVS. V. C.

& quae in templo Saidis est reperta. EGO. SVM. OMNE. QVOD. EXISTIT. ET. MEVM. PEPLVM. NEMO. ADHVC. MORTALIVM. DETEXIT. *c*

IX. *Infiniti libri Hermeti suppositi. nullus ab omni parte genuinus.*

Ut autem methodum scribendi aegyptiam epistographicam, hieraticam, symbolicam, allegoricam, aenigmaticam omittamus, *d* pauca de libris dicemus. Hermeti iuniori magna librorum plaustra sunt supposita, qui cum aggressus esset archetypa monumenta, stelasque effosas explicare, ab alio *e* dicitur, *principia universalia tradidisse duabus myriadibus librorum*: ab *f* alio *sex chiliadibus quingentis, & viginti quinque supra tres myriadas*: ab alio *g* scripsisse *viginti millia voluminum de variis substantiis,*

(*o*) *Li.*II.*c.*XLII. (*p*) *Sat.*XV.
(*q*) *Iamblic. de Myst. Aeg.*
(*r*) *De Offic. lib.* I.
(*s*) *Apolog. cap.* IV.
(*t*) *Cap.*XXXVI. (*u*) *Sat.*XV.
(*x*) *Porph. ad Antebonem.*
(*y*) *Eus. Praep. Ev. l.* III. *c.* IV.
(*z*) *Plut. loc. cit.*

(*a*) *Athenag.Leg.pro Christ.c.*XIX
(*b*) *Apud Mar. Gudium lib.* III. *Phaed. fab.* XIX.
(*c*) *Apud Bruck. t.* I. *p.* 291.
(*d*) *Clem. Alex. Strom.* V.
(*e*) *Iamb. de Myst. Aegyp.*
(*f*) *Manetho.*
(*g*) *Iul. Firmic. lib.* II. *Mathe.*

tiis, *& principiis*; *& potestatum ordinibus coelestium*. De quo monstroso numero neque iis consentimus, *h* qui singula folia papyri singulos libros accipiunt; neque iis, qui singulos versus singula *i* volumina faciunt: sed credere malumus Iamblicho *k* scribenti, *nostri maiores suae sapientiae inventa illi dedicabant, omnia propria commentaria Mercurii nomine inscribentes*. Itaque tanta librorum hermeticorum multitudo vel in solidum est a platonicis philosophis conficta, vel servatis nonnullis Hermetis sententiis parta. *l* quod iudicium maxime facimus de *Poemandro*, de *Asclepio*, de *Iatromathematicis*. m

X. Iudicium de quibusdam scriptis aegyptiis.

Etiam hodie Horus Apollo circumfertur aegyptiorum deus. *n* Libellus est de *Hieroglyphicis aegyptiorum*, *o* quem graecum fecit Philippus quidam. Horus Apollo *p* Fabricio est *Horapollo Grammaticus Phenebytides* memoratus Suidae. mirum, si non sit partus platonicorum magno, & antiquo nomini subditus. Hechataeus, & Palaephatus *q* saepe citantur scriptores de *Aegyptiorum Philosophia*, qui nomen unum posteris reliquerunt: scripta desiderantur. Habemus *Iamblichum De Mysteriis Aegyptiorum*, quem alio loco laudabimus. *r* habemus denique de *Mystica Aegyptiorum Sapientia* librum Aristoteli tributum, qui Aristotelis non est. *s* sed nobilem scientiae fama relinquamus Aegyptum.

CAP. VI. *PHOENICIA philosophia.*

PROP. I. Phoenices & mercatura, & repertis philosophicis nobiles.

Ad phoenices veniamus, quorum mercatura, quae littoribus mediterranei maris nomen dedit, *a* quam philosophia nobilior sine dubitatione fuit. quamquam enim ea phoenicum videatur fuisse disciplina, quam in populo romano notabat Horatius,

O Cives, cives, quaerenda pecunia primum est;

tamen sapientiae nonnihil servisse dicuntur, quippe qui & litteraturae, *b* & arithmeticae, *c* & astronomiae olim cultores fuerint. Tamen hos, si Brukero *d* esset fides, nemo inter philosophos nominaret, *cui sanum sinciput esset*. Dictum nimis severe. nam certe antiqui scriptores nonnullos philosophos phoenicios memorant, quibus, & Pythagorae numeros, *e* & Leucippi atomos in acceptis referant. *f* quibus ego citius, quam Burnetio *g* crediderim. Posidonius enim *h* auctor est, atomos inventorem habuisse quendam Moschum phoenicem. Iam monadas Pythagorae Ecphantus, *i* & Aristoteles, *k* & Automedon *l* faciunt easdem, atque Leucippi ato-

(*h*) *Hornius H. Phil. l.* I. *c.* VI.
(*i*) *Bochart.Geog. S. P.* II. *lib.* I. *cap.* XV. (*k*) *Loc. cit.*
(*l*) *Fab. B. G. V.* I.
(*m*) *Franciscus Patric. Nova de Univ. Phil.* (*n*) *Plut. de Isid.*
(*o*) *Fab. B. G. V.* I. (*p*) *Loc. cit.*
(*q*) *Apud Bruck. t.* I. *p.* 249.
(*r*) *Lib.* VI.
(*s*) *Fabricius Bibli. Grae Vol.* II. *pag.* 162.
(*a*) *Luc. in Toxari. Bochartus Geog. S. P.* II. *l.* I. *c.* II.
(*b*) *Plinius lib.* V. *c.* XII.
(*c*) *Porphy. in vit. Pyth. Strabo li.* XVI.
(*d*) *Tom.* I. *pag.* 229.
(*e*) *Stobaeus Eclog.Phy.l.*I.*c.*XIII.
(*f*) *Posidon. ap. Laert. l.* VIII. *s.* 140.
(*g*) *Archaeol.Philos. c.* VI. *p.*360.
(*h*) *Strab. loc. cit. Sex. Emp. adv. Physic. l.*I. *Iamblichus in vit.Pyth.* III.
(*i*) *Apud Stobaeum l. c.*
(*k*) *Metaph. l.* XIII. *c.* VI.
(*l*) *Automed. in Antol. cuius verba recitat. Pet. Gas. tom.* I. *in lib.* X. *Laertii. p.* 100.

atomos. quae nobis opinio non placet minus, quam viris in antiquitatis cognitione versatissimis placuerit, Radulpho Cudworthio, *m* atque Gottfrido Oleario. *n*

II.
Mochus & Moschus unus & idem philosophus phoenicius, a Mose alius.

Ergo, ut dicere coeperam, nonnulli phoenices philosophi a veteribus memoriae sunt proditi. in quibus principem tenet locum Moschus physiologus, patria sidonius. de quo illi multa narrant, quos paulo ante dicebamus, Strabo, Empiricus, Iamblichus. Atque hunc de capite, fortunisque omnibus noviores critici in iudicium vocant. nomen primum in iudicio versatur, *Mochusne*, an *Moschus* sit appellandus. nam Athenaeus, *o* Iosephus, *p* Tatianus *q* memorant *Mochum* quendam phoenicium, qui de rebus phoeniciis historiam composuerit. Hunc vero historicum illum eundem esse physiologum, omnes isti critici consentiunt. utro autem diceretur nomine *Mochine*, an *Moschi*, in eo dissentiunt. sed res est in controversia unius litterulae parvi facienda. *r* Et de persona ipsa in varias itum est sententias. *s* Theodoretus enim, & Huetius sub Moscho Mosem ipsum latentem inveniunt. Ego vero non satis video hebraeorum legislatorem sub pallio philosophi sidonii. Moses opinor non multos scripsit rerum physicarum libros, quos Moschus dicitur reliquisse.

III.
Summa quaedam historiae Sanchuniathonis phoenicii ex auctoritate Porphyrii.

Alter est phoenicius philosophus Sanchuniathon criticis dissensionibus valde exagitatus. memoriam Sanchuniathonis Eusebio *t* debemus, & Theodoreto, ex fide tamen Porphyrii. *u* summa rei haec. primum Sanchuniathonem ante troiana tempora floruisse: deinde summa cum diligentia, tum veritatis laude res phoenicias memoriae prodidisse: tum rerum ad iudaeos pertinentium historiam Sanchuniathonem berytium summa fide conscripsisse: post praecipua rerum iudaicarum capita ab Hierombalo quodam Ievi Dei sacerdote accepisse: praeterea Abibalum ipsum berytiorum regem, & criticos regios Sanchuniathonis scripta recensuisse & comprobasse: postremo Sanchuniathonem troianis temporibus antiquiorem, Mose proxime posteriorem, Semiramide apud asyrios regnante partim ex singularum urbium actis, partim ex templorum monumentis singulari veritatis studio historiam excerpsisse.

IV.
Philo Byblius interpres graecus Sanchuniathonis.

Atque hoc Sanchuniathonis monumentum, si quando extitit, iamdiu evanuisse ab oculis constat. *x* graecum illud fecisse Philonem, non iudaeum illum notissimum, sed Byblium, nescio quem, ethnicum, & Hadriano synchronum, auctor est ille idem Eusebius. qui testimonio illius Byblii Philonis haec adiicit, Sanchuniathonem *cum gentium omnium historiam iam usque a prima molitione nosse, vehementer optaret, praecipuam quandam in pervestigandis Tauti rebus diligentiam adhibuisse, quod satis intelligeret, omnium, qui lucem hanc aspexerunt, eum litteras principem invenisse, ac scribendorum commentariorum auctorem fuisse.*

Quam breve testimonium quam longas lites excitavit! Daniel enim Hue-

(*m*) *Syst. Intel. c.* I. §. 9.
(*n*) *Apud Stan. p.* IX. *c.* VI. *s.* I.
(*o*) *Lib.* III. *cap.* XXXVI.
(*p*) *Antiq. l.* I. *c.* XIV. *Tat. p.* 128.
(*q*) *Bochart. G. S. P.* II. *l.* II. *c.* XVII.
(*r*) *Casaubon. ad l. cit. Athenaei.*
(*s*) *Dem. Ev. Prop.* IV.
(*t*) *De Praep. Ev. l.* I. *c.* IX.
(*u*) *De Curandis Graecorum Affect. Ser.* II.
(*x*) *Witsius Aegyptia. l.* II. *c.* I.

Huetius *y* fidem cum habeat Porphyrio, fuisse Sanchuniathonem phoenicium historicum antiquissimum; deinde singula vel testimonii, vel oraculi verba ita interpretatur: Hierombalum esse Gedeonem, quem sacra pagina Hierobaalem dictum fuisse testatur, *z* a quo Sanchuniatho commentaria Moseos acceperit. Tautum aegyptium esse ipsum Mosem Sanchuniathonis. Quod si quae peccata chronologica habet locus Porphyrii, ut illud de Semiramide, iliacis temporibus aequali, non propterea de re tota esse dubitandum. In Huetium vero & Bochartum, & Grotium *a* impetum fecere rarae fidei homines, *b* qui partim nullum fuisse unquam Sanchuniathonem, partim nullum fuisse unquam interpretem Philonem Byblium, arbitrati fuere; sed vel Philonem supposuisse scripta Sanchuniathoni, vel Porphyrium more suo mentitum fuisse commentaria, & phoenicia Sanchuniathonis, & graeca Philonis. Heic opus est Palaemone aliquo maiore. ego vix audeo iudicium interponere. quamquam non possum tacere, mihi Sanchuniathonem fuisse videri antiquissimum, quem mendaciis suis nonnihil Porphyrius asperserit.

V. Probabilis est opinio Huetii, fabulam non esse a Porphyrio excogitatam, & Sanchuniathonis, & Philonis historiam.

Tertium Cadmum fecere philosophum phoenicium nonnulli iuniores. *c* quibus Cadmus dicitur cum in Graeciam navigasset, *Thebis extructis arcem cadmeam erexisse, & scholas instituisse, quas de suo nomine cadmeas nominaverit. earum postea tantam existimationem fuisse, ut omnes scholae eo nomine insignitae succedentibus temporibus academiae dicerentur.* Nihil horum facile Hornio accredo. Cadmus non Agenoris regis filius, sed vel culinae regiae praefectus, vel magister satellitum, e Phoenicia cum Harmionia tibicine cum aufugisset, *d* in Graeciam litteras advexit. *e* Academiae vero nomen non a Cadmo, sed ab Hacademo manasse, nemo est, qui nesciat. Sed Phoenicia relicta, alios invisamus philosophos, quos etiam in ipsa inveniemus Aethiopia.

VI. Cadmus non philosophus, non auctor academiarum primus.

CAP. VII. *AETHIOPICA philosophia*

PROP. I. *Aethiopbia etiam philosophata, cui Virgilius dat Atlanta philosophum.*

Itaque quam dictum sit sapienter, omnibus naturam ingenuisse cupiditatem veri inveniendi, *a* cum multa alia manifestant, tum omnis testatur factis potius, quam verbis antiquitas. vel haec aethiopum sapientia, in ipsis Africae terrae solitudinibus exculta, quam manifeste clamat, tantum esse sapientiae ingenitum animis studium, quantum ne maxima quidem barbaries extinxerit! Est enim satis certa fama, Aethiopiam suos habuisse philosophos. aethiopas enim, scribit *b* Lucianus, *reliquos homines sapientia antecellere*: astrologiae, & astronomiae primos aethiopas *rationem mortalibus tradidisse.* Diogenes etiam Laertius suffragatur sapientiae aethiopicae, aethiopas per aenigmata, atque symbola docuisse. Virgilius denique Atlantem facit aethiopem.

Oceani finem iuxta, solemque cadentem
Ultimus aethiopum locus est, ubi maximus Atlas
Axem

(*y*) *Dem. Ev. P.* IV.
(*z*) Suidas praeiverat Huetio in voce ιεροβααλ.
(*a*) *Apud Bruker. loc. cit. p.* 239.
(*b*) *Anton. Van Dalen. Henricus Dodwel. Henricus Ursin. Scalig. apud Bruck. loc. cit. p.* 238.
(*c*) *Fran. Iuni. de Academi. Hornius Hist. Phil. lib.* III. *c.* IV.
(*d*) *Bochartus G.S.P.*II. *l.*I. *c.*20.
(*e*) *Fab. B. Grae. V.* I. *pag.* 147.
(*a*) *Arist. l.* I. *Met. c.* I. *Tul. lib.* II. *de Finibus.*
(*b*) *Lucian. de Astrol.*

Axem humero torquet, stellis ardentibus aptum: c

d Qui idem habet, quae reperta Atlas docuisset. e nam crinitum Iopa personantem cithara inducit Atlantis dogmata, valde philosophica.

Hic canit errantem lunam, solisque labores;
Unde hominum genus, & pecudes; unde imber, & ignes.

II.
Philosophia aethiopica ab Aegypto profecta, non ab India.

Est autem admodum simile vero, sapientiam aethiopum ab Aegy pto primitus emanasse. plures enim sunt auctores, f aegyptios dedux se colonias suas in Aethiopiam. cuius rei multa sunt signa, vel quod o lim Aegypti nomen iis esset omnibus terris, g quas ab ipso fonte N lus alluit: vel quod *aethiopes* apud Festum dicantur *aegyptini*: vel quo illi *aethiopes*, qui ab Aegypto erant exorti, vocarentur, Pomponio M la teste, h *Automolae*: vel quod Diodorus moneat, *plurima* i *utrique gen fuisse communia*: vel quod denique Moses ipse k scribat, *Mesraim* aegyp parentem genuisse *Ludim*, sive aethiopas. Iam dubitari vix potest, qu aegyptii coloni secum exportarint, quam domi civem habebant, phil sophiam. Itaque non satis Luciano credendum arbitror, l aethiopas n rum coelestium *artem imperfectam aegyptiis finitimis tradidisse*. Multo ve minus Philostrato m consentimus, qui coloniam ab India deducit i Aethiopiam. hoc enim mendacium non unicum certe in vita Apollon quae tota ex dolis, fabulisque constat, obiicit Apollonio Aeneas G zaeus. n

III.
Aethiopes vel nulli, vel pauci admodum ἀθεοι, *plerique superstitiosi.*

Iam pene omnis est oblitterata imago sapientiae aethiopum antiquis mae. hi enim modo colores supersunt: o *eos putasse Deum unum esse im mortalem, qui rerum omnium causa sit; alterum mortalem, apud eos inc tum, & anonymum. reges habere pro diis. colendos esse deos.* Ex quo fac le apparet, vel eorum paucos atheos fuisse, p qui zonam inhabitarent tor dam, quique *fuerint Solem execrati & orientem, & occidentem tamqu ipsis pestiferum*; vel omnino nullos eo venisse impietatis, ut omnem vi divinam sustulerint. Quod si Homerum q audimus, valde superstitio aethiopas fuisse dicemus, apud quos Iupiter cum integro deorum coll gio fuerit.

Ζευς γαρ επ ωκεανον μετ' αμυνονας αιθιοπηας
Χθιζος εβη, μετα θεοι δ' αμα παντες εποντο.

Sin autem iudaeis r fidem habemus, aethiopas Mosis in religione d scipulos, in imperio parentes, ipsius numini, maiestatique devotos rep riemus. Sed haec credat iudaeus apella, non ego, qui nihil tale leg apud

(c) *L. I. seg.* IV. (d) *Lib.* I. IV. *Aeneid.* (e) *Lib.* I. *Aeneid.*

(f) *Bochar. Geog. S. P.* I. *lib.* IV. c. XXVI.

(g) *Olearius ad Philost. Apollonii Vit. lib.* III. *c.* XX.

(h) *De Sit. orb. l.* III. *c.* X.

(i) *Diod. l.* III. (k) *Gen.* X

(l) *Loc. cit.*

(m) *Vita Apol. l.* IV. *c.* XI.

(n) *In Teophr. p.* 23.

(o) *Diod. l.* III. *Conf. Plin. l.* IV c. XXIX. *Strabo l.* XVII. *Laer. l.* VI

(p) *Strabo l. c.* (q) *Iliad.*

Iupiter enim in Oceanum, ad bonos aethiopas
Hesternus ivit ad convivium. Dii autem simul omnes secuti sunt.

(r) *Artap. Apud Eus. Prae. Ev. l.* IX. *c.* XVIII.

apud Mosem. Ad extremum Aethiopia vix ullum peperisse dicitur nobilem philosophum. nam ille Philostrati Thespesio, illa iussu Thespesionis *f* salutio, qua arbor virginea voce excepit Apollonium, fabulae sunt philostrateae.

IV. *Atlas aequalis Moscos peritissimus ille quidem, sed non inventor tamen astrologiae.*

Atlantem quidem si non aethiopem, at certe libyum fuisse philosophum, auctor est hypponensis Augustinus, *t* cuius tanta fuerit doctrinae fama, ut libyam philosophiam maxime nobilitarit. Sunt, qui hominem esse iubeant *u* Enochum: sunt, qui illum faciant multo iuniorem, velintque aequalem fuisse Mosi. quibus, siquid mei iudicii est, consentio. Repertorem scientiae astrorum fuisse Atlantem, *x* & graeci, & latini magnam partem litteris prodiderunt. quae coelorum cognitio locum fabulae fecerit, Atlantem suis humeris coelum sustinuisse. Scribit enim Diodorus, *y* *nonnulli ferunt, Atlantem astrologiae fuisse peritissimum; deque sphaera primum inter homines disputasse, qua ex re visus est, coelum suis humeris sustinere, locum praebente fabulis sphaerae inventione.* Neque ob eam rem crediderim, ab Atlante ad alios populos siderum notitiam emanasse; cum videam babylonios eam referre acceptam *z* Ericho, phryges Cannaco. *ff* Illud mihi de inventione tota disciplinarum placere maxime, decies volo repetitum, alibi alios praestanti ingenio viros senescentes doctrinas resovisse, desuetasque revocasse.

CAP. VIII. *PHILOSOphia Zabiana.*

PROP. I. *Spencerus excogitavit philosophiam Zabiorum. quo nomine non arabas, non sabios, non significat sabaeos.*

Et vero tam communem fuisse olim philosophiam, vix ut ulla natio vel suos non habuerit, vel suos non dicta sit habuisse philosophos, saepe, postquam historiae philosophiae operam coepi navare diligentiorem, & video, & miror. Vel de Zabiis Arabiae philosophis quam vidit acute Ioannes Spencerus, qui, ut impiae doctrinae de lege mosaica colorem quaereret, quam ille quidem non afflatu Dei a Mose latam, sed studio humano excogitatam contra Zabios, fuisse, contendebat; eos homo non impius magis, quam acutus in ultima antiquitate vidit arabas philosophos, qui nunquam, qui nusquam, qui a nemine visi fuissent mortalium. Fabulam docere sic instituit. Arabes historici de Zabiis, viris eruditis, multa narrant: *b* quorum nomen non gentis, sed sectae cuiusdam fuerit. *c* nec enim qui arabes dicti sunt a Virgilio *sabaei*, d

Omnis arabs, omnes tergum vertere sabaei;

iidem hoc loco dicuntur *Zabii*. Praeterea ne *Sabii* quidem illi, qui etiam hodie ad mare persicum Bassorae plures vivere narrantur, *e* nec boni iudaei, nec boni christiani, nec Baptistae, ut ipsi videri amant, di-

H sci-

(*f*) *Loc. cit.*
(*t*) *De Civ. Dei l.* VIII. *c.* IX.
(*u*) *Eupolem. apud Euseb. lib.*X. *Prae. Evang. cap.* IV.
(*x*) *Euseb. in Chronicis.* (*y*) *Lib.* IV. *Aug. l. c.* (*z*) *Eupolem. l. c.*
(*ff*) *Fab.C.Pseud.V.T.T.*I. *p.*217.
(*a*) *De Legibus Hebrae. ritualibus*, quas compilatas ab ethnicis gentibus per Mosem fuisse, contendit evincere impie eruditus britannus *l.* II.*c.*I.
(*b*) *Hottingerus Bib. Ori. li.* I. *c.* VIII. *Hydeus Hist. Rel. Vet. Pers. cap.* III. *Pocockius Specim. hist. Arab .p.* 2.
(*c*) Et Arabes, & Viri isti eruditi *Pocockius. loc. cit. Le Moine Var. Sac. pag.* 685. putant Zabios omnes dici idololatras: sed *Spencerus p.*278.docet, certae cuidam sectae nomen fuisse.
(*d*) *Aeneid. lib.* VIII.
(*e*) *Le Moine Var. Sac. pag.* 685. & *Huet. De. Evang.* IV. *c.* IV.

scipuli boni: iidem sunt, atque *Zabii*. Assentior. erant enim multis ante seculis, quam notum nomen esset *Zabianum*, & arabes, & sabaei, & sabii. primus Mahummedes fuit, qui Zabios memorarit. *f*

II.
Auctor zabiorum non Sabius, non Zorodasbtus, non Iunanius.

At dicat Spencerus, qui potius antiquissimi *Zabii* fuerint, quam qui *Zabii* non fuerint. ego enim eos fuisse nullos opinor. non homines, credo, a Sabio, supposito Sethi filio, quorum doctrinam & Noemus fuerit, & Abrahamus amplexus: *g* haec aegrorum somnia sunt arabum. non a *Zorodasbto*, sive chaldaeo Zoroastre, magi: quos nunquam graeci praeteriissent *Zabios*, tanto doctore nobiles. *h* non a graeco quodam Iunanio, sive Iavanio, philosophi: quos omnibus tibiis concinuissent graeci suarum laudum praecones assidui. Et Spencerus quidem huiusmodi fuisse *formaliter* Zabios, *i* non docet; *materialiter* fuisse chaldaeos Abrahamo antiquiores, docet. Quae monstra verborum etiam extra scholam nata? nimirum *Zabii*, post Islamismum conditum, eandem insanientis doctrinae materiam, quam ante chaldaei effinxerant, retractabant; nondum disciplinae Zabianae formulas composuerant. Hoc si voluit Spencerus, nae ille quidem verum dicit. sed sese oblectet Spencerus cum suis *Zabiis materialiter* antiquissimis: ego Zabios ante Mahummedem nullos invenio.

III.
Vetustissimorum arabum inscitia.

At coniecturas erudito fundit ab ore sine fine Spencerus. ante Islamismum arabes habuere *linguae suae peritiam*, *k* habuere *sermonis proprietatem*, habuere *carminum texturam*, habuere *orationum compositionem*, habuere denique *stellarum notitiam*. Credo Abulfaraio testi, cui, si credat etiam Spencerus, fatebitur, *arabes Deum ad studia philosophiae idoneos non fecisse*. fatebitur, ante Islamismum *ignorantiae statum* arabes tenuisse. fatebitur, *stellarum ortus, & occasus*, rusticorum hominum nulli non cognitos, arabibus fuisse notos. tota enim arabum vetustissimorum sapientia in cavillis aruspicum, in mendaciis astrologorum, *l* in aenigmatis orientalium, in versibus pangendis, in orationibus, quae *arena sine calce recte dici posse viderentur*, erat olim constituta. *m*

IV.
Iobus non antiquorum unus zabiorum

Deinde ad arabes sapientes iam inde usque ab ultima aetate provocant Zabiorum patroni. Iobus, & qui cum Iobo disputationem prope academicam, aut etiam scholasticam inierant, arabes fuere. *n* Hoc vero est rem per se dubiam argumentis multo magis dubiam efficere. quis Iobus ille fuerit, qua vixerit aetate, qua in gente natus, qua rerum philosophicarum cognitione praeditus, dubitatur. Zabiis opus est praesidio firmiore. Ego philosophum non de Academia, non de Lyceo, non de Stoa otiosum, & loquacem; sed de interiore Dei admissione Iobum fuisse concedo. arabem, & Zabium, qui astra coleret, fuisse Iobum, ne ipsi quidem serio Zabii confirmarent.

At enim Salomon sapientia arabas vicit omnes. vicit etiam austri regi-

(*f*) *Spencerus* fatetur, neque graecos, neque latinos *Zabiorum* meminisse. *De Leg. Heb. Rit. l.* II. *c.* I. *Mahummedes* primus meminisse dicitur *Su.* II.

(*g*) *Pocck. l. cit.*

(*h*) *Eutych. An. Alex. T.* I. *p.* 63.

(*i*) *Loc. cit. Sect.* II. *ex testimonio Bruckeri T.* I. *ubi de Zabiis.*

(*k*) *Abulfaraius. Dyn.* IX.

(*l*) *Theodoretus Se.* I. *Porph. Vita Pyth. sec.* II.

(*m*) Verba sunt Pocockii.

(*n*) *Vid. lib.* II. *cap.* VIII.

reginam *o* secum congredi ausam. Quorsum vero istud accidet? vereor enim, ne nimius Zabiorum amor, Zabium nobis faciat Salomonem in ea etiam aetate, qua nondum a vera, solidaque sapientia defecerat. Vicerat Salomon & arabas, & reliquos Orientis populos non superstitione, non cavillatione, non auguriis, non observatione de coelo; quae Zabiis artes dicuntur fuisse praeclarae: sed ea potius eruditione, quae aenigmatis philosophiam morum occultabat. ut tota victoria, ac praestantia Salomonis arabas ostendat aenigmaticos fuisse, Zabios fuisse non ostendat. Quid enim aliud tota reginae Sabaeae contentio cum Salomone clamat, quam arabas aenigmatis fuisse delectatos? Quid? siquis reginam austri, non sabaeam, ex gente homeritarum, sed aethiopida faciat? Sed sit sabaea; zabia cur sit? *p*

V. Aenigmatica arabum oratio.

Ad extremum nobis obiiciunt & Pythagoram, qui philosophiae causa *q* arabas invisisse dicitur; & illos ex Iesuchristi Evangelio magos, qui Christum ex Arabia religionis causa inviserunt, doctos utique viros, & apprime sapientes. Quid? si Pythagoras non sit ad arabes peregrinatus? Quid? si speciosa fabula sit *r* tota ad orientales gentes expeditio Pythagorae? Age, adierit arabas. quid ex Arabia domum retulit Pythagoras, nisi artem interpretandorum somniorum somniis ipsis vaniorem? *t* Et Porphyrius, ad insaniam Pythagorae studiosus, nihil de Zabiis retulisset, si Zabios audivisset Pythagoras? mihi hercle non fit verosimile. Iam quid de tribus religiosis magis loquar? neminem esse opinor, qui litteras norit, quin criticas de illis legerit dissertationes. non qui fuerint, non unde venerint in Iudaeam; non quam essent artem professi, si cognitionem siderum excipias, nisi divinando exculpseris. *u* Et tamen magi testes Zabiis, ne de nomine quidem ab omni antiquitate cognitis, dabuntur?

VI. Nullum in Pythagora, nullum in magis evangelicis zabianae philosophiae auxilium.

Dicamus potius, quod res est, Zabianam philosophiam, sive potius ignorantiam, ex colluvione omnium errorum coaluisse. in quam undique collata dogmata sunt *x* & chaldaeorum, & aegyptiorum, & iudaeorum, & platonicorum, & gnosticorum paulo ante Mahummedis aetatem. At nequid intactum relinquamus, de libris Zabiorum, de sectis, deque scriptoribus pauca adiiciemus. Libri & plures, & magnis nominibus inscripti, *y* & valde fabulosi olim apud arabas ferebantur, ex quibus ille *De cultu Nabathaeorum* iamdiu factus est latinus hoc alio titulo, *De Agricultura Aegyptiorum*. Alter est satis notus *De Zabiorum Gente, & Moribus*, auctore Isaaco Zabio. qui cuiusmodi fuerint, tanti non arbitror scire. *z* Harbanistas sectam etiam faciunt Zabiorum, quibus illud esset veluti dogma classicum, Deum simul unum, simul esse plures. *a* quasi voluissent harbanistae insanienti praeludere Spinosae. Ad extremum unus est arabs philosophus antiquus a Mahummede valde commendatus, Lokmannus, *b* qui fabulas arabicas scriptas reliquit, quas latinas edidit suis notis Erpenius. Pro ara-

VII. Aetate Mahumedis colluvio errorum peperit zabianismum, & huius libros, & sectas.

(*o*) *Lib.* III. *Regum.*
(*p*) *Consul. Bochartus G. S. P.* I. *lib.* II. *cap.* XXV.
(*q*) *Porphyr. in* V. *Pyth.*
(*r*) *Vid. lib.* IV.
(*s*) *Porp. loc. cit.*
(*t*) *Cons. Io. Harduinus. in No. Test.*
(*u*) *Spen. loc. cit.*
(*x*) *Vid. lib.* V. *&* IX.
(*y*) *Hotting. Hist. Ori. p.* 176.
(*z*) *Vid. Pocock. loc. cit.*
(*a*) *Citati.* (*b*) *Sur.* XXXI.

arabe *c* non eſt operae pretium digladiari. ſatis a multis pro eo pugnatum eſt. *d* qui, utrum antiquiſsimus, *e* utrum iudaeus, utrum Aeſopus fuerit, nondum conſtituere potuerunt. Sed relictis, qui nulli fuere unquam, zabiis, quo nos ducit philoſophia, eo ſequamur, in Septemptriones, ubi philoſophos fortaſſe inveniemus.

CAP. IX.
PHILOSOPHIA hyperborea.

Et in malis quidem, quae ſaepe attulit Europae Septemptrio, a quo, ut ante fuit praedictum, hodie panditur omne malum, illud non incommode accidit, quod tenuis quaedam aura ſapientiae olim uſquequaque ab ea parte diffunderetur. qui enim celtae, ab Scythia profecti, domicilium in Germania, in Britannia, in Gallia, atque in Hiſpania *a* poſuere; ii ſecum ſapientiam quandam in ſuas deduxere colonias. quae qualis fuerit

PROP. I.
Scytharum vita philoſophica.

prius in Scythia, ſive in ultimis Europae angulis, in ipſo Aſiae confinio; deinde in Celtia, ſive in ſcytharum coloniis, videamus. Scytharum vita, & diſciplina valde erat ex praeceptis philoſophiae. Iuſtinus *b* enim cum ſcytharum vitam ſobriam, continentemque laudaſſet, valde ſcripſit videri mirabile, hoc ſcythis *naturam dare, quod graeci ſapientiae doctrina, praeceptiſque philoſophorum conſequi nequiverunt.* Neque teſtimonium minus glorioſum Scythiae dedere ex antiquis alii complures. *c*

II.
Inopia, non philoſophia vitae honeſtae parens in ſcythis, ubi vel ſectae, vel dogmata nulla.

Neque tamen philoſophiae, ſed inopiae potius tribuenda virtus ſcytharum. nam ille ipſe Iuſtinus *d* ſatis aperte indicat, durum vitae genus, neceſſariamque in ſumma rerum inopia continentiam *illis morum quoque iuſtitiam edidiſſe*, multoque plus in ſcythis ad honeſtatem valuiſſe vitiorum ignorationem, quam in graecis virtutis cognitionem. ut merito de ſcythis dixeris, *adeo quanto rerum minus, tanto minus cupiditatis erat.* Quod ſi magna apud philoſophos fuerit quorundam ſcytharum commendatio, *e* non eius erat conciliatrix philoſophia, ſed eximia quaedam & illuſtris naturae bonitas, quae praeſeferret *nativam quamdam notam aequitatis, probitatis, & iuſtitiae*, ut *f* loquitur Strabo. Neque vero erant ſectae philoſophorum, ſed nationes potius *g* ſcytharum *agrippei, abii, calvi, poliſtae. & ctiſtae*, quas nonnulli doctoratu philoſopiae, veluti in academia aliqua iuniore, donarunt. Etſi enim apud ſcythas quaedam mythologia, cognitioque rerum divinarum fuerit, quam *h* indicant *Oracula Scytharum*, & *Theogonia Abaris* a Clemente Alexandrino memorata; fueritque apud eos rata ſententia, & deos eſſe, *i* & animos non perire una cum corpore: *k* tamen vel omnes gentes ſunt habendae in philoſophorum numero, quae parem habebant de Deo notitiam; vel ſcythae non ſunt philoſophi habendi.

Quibus vero ſcythis philoſophiam negavimus, iiſdem antiquiſsimos non concedimus philoſophos. Abaris in cauſa verſatur. is ſcytha hyperbo-

(*c*) *Conſ. Fab. B. Graec. Vol.* I.
(*d*) *Hotting. Hiſt. Ori. l. cit. voc. Lokmannus.* (*e*) *Idem loc. cit.*
(*a*) *Chriſt. Cellarius.*
(*b*) *Lib.* II. *cap.* II.
(*c*) *Conſulendi Lucianus in Toxari. Strabo lib.* VII. *Herodotus l.*IV. *Arrianus lib.* IV.

(*d*) *Loc. cit.*
(*e*) *Paulo poſt.* (*f*) *Loc. cit.*
(*g*) *Strab. loc. cit. Tertullianus* XXIV. *De Praeſcriptionibus. Alex. ab Alexandro lib.* IV. *c.* XIII.
(*h*) *Paraen. Ad Gentes.*
(*i*) *Plutarchus In Convivio.*
(*k*) *Iulianus In Caeſar. Her. l.* IV.

boreus, Apollinis sacerdos, legatus ad athenienses de peste arcenda, discipulus Pythagorae *l* in Italia, ubique locorum thaumaturgus, equitator in arundine longa, sive mavis, sagitta, sibi muneri ab Apolline data, fuisse narratur. His ornamentis indutus Abaris totus est fabulosus. qui enim Abarin ita exornat Iamblichus, is candide fatetur, fictam esse personam theatro pythagoraeo. *Pythagoraei*, ait *proni sunt in fidem earum fabularum, quales de Aristaeo Proconnesio, & Abaride hyperboreo* referuntur. *m* Iam alia causa nova accessit initio Ecclesiae, cur antiqui mythologi novi fierent a philosophis thaumaturgi, quos, si divis placet, opponerent & Christo Servatori, cui oppositus est Abaris, *n* & apostolis, & apostolicis illis viris, quibus & Apollonius Tyanaeus, & Simon Magus oppositi fuere. Sed ego multa praetereo male cohaerentia in vita Abaridis. non convenit antiquis, quoto sit anno legatus Athenas: *o* quo in loco Pythagoram convenerit. *p* ut merito tota philosophia Abaridis una cum Libris magno nomini suppositis *q* sit in fabulis habenda. Abaris, credo, insignis praestigiator fuerit, qui pecuniae, non philosophiae inter peregrinandum studuerit. *r*

III. *Abaris praestigiator, non philosophus.*

De Zamolxi geta, conditore *s* scythicae philosophiae, multa sunt ab antiquis memorata, quae Oedipo egent interprete. Haec de illo alia alii tradidere. Zamolxis natione scytha fuit. *t* vixit aetate Pythagorae, *u* cuius servus, *x* discipulus utique fuisse, narratur. doctus omnem Pythagorae philosophiam getis tulisse leges, *y* arcana mysteria suos docuisse, doctrinam de migratione animorum druidibus primus tradidisse; pro deo a getis habitus fuisse scribitur. Rursus his contraria ab aliis memorantur. Hellanicus, *a* Zamolxim non getam, sed graecum; Herodotus, *b* neque servum, neque discipulum Pythagorae, sed Pythagora longe antiquiorem; Vossius, *c* non unum, sed duos Zamolxas facit. Ego nihil iudico sine tabulis legitimis. non liquet de Zamolxi satis.

IV. *Zamolxis dubius Scythiae philosophus.*

Sed iam satis est philosophorum spuriorum. duo sunt, aut non multo plures, scythae philosophi legitimi Toxaris, & Anacharsis, qui sunt a graeco Solone docti philosophiam. Toxaris in Scythia obscuro loco natus, *d* captus amore philosophiae, domo, familiaque relicta, contulit se Athenas; ubi tanta est cum Solone necessitudine coniunctus, ut nunquam ab eius latere discederet. Medicinam tanto honore professus est, ut inter heroas aesculapianos sit post mortem relatus. in cuius monumento quotannis equo albo publice athenienses facerent, quod pestem a se depulisse Toxarim opinarentur. *e*

V. *Toxaris Scytha philosophus, & insignis medicus.*

Anacharsis alter est scytha & domo & sapientia nobilis, qui cum fra-

(*l*) *Conf. Iamblic. In vita Pyt.*
(*m*) *Idem loc. cit.*
(*n*) *Origenes adv. Cel. lib.* III.
(*o*) *Brucker. tom.* I. *pag.* 355.
(*p*) *Iamblic. loc. cit.*
(*q*) *Fab. B. G. V.* I.
(*r*) *Iam. loc. cit.*
(*s*) *Laert. lib.* I. *s.* I.
(*t*) *Suidas Porphy. Iamblic. alii.*
(*u*) *Auct. iidem.*
(*x*) *Orig. philosophum. cap.* XXV. *Strabo lib.* VII. *Laert. Suidas. alii.*
(*y*) *Iidem auct.*
(*a*) *Hellanicus apud Etymolog.*
(*b*) *Menagius ad Laertium l.* VIII.
(*c*) *Loc. cit.*
(*d*) *L.* IV. *c.* XCV.
(*e*) *Lucian. In Toxari.*

VI.
Anacharsis, & Dicceneus scythae philosophi.

frater esset Saulii *f* scytharum regis, studio sapientiae adductus ad Athenas, recens doctrinae emporium. ibi cum Toxarin popularem suum invenisset, ab eo ad Solonem ductus, & in amicitiam traditus est. *g* Soloni placuit barbari scitum, & elegans ingenium, quod omnibus artibus expolivit suis. Anacharsis non satis sibi visus dives solonea sapientia, relictis Athenis, *h* philosophiae causa multa loca peragravit. reversus domum, vel quod sacra externa *i* intulisset, vel quod instituta graeca suis praeponeret, interfectus est a fratre Saulio. Scripta edidit *De Legibus Scytharum. De victus Frugalitate. De Re Bellica.* Epistolas etiam sunt, qui illi tribuant, *l* munus fortasse sophistarum. Tertius scytha Dicceneus, *m* tempore C. Iul. Caesaris dicitur scythas suos iusta, & solemni philosophia erudivisse. nec dubito, quin alii fuerint nonnulli, qui *n* *tantam ceperint philosophiam, quantamcunque gens capit semper armata.*

CAP. X.
PHILOSOPHIA celtica.

PROP. I.
Obscura philosophia celtica.

Qui ab scythis profecti sunt celtae philosophi, supra suos vel magistros, vel maiores nomine sapientiae commendati fuere. in omnes enim partes pervenit druidarum philosophorum gloria. *a* quibus tamen communi quodam loco philosophiam tribuas facilius, quam definias, a quibus philosophis, aut qualem philosophiam tribuas. id, quod duabus de causis accidere necesse est, altera quod druidae fas non esse arbitrarentur *b* *res & doctrinas suas litteris mandare*: altera quod graeci, latinique homines cum admodum sero, tum valde incerto celtarum philosophiam cognoverint. *c* Itaque de hoc genere toto pauca dicam, ut originem sectas, docendi rationem, capita doctrinae summatim persequar.

II.
Druidarum philosophia non a Pythagora, non a Britannia, sed ab Scythia est repetenda.

Origo celtarum, cuius etiam fuisse nominis germanos, gallos, britannos, hispanosque, auctor est Menagius *d* ex sententia antiquitatis ab Scythia ducenda est; unde si quis celticae philosophiae prima repetit initia, digitum in fontem intendere videbitur, modo is philosophiae nomine rudem quandam & rusticam scytharum sapientiam dignetur. Qui deinde inter celtas philosophiam professi sunt, druidae vocabantur *e* antiquissimum doctorum hominum genus. *f* nec enim a Pythagora profectum esse, utcumque id ferant multi & antiqui, *g* & novi scriptores, *h* est existimandum. non enim satis & temporum rationes, & aliorum suffragia eam laudem Pythagorae contribuunt. *i* At ne Caesar qui-

(*f*) *Laert. l.* I. *ſ.* CII. *Suidas In Anacharsi. Lucianus In Scytha.*

(*g*) *Laert. l. c.* (*h*) *Luc. l. c.*

(*i*) *Clemens Alex. Paraenesi ad Gent. Herod. Laert. alii.*

(*l*) *Laert. loc. cit.*

(*m*) *Iornandes lib.* II. *De Rebus Get.*

(*n*) *Curtius lib.* VII. *c.* VIII.

(*a*) *Vidend. Herod. lib.* I. *&* IV. *Strabo lib.* IV. *&* VII. *C. I. Caes. l.* IV. *de Bel. Gal. Solinus cap.* XXV. *Plinius lib.* IV. *lib.* VI. *& lib.* VII. *Not. Har. Mela lib.* II. *&* IV. *Gelius l.* IX. *c.* IV.

(*b*) *Caes. de Bel. Gal. l.* VI.

(*c*) *Conf. Iustin. l.* XLIII. *c.* II. *& Strab. l.* IV. *& Tacitus De Moribus Germ. & Athenaeus. l.* VI.

(*d*) *Ad Laer. lib. I. S. III.*

(*e*) *C. I. Caes. de Bel. Gal. l.* VI.

(*f*) *Arist. & Sotion. apud Laert. l. I. S. II. Origenes ad. Cel. l. I.*

(*g*) *Diod. Sic. lib. V. Ammianus Marcel. lib. XV. ca. IV. Val. Max. lib. II. cap. VI.*

(*h*) *Conf. Wolfius ad Orig. philosophum. cap. XXV.*

(*i*) *Vid. Bruck. t. I. pag.* 318.

quidem, *k* qui originem disciplinae druidarum a Britannia repetit; neque Tacito, *l* qui e Gallia in Britanniam advectam fuisse, iudicat; credendum opinor. video enim & valde multa contra eam rem, & valde dici probabiliter auctoritate antiquorum *m* a Christ. Aug. Fabretto Vir. Clar. ut ego minime dubitem, quin tota druidarum sapientia ab scythis in germanos, a germanis in gallos, britannosque primo fuerit derivata.

III. *Druidae apud germanos, gallos, britannos.*

Ergo druidas philosophos primum in Germania ponimus, a qua cum eos sustulit C. Iul. Caesar, *n* non satis certos habuisse visus est ea de re auctores. Tacitus in hac parte dignior cui credatur, *o* qui de sacerdotibus germanis ea narret, quae ipsis essent cum druidis communia. In Gallia vero potissimum viguisse druidas, omnis plena est testimoniorum antiquitas. In Britannia denique repertam disciplinam druidarum, *atque inde in Galliam translatam* p *esse, existimari*, ait Caesar. quo testimonio si non conficitur britannica origo druidarum, at certe eius disciplinae culturam diligentem in Britannia obtinuisse, conficitur.

IV. *Ordo triplex celtarum philosophorum, Druidum Eubagum, Bardorum.*

Iam quae sectae, ordinesve fuerint druidarum Ammianus Marcellinus scriptum *q* reliquit. *Studia*, ait, *laudabilium doctrinarum inchoata per Bardos, & Eubages, & Druidas.* Quae tria hominum doctorum genera commemorat Strabo, *r* nisi quod *Eubages* Marcellini, *vates* nominat. Atque ex his testimoniis habemus tres veluti classes celtarum philosophorum. primam druidarum, quorum nomen & universis fuisse commune, & certo cuidam celtarum philosophorum generi proprium videtur. quae princeps classis *fere de omnibus controversiis publicis, privatisque* constituebat: *s* heac ipsa docendae iuventuti praeerat, religiones moderabatur. Alteram eubagum, sive vatum, qui scrutantes *summa, & sublimia naturae pandere conabantur* t, qui ab *auspiciis, & victimarum extis de futuris* praedicebant, *omnemque plebem dicto audientem* habebant. *x* tertiam denique bardorum, qui infimi sapientes subsellii *fortia virorum illustrium facta heroicis composita versibus cum dulcibus lyrae modulis* cantitabant. *y* Quos vero druidarum vocat *z* Laertius *semnotheos*, quosque substituendos in loco Laertii *samnitas*, coniicit Galesius, *a* eorum neutri probantur illi Bruckero, *b* qui Laertio, sive Eubages, sive vates restituit. Ad extremum *saronidae* *c* theologi gallorum, & drysidae sunt ipsi druidae.

V. *Druidarum doctrina εσωτερικη, & εξωτερικη.*

Horum omnium sapientum in iis nationibus, quas ante dicebamus, collegia fuisse, illi ipsi sunt testes, quos saepe laudavimus. quibus omnibus unus praeerat, qui summam inter eos habebat auctoritatem. Et videntur quidem druidae auditores habuisse, & eximios, qui interioris essent admissionis; & vulgares, qui vitam ex eorum decretis moderarentur. ad druidas enim magnus adolescentium numerus disciplinae causa concurrebat. *d* hos in specu, aut in abditis saltibus docebant, *e* quorum

(*k*) *Lib. VI. cap. XIV.*
(*l*) *In Vita Agricolae. cap. XI.*
(*m*) *Biblio. Lubec. tom. II. pag. 24.*
(*n*) *C. I. Caes. lib. VI. cap. XXI.*
(*o*) *De Moribus German. cap. V. VI. VII. X. XI.*
(*p*) *Lib. VI. cap. XIV.*
(*q*) *Lib. XV.* (*r*) *Loc. cit.*
(*s*) *Caesar l. c.* (*t*) *Marcellinus l. c.* (*x*) *Diod. lib. V.*
(*y*) *Marce. l. c.* (*z*) *L. I. seg. III.*
(*a*) *Ad Laert.* (*b*) *T. I. p. 321.*
(*c*) *Diodor. l. V.* (*d*) *Caes. l. V.*
(*e*) *Mela lib. III. cap. II.*

rum nonnulli annos vicenos in disciplina , credo , permanebant ea d causa , quod magnum numerum versuum ediscere cogerentur hoc tardiu quod fas non esse existimarent , doctrinas suas litteris mandare ; *f* quod que antiquorum more aenigmatice *g* philosopharentur. At populum vel uti pro concione ad fortia facta *h* hortabantur. *unum ex iis* , inquit Me la , *in vulgus effluxit , videlicet , ut forent ad bella meliores , aeternas e animas.* Atque haec mysteriosa, & abdita doctrinae ratio fecit , ut vi doctrinae summam philosophiae celticae noverit posteritas.

CAP. XI.
PHILOSOphia hispanica

PROP. I.
Antiquissima turdetanorum eruditio.

Sed de gallis dictum satis. Hispaniae nostrae diutius deberi non po est testimonium antiquissimae sapientiae , quo fuisse privatam ab his o mnibus , qui historiam philosophiae sunt persecuti etiam in ultimis te rarum angulis , & miror , & doleo vehementer. est enim antiquis scr ptoribus satis indicata hispanorum philosophicae quaedam ratio doctrina cum eiusmodi , quae advenis mercatoribus in Hispania esset antiquio tum etiam , quam ab exteris nostri maiores didicissent. Strabo enim *a* d litteris turdetanorum memorat antiquissimis , qui *inter Hispaniae popul sapientia putantur excellere , & litterarum studiis utuntur , & memorand vetustatis volumina habent , poëmata , leges versibus conscriptas e sex ann rum millibus , ut aiunt.* Ego vero tantum non accipio , quantum turdeta Strabo dat. illud mihi sumo , sapientiam hispanorum antiquissimis vigui se temporibus , quam si deletis monumentis omnibus , litteris etiam nu morum antiquissimorum incognitis , vel describere , vel recensere n possumus ; propterea non negare debemus.

II.
Celtica philosophia hispanorum, etiam communis.

Iam postquam celtae in Hispaniam prope desertam fame , & ste litate colonias deduxere , *b* quin suam secum adduxerint philosophia non nisi temere possumus dubitare. Valerius enim Maximus *c* concep verbis de philosophia hispanorum testificatur. *avara* , ait , *& foenerat gallorum philosophia : alacris , & fortis cimbrorum , & celtiberorum.* Et v fortem philosophiam hispanorum in agendo , *qui in acie* d *exultaba tanquam gloriose , & feliciter vita excessuri* ; quique *nefas esse ducebant , pr lio superesse , cum is occidisset , pro cuius salute spiritum* e *devoverant* , a d gmate maxime philosophico , animos esse immortales , quod erat om bus commune , *f* iudico repetendam. Quod enim docebant galli phi sophi cives suos , *ut forent ad bella meliores* , g *aeternas esse animas* ; h hispani nostri praestabant : *h*

Prodiga gens animae , & properare facillima mortem.
Namque ubi transcendit florentes viribus annos,
Impatiens aevi spernit novisse senectam,
Et fati modus in dextra est.

Sed non semper ex scripto agamus. demus aliquid coniecturae. I lud

(*f*) *Caesar. Mela loc. cit.*
(*g*) *Laert. lib. I. S. VI.*
(*h*) *Laert. lib. I. S. X.*
(*l*) *Mela lib. III. cap. II.*
(*a*) *Strabo l.* III. in quo meminit cuiusdam Asclepiadis Myrliani in Turdetanis Ludimagistri , opinor , graeci , sed iam in imperio roma
(*b*) *Mariana lib.* I. (*c*) *L.* I
(*c*) *Val. Max. loc. cit.*
(*f*) *Mela Lib.* II. alii laud supra.
(*g*) *Loc. cit.*
(*h*) *Silius Italicus l.* I.

lud in hiſtoria philoſophiae conſtat, commercio exterarum nationum fuiſſe propagatam longe, lateque philoſophiam. vel illa Graecia, quae videri volebat omnium bonarum artium parens, totam ſapientiam ſuam *i* ab aegyptiorum, ac phoenicum conſuetudine acceperat. Omnino illud accidit, ut negotiatores aeque bona, ac mala ſua in omnes eas deferant nationes, quibuſcum commercia inſtituunt. Quid? cum olim populis philoſophatoribus eo loco eſſet Hiſpania, quo nunc hiſpanis eſt America, fierine potuit, ut phoenices, carthaginenſes, phocenſes, graeci alii, *k* cum domicilium in Hiſpania ponerent, ſapientiam domeſticam cum iſtis non communicarent? Ego ante Horatium ſaepe credo, exteris licuiſſe Horatii ſententiam uſurpare, *me peritus diſcet Iber.* Sed quoniam plura non potuimus Hiſpaniae antiquiſsimae dare teſtimonia, quae pauca potuimus, libenter dedimus.

III. *Exterorum philoſophia probabiliter cum hiſpanis communicata.*

CAP. XII.

ROMANA philoſophia.

PROP. I.

Etruſci docuere romanos.

Neque antiqui Romani antiquos hiſpanos ſapientia vincebant. nam ſi quam primis illis temporibus & regni, & reip. coluere romani philoſophiam, cui certe exiguum inter militares viros erat pretium; ea non alia, quam etruſcorum, aut vicinarum gentium fuit. advenae enim, paſtoreſque Romuli ex colluvie proximarum gentium conſociati, vicinam ſecum contulere vel inſcitiam, vel ſcientiam. Vicina erat Etruria, quae quam didicerat artem divinandi, eam docuit romanos. philoſophiam opinor non docuit. tota enim etruſca doctrina ſapientiae tam gravi nomine non eſt appellanda, niſi quis augurem vocare velit philoſophum. Etruria quidem *genitrix, & mater ſuperſtitionis* artem *a* auguralem didiciſſe ſe a Tage, neſcio quo, *b* mentiebatur. in qua arte nihil valde apparet philoſophicum.

II. *Etruriae de Deo doctrina non ſic ſatis ſana.*

Neque enim Cudworthio aſſentior, *c* de Deo ſatis orthodoxe conſtituiſſe etruſcos. primum enim cum vix ulla ſuperſint, non dicam monumenta, ſed ne fragmenta quidem *d* etruſcae diſciplinae, inibi res eſt, ut non niſi temere confirmare poſsimus, recte augures de rebus ſtatuiſſe divinis. nam quae Seneca litteris prodidit, *e* ut non ſint ſtoicorum cauſa alioverſus interpretata; tamen ſunt eiuſmodi, quae rectam de Deo non aperiant ſententiam. cum enim ex etruſcorum diſciplina *f* dixiſſet, *Fulmina a Iove mitti: ne hoc quidem*, ait, *crediderunt, Iovem qualem in Capitolio colimus, mittere manu fulmina; ſed eundem, quem nos ſtoici, Iovem intelligunt, cuſtodem, rectoremque univerſi, ANIMVM, ac SPIRITVM mundani huius operis ... cui omne nomen conveniat, ſcilicet fati, providentiae, naturae, mundi*: qui *g* denique ſit *totum, quod videmus.* Haec, *h* ſatis ſcio, non eſt orthodoxa ſententia.

III. *Teſtimonium*

Deinde quae recitat Suidas *i* ſcriptoris etruſci, neſcio cuius, verba, ea non ſunt melioris notae. *Deum duodecim annorum millia univerſi huius crea-*

I

(*i*) *Vid.l.*IV. (*k*) *Io.Marian.Liv.*

(*a*) *Arnob. lib.* II. *Ad. Gentes.*

(*b*) *Marcel. li.* XXI. *Ovid.Meta. l.* XV.

Indigenae dixere Tagem, qui primus etruſcam
Edocuit gentem caſus aperire futuros.

(*c*) *Syſt. Intell. cap.*IV. §.XXV.

(*d*) Libri de Diſciplina Etruſcorum a Tagete, a Labeone Antiſtio, a Tarquitio periere. *Viden. Dempſterus ad Roſini Antiq.p.*276.

(*e*) *Nat. Quae. l.*II.*c.*XIV.

(*f*) *Lo.cit.*

(*g*) *L. cit.*

(*h*) *Loc. cit.*

(*i*) *T.* III. *v.* Τυρρηνία.

infirmum pro Etruria a Suida servatum.

creationi impendisse: primo millenario fecisse coelum, & terram; altero fecisse firmamentum, coelumque vocasse; tertio mare, & aquas omnes; quarto solem, lunam, & stellas; quinto omnem animam viventium. videri itaque ante formatum hominem VI. M. annorum praeteriisse; hominum vero genus VI. M. esse duraturum. habemus universum consummationi tempus, quod Deus nemini aperuit, ab etrusco VI. M. annorum esse definitum. Atque haec auguria satis consentiunt iis, quae memorat Plutarchus, *etruscos* l *sapientes mutationes in aliam aetatem, & genus hominum, mundique quandam conversionem portento, quod tempore Marii evenisset, praedicavisse. esse enim iis universim octo genera vita, & moribus inter se diversa: unicuique praefinitum a Deo certum temporum numerum, qui magni anni periodo limitatur.* Quae si non sunt omnia ab stoicis excogitata, certe parum sunt orthodoxa.

IV. *Numa suffragio Plutarchi philosophus.*

Sed iussis etruscis non philosophari, sed observare de coelo, ad romanos antiquissimos veniamus, qui sapientiam quandam hereditariam a troianis, latinisque profectam fortasse retinuerint; philosophiam certe non nisi sero civitate donarunt. *m* nam etsi philosophus dicatur fuisse Numa Pompilius, philosophiam tamen non docuit romanos. Et fuisse quidem Numam egregium philosophum, si quis censuerit, non iniquo Iove iudicarit. *n* multa enim a Plutarcho dicuntur, quae philosophiam Numae concilient, eum fuisse *instructum non tam peregrinis artibus, quam disciplina tetrica, & tristi veterum sabinorum, quo genere nullum quondam incorruptius fuit*: licet autem coniicere disciplinam sabinorum non valde a philosophia abhorruisse; *o* multa a Numa, philosopho dignissima, fuisse instituta; libros Numae quadringentis post annis e tumulo effosos, qui essent de rebus scripti philosophicis, in comitium allatos, combustosque fuisse; *p* vitam denique totam Numae florem esse philosophiae.

V. *Numa si non pythagoreus, non idcirco non erat philosophus.*

Haec vero quam dicantur probabiliter, nemo non videt, opinor, maxime cum omnes Numae tribuant, *q* & in constituenda civitate sapientiam, & in moderanda prudentiam, & in mitiganda feritate morum romanorum accommodatam religionem. Nec propterea creandus erit Numa pythagoreus ante Pythagoram natum. in quo versatus est error ab antiquissimis temporibus. Auctorem doctrina Numae, inquit Livius, *r* *quia non extat alius, falso samium Pythagoram edunt. quem Servio Tullio regnante Romae, centum amplius post annos in ultima Italiae ora circa Metapontum, Heracleamque, & Crotona invenum aemulantium studia coetus habuisse, constat.* Non enim video, cur non alius Pythagoras, cum multi fuerint cognomines, *s* Numae magister fuisse dicatur: cur non ipse samius Pythagoras ab eodem sabinae sapientiae fonte, unde prius disciplinam tristem, & severam Numa derivarat, dicendus sit deinceps hausisse philosophiam. *t* sed satis sit in re dubia hactenus coniecisse, alii oracula fundant.

BAR-

(*l*) *In L. Sylla.* (*m*) *Consul.Gell. l.* XV. *c.* XI. (*n*) Multi philosophum fecere Numam. *Vid.Liv. l.*I. *c.* XVIII.*Plutarc.in Numa.Eusal.*IX.*Pr. Ev.c.*III.*Horn.l.*IV.*c.*III. (*o*) *Histoire critiq.de la philosop.T.*III.*p.*7.*Horn.l.c.*

(*p*) *Liv. lib.* XL. *Plin. lib.* XIII. *Lactant. l.* I. *Aug. De Civ. Dei l.*VIII. *c.* V. *ibiq. Lud. Vives.* (*q*) *Conf. Cic. l.* II. *De Orat. & l.* III. *& Plut. l. cit.* (*r*) L.I. *c.* XIX. (*s*) *Plut. loc. cit.* (*t*) *Plut. loc. cit.*

BARTHOLOMAEI POVII E SOCIETATE IESU INSTITUTIONUM HISTORIAE PHILOSOPHICAE

LIBER IV.

DE PHILOSOPHIA GRAECANICA.

CAP. I. *PHILOSOPHIA mythologica graecorum.*

PROP. I. *Ubertas summa graecae philosophiae.*

Graecia illa bonarum artium, doctrinarumque omnium parens, ut olim hortus feracissimus fuit, ubi diu laetissima floruit philosophia; sic in maxima vastitate, quam illi turcica attulit barbaries & ignorantia, campus est hodie, ubi philosophia fuit, sed ille tamen campus, ubi nostra haec exultet, & triumphet historia philosophiae. nam tanta est rerum dicendarum ubertas, & testium excitandorum numerus; ut huius libri difficilius sit exitum, quam principium invenire. in quo mihi non tam copia, quae me ante deficiebat, quam modus, qui difficilis ferme est in rerum affluentia, quaerendus erit.

II. *Graeca philosophia omnis divisa est in partes tres.*

Philosophiae autem graecanicae ratio universa divisa est ipsa per se in partes tres. quarum una *fabulosa* Prometheum, Linum, Orpheum, Musaeum, Eumolpum, Amphionem, Thamyrin, Melampoda, Hesiodum, Homerum, & Epimenidem complectitur. Altera *civilis* partim est legislatorum Zaleuci, Charondae, Triptolemi, Draconis, Solonis, Lycurgi, Rhadamanti, Minois; partim illorum, quos septem Graecia dixit sapientes, Thaletis, Solonis, Chilonis, Pittaci, Biantis, Cleobuli, Periandri. Tertia *artificiosa*, quae a locis *Ionica*, & *Italica* dicta, plurimas continet familias, alteras alteri veluti civitati scriptas. Ionica numerat familias ionicorum, socraticorum, cyrenaicorum, eliacorum, megaricorum, academicorum, aristotelicorum, cynicorum, & stoicorum.

rum. *Italica* non tam faecunda habet pythagoricos, eleaticos, heracliticos, epicureos, & pyrrhonios. Heic ne opus materia superet, adhibenda a nobis erit ratio diligentissima.

III.
Philosophia mythologica naturam explicat involucris fabularum.

Primis illis quidem Graeciae temporibus, cum coloniae ad eam deducerentur, omnis illius philosophia *mythologica* erat. voco autem philosophiam mythologicam, sive fabulosam, quae de natura Dei, de spiritibus, de sideribus, de moribus, de mundi origine, deque interitu, non simplici philosophorum oratione recte, & ex ordine dissereret; sed portentis, involucrisque fabularum poëtica licentia commentaretur: cuiusmodi philosophiam & Orphei fragmenta, & Hesiodi carmina nobis manifestant. Haec autem omnis philosophia non apud graecos nata, sed ab aliis colonis alia inducta fuisse videtur in Graeciam. multi enim memoriae, litterisque proditi sunt coloni Graeciae. qui ab Aegypto profecti essent, Danaus, Phoroneus, Cecrops; qui ex Phoenicia, Cadmus; qui ex Thracia, Orpheus. Multi vero sunt auctores, *a* primam graecorum de Deo institutionem, primam religionem, primas ceremonias, primam philosophiam mythologicam ortam ab illiusmodi colonis fuisse.

IV.
Philosophia mythologica talis invecta Graeciae, qualem domi prius habuere coloni.

Et vero origo, & patria religionis graecanicae in causa fuit, cur mythologica, & fabulosa, & mysteriosa esset pristina graecorum philosophia. primi enim conditores oppidorum, quam domi didicerant sapientiam, reconditam, & allegoricam, quae in Aegypto, Phoenicia, Thraciaque *b* colebatur; eam novis coloniis intulere. maxime cum fieri non posse crederent, *c* ut promiscua multitudo oratione philosophica, quae fere non tangit animos, excitata duceretur ad fidem, pietatem, religionem; *sed superstitione ad eam rem praeterea opus esse, quae sine fabularum portentis incuti non potest.*

V.
Mythologia graecanica non symbola temporum, non illustres hebraeos; sed rerum naturam velo occulebat.

Itaque omnis mythologia graecanica, maxime vero antiquissima, eas ipsas res velasse credenda est, quas prima colonorum patria in mysteriis reconditas haberet; Deum, Dei artificis opera, sortem gentis humanae, heroas de rebus humanis bene meritos, ob eamque rem relatos in deos. *d* quae multo est probabilior, multo etiam magis probata opinio de origine, ac vi mythologiae, & superstitionis, quam quae placuit Plucheo de symbolis temporum, apud priscos mortales sensim divinitate per ignorationem donatis; quam quae studio, & erudita industria suscepta est a Daniele Huetio, de viris illustribus hebraeorum in deos gentium mutatis.

Haec vero mystica, & obvoluta verborum maiestate philosophia non longam in ea natione tulit aetatem, quae ad sapientiam, splendoremque doctrinae nata, lucem ex fumo dare, non fumum ex luce suopte posset ingenio. poëtae propius in eas religionis tenebras ausi accedere, *e* cum per nebulam *aliqua opera naturae sub allegoriis contineri* vidissent; *f* idem

a *Consul. Clemens Alex. Paraenes. Ad Gent. Herodot. lib. II. Arnob. lib. VII. Pausanias In Arcad.* b *Ioan. Cleric. in Notis Hesiodi multis locis rem ostendit.* c *Strabo lib. I.* d *Dionys. Halicarnass. l. I. Antiq. Plinius l. II. c. XVII. Thomas Galaeus In Opusculis Mythologicis ex veterum auctoritate.* e *Fragmenta Poëseos philosophicae collegit Henricus Stephan.* f *Halicarn. loc. cit.*

idem sibi licere, quod conditoribus publici cultus licuisset, arbitrati, novis fabulis antiquas fabulas ita ornarunt, ut philosophiam mythologicam reddiderint, si minus illustriorem, at certe multo magis locupletem. Atque ut olim aegyptii cum perversa superstitione religionem prius constitutam haberent, deinde eam philosophicis rationibus munire conati sunt; itidem graecis evenisse existimem, quorum fabulae *quaedam* g *humanarum calamitatum habent rationes, quaedam terrores, animorumque perturbationes a nobis depellunt, opinionesque parum honestas refellunt, quaedam cuiusdam alius utilitatis causa sunt institutae.* h

VI. *Graeci poetae augent, novantque mythologiam.*

Sed ad philosophos fabulatores accedamus. de quibus multi magis sunt fabulati, quam quantum illi de natura quondam fabularentur. *i* Prometheus primas agat partes in historia fabulosae philosophiae. fuit enim, si Tullio *k* credimus, *cuius divina cognitio nomen ad errorem fabulae traduxit.* Est autem admodum probabile, quemdam fuisse virum illustrem, optime de graecis meritum, quibus inventa multa tradiderit, rudimenta disciplinarum, & elementa litteraturae, artem medendi, auguria, vaticinia, sacrificia, techtonicam, astrologiam, sophisticen. quid plura? *l*

VII. *Philosophus mythologicus Prometheus vitam inventas per artes excoluit.*

Ut cuncta dicam, pluribus ne te morer,
Artes reperta quaeque sunt Promethei.

Quae causa fortasse fuit, cur Prometheus e luto hominem finxisse diceretur, cur ignem aetherea domo subductum, fraude mala gentibus intulisse. quasi graeci ante Promethei reperta luteae hominum effigies, post reperta communicata, vividi, & splendidi homines fuissent. *m*

Quoniam vero mediis in fabulis haeremus, musicos, qui nos oblectent, Linum, Amphiona, Thamyrin advocemus. qui iidem philosophiae, iidem peritissimi musicae fuisse dicuntur. Ergo Linus, qui Vossio nullus est, *n* Cluverio & Adamus, & Zoroaster est, *o* unus Chalcidicus, *p* alter Thebanus, *q* tertius fuit Narcissus. *r* Primum facimus philosophum, *s* qui cultum Saturni instituerit, *t* qui *rhythmos* invenerit, *u* qui carmen lyricum induxerit, *x* qui res deorum scripserit, *y* qui cosmogoniam,

VIII. *Linus Chalcidicus ob reperta, & scripta habendus philosophus mythologicus.*

g *Halicarn. l. ci.* sed consulendus eruditorum facile princeps *Tourneminius è Soc. Iesu Memoires de Treboux tom.* VI. *pag.* 83. h *Natalis Comes Mythlog. Lilius Giraldus de Diis. alii.*

i *Cic. Tus. Quaes. li.* V. k Negant extitisse umquam *Prometheum Plotinus Ennea.*IV. *lib.* II.*cap.* XIV. *Nicephorus ad Synensium de Insomniis. Iulia. Apostata Orat.* VI. alii Iuniores, ut *Rhodiginius lib.*VII. *Ant.Lec.cap.*XIX. *Eugubinus l.* IX. *de Peren. Phil. c.* IV. sed hi omnes non ii sunt, qui cornicum oculos, vel configere, vel antiquitatem totam redarguere possint.

l *Aeschylus in Prometheo Vincto. Tul. Tus. Quaest.* II. m *Hor. car. l.* I. *od.* XIV. huc fortasse repexit.

Fertur Prometheus addere principi
Limo coactus particulam undique
Desectam, & insani Leonis
Vim stomacho apposuisse nostro.

n *De Arte Poetica pag.* 78.

o *German. Antiq. l.* I. *ca.* XXIV.

p *Pausanias in Boeoticis. Suidas t.* I. *voc. Linus. Natalis Comes lib.* IV. *c.* X. *Menagius ad Laer. lib.* II. *Seg.* IV.

q *Suid. lo. cit.* r *Eustathius ad lib.* VI. *Iliad.* s *Natalis Comes l. c. Fab. Bib. Gr. Vol.* I. t *Theophil. ad Autoly. lib.* III. u *Diodor. lib.* III. x *Suidas l. c.* y *Laert. l.*I. *s.*42.

niam, solis, lunaeque cursus, animantum, frugumque propagationem operis hoc exordio suscepto persecutus fuerit, z

ην ποτε τοι χρονος ουτος, εν ω αμαπαντ᾽ επεφυκει.

qui sit inter Graeciae sapientes annumeratus, a qui denique reliqua habeat hodiedum dogmata b philosophiae. Alterum Linum Thebanum, Ismenii filium, quem Hercules c ideo dicitur cithara interfecisse, quod plagis ab eo castigatus propter cessationem in studio musico, ingeniique tarditatem fuisset; philosophum Suidas appellat. d

IX.
Amphion philosophus peregrinator, musicus, & mythologicus.

Iam *qui movit Amphion lapides* e *canendo*, chorum ducat inter philosophos fabulatores. Iovis, & Antiopes filius, f Lydii in musicis discipulus, g in Aegypto doctrinae causa peregrinatus, h deinde ad graecos reversus, thebanosque ad cultum vitamque civilem hortatus; i

Dictus est Amphion, thebanae conditor arcis,
Saxa movere sono testudinis, & prece blanda
Ducere, quo vellet. fuit haec sapientia quondam.

Itaque inter philosophos vetustissimos habitus est Amphion a Iuliano Apostata, k qui in illo commendat & inventionem musicae, & ingenium divinius, & studium philosophiae musicae.

X.
Thamyris cosmogoniae scriptor, poeta, & mythologicus philosophus.

Tertius est Thamyris magno malo suo musicus, & philosophus. is quidem origine graecus, Philamonis, & Agriopae l filius, in Thracia natus est, quem scythae musica deliniti, regem fecerint. m Musas cum certamine cantus provocasset, n victusque decessisset, oculos amisit in poenam, & artem dedoctus est. o iratae enim musae

πηρον θησαν, αυταρ αοιδην
θεσπεσιην αφελοντο, και εκλελαθον κιθαριςυν.

Iam ego libens mythologis relinquo eliciendum fabulae sensum. p illud mihi sumo, Thamyrin scripsisse & cosmogoniam, q & theogoniam, r & bellum titanum: s quae tria verbo, unum re fuisse scriptum, coniicit Bruckerus t satis probabiliter.

Quoniam vero cosmogoniae meminimus a Thamyri conscriptae, de iis dicamus philosophis, qui eodem in argumento versati fuere. Hi fere memoran-

z *Laert. lib.* I. *s.* IV. Negat *Pausanius loc. cit.* quidquam scripsisse Linum Chalcidicum; at *Sex. Emp. adv. Math. lib.* I. ponit Linum in iis, qui ante Homerum scripsissent. a *Lt. lib.* I. *s.* XLII. b *Wolfius tom.* III. *Anecdot Graec.* qui excerpta Damascii edidit, habet ex Damascio: ου γαρ εντι, αλλα παντα εν, ως λινως τεελεγε, και πυθαγορας. *Vid. Iamb. De Vit. Pythag. c.* XXVIII.

c *Pausan. l.c. Diod. l.c.* d *L.c.* e *Hor. car. l.* III. *od.* XI. f *Cons. Natal. Com. Myth. lib.* VIII. *cap.* XV. g *Gottfrid. Olearius ad Philostrati loc. l.* I. *ca.* XI. h *Paus. in Eliacis Posterioribus.* i *Horat. Art. Poetic.* k *Suidas* nobis testimonium servavit *tom.* I. *in voce Amphion.* l *Eustathius in B. Iliad.* m *Conon apud Photium cod.* XXXVI. Reliqui auctores nihil tale ferunt. n *Pausan. in Messenicis.* o *Homerus Iliad. B. v.* DLXV. p *Cons. Natal. Comes l.cit.* q *Ztetzes Chiliade* VII. r *Suid. in V. Thamyris.* s *Plut. de Musica.* t *Tom.* I. *p.* 402.

morantur Musaeus, Melampus, Orpheus, Hesiodus, Homerus, & Epimenides. de quibus singulis est, quod dicere possimus. nam de aliis cosmogoniae architectis, quos Fabricius memorat, *u* vix nomen, praeterea novimus nihil. Itaque Musaeus, non fictum nomen, *x* non sub simili nomine Moses, *y* non sub uno nomine quadripartitus; *z* sed civis fuit atheniensis Eumolpo patre, Selene matre natus, *a* Orphei discipulus, *b* tamque valde charus praeceptori, ut eum filium ex scriptis nominaret. *c* Philosophus fuit egregius: quippe qui theogoniam *d* ex sententia Orphei doctoris ediderit. medicus est habitus, cui liber ab Aristophane *e* memoratus, *De principiis curandorum morborum* sit ascriptus. astronomus ille idem, quem *fecisse primum sphaeram*, scribit Laertius. *f* vates cui *Oracula*, cui sacra cereris eleusinia *g* in acceptis referuntur. poëta denique, qui posteritati scriptum reliquit *Hymnum in Cererem*. *h* Quae vero alia scripta Musaei nomine circumferuntur, ambitiose magnum mentiuntur auctorem. *i*

XI. *Musaeus non fictitius, non Moses, sed atheniensis civis, Orphei discipulus, theogonicus fuit scriptor.*

Melampus argivus, Amythaone, & Aglaia natus, tam fuit laude sapientiae nobilis, ut proverbio illi, *Melampode, & Pollete* k *indiget*, de re ad intelligendum difficili usurpari solito, occasionem dederit. A phoenicibusne, *l* an ab aegyptiis didicerit *m* mysteria, & arcana dogmata, *n* sacra Bacchi, gigantum pugnas, amores deorum, *o* vaticinia, *p* avium cantus, *q* medendi artem magicam, *r* qua insano Proetidas argivorum regis filias furore liberavit, *s* incertum est. Melampodi vita functo argivi posuere templum, anniversaria fecere sacra. Itaque egregius fuisse videtur philosophus Melampus, ut in exordio, fabulisque sapientiae graecanicae. cui tamen suppositum librum *t* credimus *De Divinatione ex Palpitationibus Membrorum.*

XII. *Melampus illustris philosophus, mythologus, medicus.*

Orpheus posteris nobilem famam sapientiae reliquit, facinora certa non item. multi olim de Orpheo multa litteris mandaverant, *u* quae rapuere omnia venti. Quin etiam multi, bonique sunt auctores, *x* nunquam, & nusquam visum esse inter mortales Orpheum, quibus magna cum manu *y* scriptorum resisto. nam si mendacium nunquam est de nihi-

XIII. *Orpheus non fictitium nomen, in Aegypto mytholo-*

u *Fab. B. G. V.* I. x *Vossius de Poet. c.* XIII. putat nomen esse mythologicum, Musaeum esse fabulosum. y *Huet. Dem. Ev. Pro.* IV. *cap.* VIII. Musaeum Mosen facit, & eamdem cantinelam canit. z *Meursius* quatuor faciat Musaeos. a *Menagius ad Laer. lib.* I. *s.* III. b *Fab. B. G. V.* I. *Serv. ad l.* IV. *Aeneid. v.* DC.LXVII. c *Iustin. Martyr. Cohort. ad Graecos.* d *Laer. l.* I. *s.* III. e *In Avibus Act.* IV. *Scena* II. f *Loc. cit. Menag. ad eum locum. conf.* g *Conf. Meursius De Sacris Eleusiniis.* h *Pausan. in Atticis, & in Messeniacis.* i *B. G. V.* I. *p.* 102.

k *Marinus in vit. Procli. cap.* X. *Suidas in Melam.* l *Herod.* ita docet *t.* II. *ca.* XLIX. culpatus *a Plut.* m *Diod. lib.* I. *cap.* IVC. *& Clem. Alex. Protre.* n *Tertul. in Apologet.* o *Diodorus & Clem. Alex. loc. cit.* p *Apollodorus lib.* I. *Tul. de Legib. lib.* II. q *Conf. Eustath. ad Iliads a p.* 63. r *Pausan. lib.* VIII. *p.* 253. s *Apollod. l.* II. *Pauf. loc. ci. Virg. Eclog.* VI. *Servius in eum loc.* alii aliter referunt. t *Fab. B. G. V.* I. u *ibi. p.* 110. x *Tul. l.* I. *de Nat. De.* citatque Aristotelem, qui de ea re tacet. y *Plato De Rep. l.* X. *Diod. l.* IV. *c.* XXV. *Origen.* z *Suid. V. Orph.*

giam doctus, graecos rexit, tigres, rabidosque leones.

nihilo, quanto minus tot encomia, tot facinora Orphei fuerint omnia conficta? Multi quidem Orpheo fuere cognomines, z sed hic noster heros ante bellum troianum in Thracia natus, Calliope matre, Apolline, vel Oeagro patre, a in Aegypto omnia illa miracula antiquae mythologiae didicit, quae cum graecis panderet id temporis barbarissimis, b arbores sunt Orphea secutae, flumina cursus remorata, silvae auritae fidibus ductae canoris. quae omnia ad sapientiam, artemque populorum moderandorum retulit prudenter Horatius. c

Silvestres homines sacer, interpresque deorum
Caedibus, & victu foedo deterruit Orpheus;
Dictus ob hoc lenire tigres, rabidosque leones.

XIV.
Orpheus habitus auctor astrologiae, & medicinae; musicus, & poeta egregius.

Sed haec paulo distinctius persequamur. Orpheo sunt tributa a graecis omnia prope reperta doctrinarum. d astrologiam, auctore Luciano, Orpheus primus mostravit, frustra reclamante Vossio. e medicinam creditus est f invenisse. poësin heroicam egregie unus graecorum omnium tenuit. g musicen ad miraculum, & stuporem etiam deorum exercuit, adeo, h ut excitaret

Et Diti lacrimas, & morti denique finem.

Atque ex his Orphei artibus egregiis nata fortasse fuerit fabula de Eurydice uxore, ab inferis prope revocata, cui desperatae iam carminibus, herbis, poculisque magicis medicinam fecerit.

XV.
Orphei mysteria, & scripta

Nos vero poëtis fabulas philosophorum relinquamus, nobis e fabulis mediis philosophiam sumamus. In Orpheo omnis erat mysteriosa philosophia. i mysteria enim instituit, initia graecis tradidit, *teletas* denique sancivit. k si quis autem quaerat, quae facies, ratioque fuerit initiorum; certe non aliam fuisse ab aegyptiis mysteriis existimo: naturam, naturae auctorem, initium, interitumque rerum mutatis verbis velare. purgationes & publicas, & privatas, aggregationes, initiationes, inspectiones suscipere. l Quae tota ratio aliis laudanda; m aliis circulatoris, planique propria videtur. n scripta infinita habet hodie Orpheus, o quae ipse iuret, se non agnoscere. quae ipse agnoscat p lubens, haec sunt *Argonautica*, *Carmen Epicum*, *Hymni octoginta sex. De Lapidibus, eorumque Virtutibus Praecepta*. quae tamen omnia eiusmodi sunt, ut iure dixerit q Laertius, *qui de diis talia commentus est, an philosophus sit appellandus, nescio.*

XVI.
Theogonia dedit Hesiodo

Nec vero, me quidem iudice, Hesiodus praestantior Orpheo fuit philosophus. Qui volet hominis vitam, adibit Gyraldum. qui historiam litterariam, consulet Fabricium. Est ille quidem aequalis Homero aetate, praestantia carminis iudicatus melior, a nonnullis dicitur. inter philo-

a *Natal. Comes.* b *Diod. li. IV. c. XXV.* c *Hor. carm. l. I. od. XII. & Art. Poet.* d *Fabric. Vol. I. p. 130. B. Gr.* e *De Scien. Mat. c. XXXII.* f *Pausanias in Boeoticis. Plinius li. XXV. c. II.* g *Anthol. lib. III. Antipater Sidonius. Pausan. l. c.* h *Manilius lib. V. Astronom.* i *Clem. Alex. lib. V. Strom.* k *L. cit.* l Liquet ex *Clem. Alex. loc. cit. Olympiodorus.* m *Brucker. tom. I. pag. 380.* conf. n *Clem. Alex. l. c. Burnaetius* Ar. *Phil. c. IX.* o *Bruck. T. I. p. 381.* p *Fabric. V. I. pa.* 120. ea edidit *Traiec.* M. DC. LXXXIX. *Eschenb.* q *L. I. S. V. Vid. Isocrates in Lau. Busir.*

losophos *r* homini locum fecit *Theogonia*, quae nobis est reliqua; *s* quamque stoici veluti praeclaram physiologiam suspiciebant. Est, cui Hesiodus videatur medicus: est, cui etiam videatur in ethicis perfectissimus, & egregius philosophus. Pythagorae aliter visus, qui, vidisse se Hesiodum, apud inferos dantem impietatis poenas propter ea, quae de diis scripserat, *t* narrare solebat.

philosophi mythologici nomen.

XVII. *Homero non sine controversia decreta philosophia ab antiquis.*

Quod si Hesiodus vicit in re poëtica publico iudicio Homerum; Homerus certe superavit, si antiquis credimus, in re philosophica Hesiodum. Homerus ille deus ethnicorum sapientum, de cuius natali solo contendebant, *u* *Smyrna, Rhodus, Colophon, Salamin, Chius, Argus, Athenae*; de cuius aetate etiam nunc contendunt sapientes; *x* de cuius vita, factisque nihil certi habemus; *y* de cuius praestantia, ac meritis certatum est a novioribus criticis: *z* Homerus, inquam, *dux, & princeps philosophiae* a Tatiano *a* nominatur. Dici vix potest, quam magnis laudibus Homeri philosophiam omnes prope antiqui sapientes extulerint. *b* quanquam non defuere nonnulli emunctae naris, quibus male oleret Homeri philosophia. *c* De qua controversia, si quid sit statuendum, Homerus princeps nobis videtur philosophiae mythologicae, qui, quae circumferebantur aetate sua cosmogoniae, eas tam bene noverat, quam puella matrem.

XVIII. *Epimenides cnosius καθαρτης mythologiam scriptis complexus est.*

Ab Epimenide mendaciis instructissimo verum exculpamus. *d* Epimenides natione cretensis, *e* patria cnosius, *f* natus matre Blasta, patre vel Phaestio, vel Bolo, vel nescio quo, insignis est habitus vates: *g* insignior etiam lustrator scelerum. De vaticiniis scribit Aristoteles, *h* Epimenidem *non futura, sed praeterita tantum, quae obscura quidem essent, patefecisse*. De lustrationibus vero Epimenidis multa referuntur: *i* atheniensis peste liberavisse, aras ignotis diis instituisse, decretum ab atheniensibus talentum repudiasse: Solonem amicum Epimenidis non probasse huius lustrationes, quae totae in superstitionibus, & sacrificiis *k* consumebantur. Medicus fuisse a nonnullis dicitur. mythologus certe fuit,

 qui

r *Conf.Fab.B.G.V.*I. s *eam Io.Clericus* edidit elegantissime *Amstelodami*. t *Apud Laert. lib.* I. & VII.*S.* XXI. u *Gellius li.* III. *c.* XI. *&* *li.* XVII. *c.* XXIX. x *Petav.Doct. Temp.lib.*IX. *cap.* XXXII. *Fab. Conf. Vol.* I. *B. Gr. pa.*253. y Vita altera Homeri tributa Herodoto, altera Plutarcho, sive Dionysio Halicarnasseo suspicionem νοθειας habent. z *Rapinus Comparaison. de Virgile, & d'Homere. Perraultius Parallele des anciens, & des modernes.* a *Tatian. orat. cont. Graec.* b *Ionsius de Scriptoribus Hist. Philos. lib.* III. *cap.* VII. c *Seneca Ep.* XCII. *Laert. lib.* II. *S.* XVIII. narrat, Xenophanem contra Homerum scripsisse. *& l.*IX.*S.*I. hoc ipsum habet de Heraclito. *Videndus Fabric. loc. cit. pag.* 364. d Videndi auctores fabulae *apud Menagium ad Laert. l.* I. *S.* CIX. e *D. Paul. ad Titum* I. XII. *Laert. loc. cit.* f *Ibi. Val. Max. l.* VIII. *cap.* XIII. *Plin. li.* VII. *Pausanias in Atticis. Strab. l.* X. illum patria facit phaestum. g *Iamblic. Vit. Pythag. & Porphyr. Menag. conferendus loc. cit.* h *Lib.* III. *Rhet. cap.* XVII. i *Menag. l. cit.* k *Conferendi Lomeierus de Lustration. veterum. Laert. loc. cit. Pauf. in Att. Fab. B. G. V.* I.

qui *Mysteria*, *Lustrationes*, *Aenigmata*, *Theogoniam*, *Argus Fabricam*, *Iasonis in Colchos Expeditionem*, *de Sacrificiis*, *De Rep. Cretensium*, *& Minoe, & Rhadamanto*, l *scripserit*. sed missis fabulis, ad leges graecas veniamus.

CAP. II.
PHILOSOPHIA civilis.

Qui olim apud graecos ad formandos animos, suadendasque leges aggressi, partem quidem potiorem philosophiae sibi delegerunt, insolentius fortasse nomen, *m* quod cum illis Quinctilianus expostulat, sibi assumpsere, sed tamen eximio iure quodam, *ut soli sapientiae studiosi vocarentur*. cum enim sit ipsa per se magistra vitae, morumque philosophia; tum *fuit haec sapientia quondam*,

PROP. I.
Legum graecarum latores iure suo philosophi.

Publica privatis secernere, sacra profanis.

Quod si philosophi huiusmodi tantum essent futuri homines, qui sibi privatę, reip. non saperent; eorum artem nae ego dignam existimarem, quam una cum poëtica inani, ac ludrica exterminaret e rep. Plato. *b* Itaque iure suo sunt inter philosophos legendi antiquissimi quique graecorum, qui vel ferendis legibus, vel rebus publicis optime constituendis, operam suam contulerunt.

II.
Zaleucus sapiens locrensium legislator, non pythagoreus, fuit.

In his familiam ducat Zaleucus. qui obscuro loco natus apud *Locrenses Epizephyrios*, pascendis ovibus primo destinatus, deinde ingenii praestantia libertatem assecutus, optimis legibus remp. locrensem temperavit. *c* In Zaleuci legibus summum ius non summa iniuria erat, si vera narrant, eum bene iussisse & sibi, & filio adultero, ne qua legi fraus fieret, alterum utrique oculorum eripi. *d* Zaleucus se per quietem a Minerva leges suas discere, *e* communi legislatorum veterum dolo, mentiebatur: platonici *f* Zaleucum a Pythagora, multo iuniore, *g* prudentiam, politicamque didicisse, deinde mentiti fuere. Ego vix aliud Zaleuci facinus probem, praeterquamquod leges locrensibus tulerit. caetera sunt fabellis simillima. *h* nam quae hodie feruntur Zaleuci leges, eas iudicat suppostitias Bentleius, non sine probabili coniectura.

III.
Charondas leges graecis civitatibus dedit, Pythagoram non audiit.

Charondas graecorum in Italia, & Sicilia *k* legislator, catanensibus civibus suis leges tulit, aliis praeterea civitatibus. Haec vero verba licet sine dissensione facere de Charonda. nam quos nummos Charondae dedit inscriptos memoriae Dufresneus, *l* eosdem adimit Spanemius. *m* quae vero antiqui docent, Charondam a Pythagora politicen, & nomotheticen didicisse, me quidem non habent suffragatorem. fuit enim antiquior Charondas, *n* quam Pythagoras.

Iam

l *Fab. l. c.* m *Prooemio Institut. Orator.* b *De Rep. l. II.* c *Clem. Alex. Strom. Suidas.* d *Aelian. lib. XIII. Val. Max. lib. VI. cap. V.* e *Clem. Alex. l. c. Val. Max. l. VII.* f *Diod. lib. XII. Laert. lib. VIII. S. XVI. Seneca epist. CX. Iamb. Vit. Pyth. c. VII. Porp. V. Pyth.* g *Porph. lo. cit. num. 56.* narrat Pythagoram a locrensibus exclusum, quia nihil ipsi haberent in suis legibus reprehensione dignum. h *Videndi ornatores fabulae Polybius in Ecglogis. lib. XII. Stobaeus Ser. XII. Eustathius ad Homeri Iliad. a.* i Leges Zaleuci latinas dedit *Ioan. Wilh. Engelbrecht. Lipsiae M.DC.VIC. Vid. Bruck. t. I. pa. 136.* k *Fab. B. G. Vol. I. pag. 519.* l *Cons. Rapha. Trichetus Dufresne to. X. Tesauri Grom. pag. 574.* m *De usu, & Praestantia Numismatum tom. I. Diss. VII.* quo loco effigiem nummi reddit Sileno. n *Consul. Bentleius De Epist. Phalaridis pag. 339.*

IV.
Rhadamantus & Minos cretensibus suis religiosas leges ferunt.

Iam ad duos Themidos antistites illos Rhadamantum, & Minoa, veniamus, quibus iurisprudentiae fama apud inferos etiam dedit iurisdictionem. *o* nam &

Cnosius haec Rhadamantus habet durissima regna,
Castigatque, auditque dolos, subigitque fateri.

& cum sedes inferorum non sine sorte, non sine iudice dentur ab illarum magistris poëtis in eam rem,

Quaesitor Minos urnam movet: ille silentum
Consiliumque vocat, vitasque, & crimina discit.

Itaque ex eo orta fabula est, quod Rhadamantus auctoritatem, & auspicia Iovis *p* mentitus, civibus suis leges composuerit religiosissimas. Quem Minos civem suum & in constitutione legum, & in Iove mentiendo, quocum in antro colloqueretur idaeo, imitatus est. Hunc etiam dat *q* Pythagorae, necdum in lucem edito, Iamblichus discipulum.

V.
Lycurgus doctissimus, & severissimus omnium legislator spartanos instituit.

Ille vero facile omnium politicorum philosophorum princeps Lycurgus fuit, qui eam spartanis disciplinam, vitaeque rationem tradidit, quam nunquam antiqui laudavere satis. dicitur audivisse theologum antiquissimum, Thaleta cretensem, alium a Thalete Milesio. *r* dicitur leges aegyptiorum, atque cretensium in suis effinxisse. *s* dicitur nihil, quod ille non praestitisset, ab aliis lege sua exegisse. *t* Quae tanta bona corrupit tamen, vel quod auctorem suorum oraculorum finxerit Apollinem, *u* vel quod leges in tabulas publicas non retulerit, sed tutelae fideique magistratus exemplum scilicet antiquissimum arcani imperii, commiserit; vel quod immanis cuiusdam fortitudinis dumtaxat rationem habuerit. *x*

VI.
Triptolemus, Draco, Solon atheniensium legum auctores, quorum alius leges alias correxit.

At cuicuimodi fuerint leges á Lycurgo latae, certe diuturniores aliis aliorum legislatorum fuere. uno enim Lycurgo civitatis constitutore, diu stetit Sparta. Non ita Athenae, quae leges a Cerere datas, a Triptolemo *y* reformatas, a Dracone deinceps castigatas, *z* a Solone denique optime habuere temperatas. *a* Atque hic locus mihi in memoriam revocat illum facile principem & iurisprudentiae, & hispanicae eruditionis virum Iosephum Finestresium, mihi, ut ipse videri vult, amicissimum; ut ego pie profiteri & debeo, & volo, magistrum, a quo quantum Cervariae ad eruditionem sim adiutus, cum ego nullam colloquendi occasionem cum sene suavissimo praeterirem; nunquam vel me sanum poenituerit, vel gratus satis praedicavero. quam doctum civem divi boni? cui si similes singulos singulae ferrent hispanicae academiae, nihil Hispania invideret doctrinae exteris academiis. itaque cum ego domum ad eum venissem, is novum quendam, & arida modo pumice expolitum, sed oppido inficetum librum *b* corrugatis coepit proferre naribus. videsne?

o *Virgil. Aeneid. l. VI.* p *Strab. lib. X.* q *De Vita Pythag. cap. V.* r *Plutarch. in Lycurgo. Strab. lib. X.* s *Fab. loc. cit.* t *Iustinus li. III. c. II.* u *Cons. Diod. l. I. Polixenus l. I. pag. 16. Teodoretus lib. X. De Cur. Gr. Affect. Libanius t. II. p. 176.* x *Plato De Leg. l. I. Arist. Polit. l. II. c. VII.* y *Porphy. de Abst. lib. IV.* z *Arist. Polit. lib. II. cap. 23.* a *Plutarch. in Solone.* alii passim. b Liber erat novus academiae cuiusdam privatae, quam honoris causa non nomino, in quo erat serio scriptum, Draconem usum sanguine pro atramento fuisse. scilicet quod Plutarchus translate dixe-

ne? quid ego videam? inquam. at ille male salsus, inquit, ridens, Draconem sanguine scripsisse leges? locum simul indicat libri. lego, materiam atramentariam Draconis toti academiae fuisse sanguinem. spongiam, spongiam, memini, me saepe clamare. Sed ad legislatores alios redeo, quos plurimos e Graecia excitat Fabricius, c Clisthenem, Hipparchum, Pisistratum, Demetrium Phalereum, aliosque nonnullos.

VII.
Origo nominis SAPIENTIS inter graecos.

Quos autem adhuc commemoro, hi sapientes reipsa fuere. quos iam dicere pergo, nomen sapientum apud graecos tulere praeterea. Ac de nomine quidem *sapientis*, quam sit varie disceptatum, nemo opinor ignorat. res tota fabulae, quam historiae propior, a Valerio Maximo d describitur, quae ad summam in hunc habuit modum. extracta verriculo a piscatoribus aurea mensa, vel tripode, vel phiala, vel poculo, placuisse, *Apollinem Delphicum consuli, cuinam adiudicari mensa deberet. Deum respondisse, illi esse dandam, qui sapientia caeteros praestaret, his verbis graecis.*

Εγονε μιλητου τριποδος περι Φοιβον ερωτας,
Ος σοφιη παντων πρωτος, τουτω τριποδ' αν δω.

Tunc illos consensu Thaleti mensam dedisse. illum cessisse Bianti; Biantem Pittaco: hunc protinus alii; deincepsque per omnium septem sapientium orbem, ad ultimum, ad Solonem pervenisse; eum & titulum amplissimae prudentiae, & praemium ad ipsum Apollinem transtulisse. De re tota haec breviter coniectari libet: primum eos sapientes, qui de praemio aureo certabant, viros fuisse in legibus ferendis prudentes, e in constituendis moribus populorum, vitaeque innocentia insignes, f poëtica facultate conspicuos, g eloquentia laconica, atque ingenii acumine eximios. h quae olim graecis erat summa, & absolutissima virtus, de qua periculum iniisse sapientes scribit i Andro. Deinde illos sapientes his de rebus, poëtico quodam certamine, graecis charissimo, k in contentionem, proposita victori aurea tripode, arbitror convenisse. l

VIII.
Solon unus sapientum de

De his itaque principibus vel philosophiae, vel sapientiae graecanicae singulatim disseramus. De Thalete, philosophiae ionicae auctore primo, paulo post nobis erit ex ordine dicendum. Solon civis atheniensis m

patria

xerat de Dracone, illi doctissimi academici proprie usurpavere. addidissent ex metaphora Aristotelis *Rhet. lib. II. cap. XXIII.* Draconem, quoddam ferum scilicet animal, scripsisse leges. c *B. Gr. Vol. I. pag.* 528. d *Lib. IV. cap. I. & Laer. lib. I. S. XXVII.*

De tripode, ex Phoebo quaeris milesia proles.
Huic tripodem addico, cui sit sapientia prima.

e *Dicaearchus apud Laertium loc. cit. S. XL.* f *Aug. De Civ. Dei l. XVIII. cap. XXV.* g *Apud Laer. l. c.* Anaximenes est auctor. h In pretio erat graecis antiquioribus laconismus sermonis. *Plut. Apophtheg. Laco. Plato de Legibus l. I.* i *Andro apud Laert. loc. cit.* dicit αθλον αρετης σοφωτατω fuisse destinatum. k Nihil notius, quam studium certaminis poëtici apud graecos. fuisse vero poëtas septem sapientes, conficit auctoritate antiquorum *Vossius de Poëtica Graecorum c.* III. l *Consul. Plato in Protagora. Plutarc. in Solone.* m *Vid. Plutarch. in Solone. Laert. l.* I. *s.* 45. *Meursius in Solone.*

patria salaminius, nobilissimo genere natus, mercaturam non doctrinae magis, quam pecuniae quaerendae causa fecit, quod eius pater Execestides nimia liberalitate docoxisset. *n* Remp. atheniensem etiam per insaniam praeclare gessit. se enim insanum cum simulasset, ut pro concione elegos suos sibi impune recitare liceret ex suggestu praeconis, populo persuasit, ut bello Salamina repeterent: de qua recuperanda si quis verba faceret, re saepe male gesta; capitale facinus atheniensium lege erat. *o* Archon creatus ann. III. Ol. XLVI. totum civitatis statum ita mutavit, ut optime remp. constitueret *p* iis legibus, quas inclytas T. Livius appellavit. *q* Obiit in insula Cypro octogenarius. *r* Patronus fuit doctarum frontium. *s* eruditam *t* peregrinationem in Aegyptum suscepit. reliquos Graeciae sapientes invisit. *u* sententias quasdam carmine conscripsit: ut *respice finem. sequere ducem rationem.*

patria & legibus, & imperiis optime meritus.

IX.

Chilon lacedaemonius, & factis, & dictis sapiens.

Chilon lacedaemonius, inter Graeciae sapientes relatus, floruit Olymp. LII. *x* ephorus in patria creatus est. Ideo autem habitus sapiens, vel quod vates politicus fuerit plus vice simplici, *y* cum meditatione collegisset eventus ambiguos; vel quod *consentientem* z *cum sermonibus suis vitam ageret, quod raro admodum reperias: nam Chilo praeter constantem in omni vita virtutem multa & cogitavit, & dixit praeclare, quae memoria in primis digna sunt.* Tribuuntur enim Chiloni illa acute, & subtiliter more laconico dicta: *a Nosce te ipsum.* & *Ne quid nimis.* & *Comes aeris alieni miseria.* & *De mortuis non nisi bene.* Poëta fuisse dicitur Laertio. *b* Suspecta tamen habetur ea, quam affert Laertius, *c* Chilonis epistola.

X.

Pittacus mitylenaeus fortis manu, consilio scriptisque sapiens.

Alius est Graeciae sapiens Pittacus *d* mitylenaeus, vir manu, consilioque bonus. cum classe imperator adversus athenienses missus, in certamine singulari *e* Phrionem ducem hostium, piscatoriis armis victum, lancea deinde confecit. Et regnum, & possessionem amplissimam, a civibus oblatam suis, non accepit. *f* agri enim cum tantum sibi delegisset, quantum iactu hastae mensus esset, hoc ipsum Apollini dicavit, quod *Pittacium* postea dictum est. dimidium enim plus toto esse & novit, & dixit Pittacus. Imperium cum decennio gessisset, eo sponte sua cum sese abdicasset, *h* privatus decennio vixit. Scripsit *Adomena*, & Elegiam. *i* multa dixit sapienter, *k* ut illud, *nosce tempus opportunum*. mortuus est

OL.

n *Plutarc. loc. c.* o *Vid. Demost. de falsa leg. Plut. l. c. Paus. in Atticis.* p *Iidem auctores.* q *Lib.* III. *cap.* XXXI. *Laert. Paus. Aelian.* r *Vid. l.* III. *in Anacharsi, & Toxari.* s *Herod. l.* I. *cap.* LXXXVI. *Nicol. Damascenus in Excerptis Peirescianis p.* 456. u *Alia sunt apophthegmata in auctoribus laudatis.* x Haec temporum ratio supputata est *Bruckero T.* I. *p.* 445. qui refellit argumenta, quae peperit locus malesanus *Laertii l.* I. *seg.*68. y *Laert. l. c. Herod. l.* I. *& l.*VII. z *Diod. in Excerptis Peiresc. p.* 235. a *Cons. Paul. Manut. in iis adagiis.* b *L. c. qui affert haec carmina,*

Aurum probare lydius solet lapis;
Mentis vicissim aurũ probat praestantiã

c *L. c.* d *Suid. in Pittacus. Laert. l.* I. *s.*74. e *Festus. v. retiarius. Polyaen. Stratag. Lipsius Saturnalium lib.* II. *c.* VIII. f *Val. Max. l.* VI. *c.* V. *Laert. l. c.* g *Aldobrandinus consul. ad l. c. Laertii.* h *Iidem auctores.* i *Cons. Fabric. B. G.* V. I. *p.* 541. k *Vid. Laertius. Plutarc. in convivio.*

OL. LII. cum annis vixiſſet amplius LXX. *l*

XI. *Bias e collegio ſapientum, orator praeterea, & poeta bonus.*

Bias eſt etiam litteris proditus, *m* e collegio ſeptem ſapientum, civis prienaeus. Ioniae autem eſt oppidum Priene, quam conſilio ſapienti ab obſidione dicitur Bias liberaſſe. *n* in patriae invaſione cum reliqui cives pretioſiſsima quaeque exportarent, ipſe rogatus, cur abiret inanis, *o* *ego*, inquit, *omnia mea mecum porto.* Multa & dixit alia, & fecit ſapientiſsime. *p* Orator is habebatur *q* quo non alius cauſas oraret melius. obiiſſe dicitur, cum bonam cauſam peroraſſet, capite in gremium demiſſo nepotis. *r* Poeta inſignis fuit, cuius *Adomena* refert Laertius. *ſ* Illa eſt autem aurea ſententia Biantis, t *qui ſapientiae ſtudent inani, eos noctuae oculis eſſe ſimiles*, qui cum in tenebris videant, meridie coecutiunt. Culpata autem eſt a Tullio illa *u* Biantis paroemia, *ama tanquam oſurus*; quae laudem habet ſuam, ſi bono dicatur modo. *x*

XII. *Cleobolus unus e ſeptem aenigmaticus ſapiens.*

Cleobulus cum ipſe unus e ſeptem ſapientibus, tum Eumetidos pater fuit ſapientiſsimae faeminae. *a* rhodius gente, lindius patria erat, tam erat nobilis, ut herculeo genere ortus eſſet: tam dives, ut lindiorum eſſet dynaſta: tam cupidus ſapientiae, *b* ut eius cauſa in Aegyptum navigarit; tam denique peritus aegyptiae doctrinae, *c* ut griphos, ſive aenigmata conſcripſerit. Eumetidem, ſive Cleobulinam, Cleobuli filiam inter philoſophatrices mulieres numeravit Menagius, *d* inique ob eam rem notatus a Bruckero. erat enim faemina natura, quam ſtudio non ſimilior patri: aenigmatis, carminibus, *e* ſapientiae maxime dedita.

XIII. *Periander graecae ſapientiae VII. vir & bene, & male inter graecos audiit*

Ultimus eſt Periander in collegio graecorum ſapientum, de quo plurane prodita ſint litteris bona, an vero mala, non eſt facile dictu. Nobili genere natus Cypſelo patre, potitus eſt Corinthi. *f* Huius haec refactefacta narrantur, bella ſtrenue geſiſſe, maris imperium late tenuiſſe, deſidiam corinthiorum non tuliſſe inultam, matronis mundum muliebrem in panegyri ademiſſe, *g* tributa non nimis a civibus ſuis exegiſſe, *h* ſudorem, diligentiamque laudaſſe. Rurſus illi ipſi omne vitiorum genus tribuere graeci, tyrannidem, ſaevitiam, caedes, rapinas, omnia flagitia, *i* & ſcelera. Quae vitiorum, virtutumque compenſatio in cauſa fuit,

quam

l *Valer. Max. Laert. l. c.* m *Laert. l.* I. *ſ.* LXXXII. *Valer. Max. lib.* III. c. III. *Aug. De Civit. Dei lib.* XXIII. c. XXV. *Gellius lib.* V. *cap.* II. n *Laert. l. c. ſ.* LXXXIV. o *Val. Max. lib.* VII. c. II. *p* Captivas virgines meſſenias dicitur redemiſſe, & rediddiſſe ſuis. *Laert. l. c.* Dicta vide apud *Laertium, Plutarchum in Con. Auton. Stobaeum.* r *Laert. loc. cit.* ſ *Laert. loc. c.* t *Seg.* LXXXVI. u *De Amicitia.* cui praeiverat *Ariſtoteles* II. *Rhetoricor. cap.* XIII. ου δει ; ωσπερ φησι , φιλειν ως μισησοντα , αλλα μαλλον μισειν , ως φιλησοντα.

p Retulit Bias ſententiam ad infimam hominum ſocietatem, qui plurimi cum mali ſint, ex amicis fient inimici.

a *Laert. lib.* I. *ſ.* LXXXVIII. *b* In Aegyptum didicit theologiam, & myſticam doctrinam. *Laert. loc. cit.* c *Laertius l. c. conſ. Aldobrandinus ad locum cit. Laertii.* d *Hiſt. Mulier. phil.*

e *Conſ. Menag. loc. cit.* d *Laert. l.* I. *ſ.* IIC. *Aelianus l.* XII. *c.* XXXI. *Herod. l.* I. *& l.* V. *Suidas in Periander. Plutarch. in convivio.* g *Laert. ll. cit.* h *Heraclides De Polit. p.* 17. i *Auctores laudati.*

quam ob rem geminus fingeretur *k* Periander, alter tyrannus, alter sapiens. quae conduplicatio tam esse libera, quam invidiosa Periandri criminatio videtur.

XIV. Falsae in Periandrum videntur criminationes.

Ille vir unus erat, qui cum graecis imperaret non dissolute, solutam graecorum maledicendi licentiam expertus est. qui tamen videntur ipsi secum & bene, & male dictis de Periandro certare voluisse. Periander initio mitis, ac benignus fuit; *l* tamen Corinthum per vim occupavit. *m* tyrannus odio dignus; qui tamen sapientes ad se domum invitabat. *n* oppertus flagitiis, criminibusque Periander; cuius sententiae laudantur plurimae; *o* cui mortuo illud est datum in epigrammatae testimonium, *p*

Et sophia, & nummis Periandrum terra Corinthus
Clarum littoreo continet alma sinu.

Itaque credamus, vitia Periandri graecae fidei esse, laudes illius ipsius datas fuisse sapientiae. De reliquis vero sapientibus Aesopo, Theognide Phocylide non est otium dicendi *q* ad arcem graecae sapientiae properantibus.

CAP. III. *IONICA philosophia.*

PROP. I. Thales Milesius auctor ionicae philosophiae.

Quam vivus studii, diligentiaeque suae mercedem sibi Thales Milesius postulaverat, ut inventor repertorum philosophicorum haberetur; *a* eam nos Thaleti mortuo persolvimus, quem graecae philosophiae via, ac ratione traditae fecimus auctorem. a Thalete enim profecta est illa omnis philosophia, qua se tantopere Graecia iactavit. Thales auctor, & princeps *scholae ionicae* docuit Anaximandrum; is Anaximenem; Anaximenes porro philosophiam tradidit Anaxagorae; a quo docti Diogenes, Apolloniates, & Archelaus physicus Socratem heredem sapientiae reliquere; cuius tam amplum fuit patrimonium, ut familias innumeras ditaverit graecorum philosophorum. Itaque Thales Mileti in Ionia natus est *b* anno primo Olymp. XXXV. *c* parentes habuit Examium, & Cleobulinam, qui civitate, domiciliove graeci coloni, *d* gente vero phoenices erant ex illustri Thelidarum familia. Thales admodum iuvenis ad remp. accessisse dicitur, quam recte, & ex ordine gessit. coelibem vitam duxit.

II. Thaletis studia, facta, vaticinia parum probata.

Ad studia Thaletis veniamus. iuvenis usus est familiaritate Thrasybuli, in administranda republica peritissimi. deinde amore sapientiae ductus in Cretam navigavit, ubi mysteria, religionesque nobiles cretensium, in quibus cosmogonia, doctrina scilicet naturae latebat, diligentissime cognovit. *e* inde traiecisse in Asiam, ubi siderum cognitionem perciperet, *f* probant nonnulli. illud nemo negat, Thaleta iam senem, in

k *Laert. & Aelianus ll. cit. Plato in Protagora. Plutarch. l. c.* l *Laert. lib.* I. *s.* XCVI. m *Idem loc. cit.* n Convivium sapientum apud Periandrum fabella dicitur *Bruckero T. I. p.* 456. dubium certe fit subducendis rationibus. *o Laert. & Stobaeus l. cit.* recitant Periandri sententias, qui dicitur scripsisse duo millia versuum. p *Laert. l.c.* q *Fab. B. G.V. I. p.* 139. *Acta Phil. Vol.* I. *pag.* 951. a *Apuleius in Floridis l.*IV. b *Laert. l.* I. *s.*22. c *Idem l.* I. *s.* XXXVII. *d* Sunt qui phoenicem faciant Thaletem *Clem. Alex. Strom. l.* I. *Higin. Astronom. lib.* I. *c.* II. *Origenes Philosoph. cap.* I. qui omnes de gente, non de patria sunt exponendi. *e Laert. l.* I. *seg.* XLIII. *f Iamblic. De Vita Pyth. c.* III.

in Aegyptum profectum, didiciſſe philoſophiam *g* a ſacerdotibus memphiticis, & mathematicas diſciplinas. Domum vero regreſſus, nulla conditione propoſita, ab ſtudio contemplandi deduci potuit: *h* ut qui ſapientiae dulciſsimos fructus toties deguſtaſſet. a qua ne abduceretur, curam rei familiaris nepoti ex ſorore commiſit. ipſe vero ita ſe totum litteris tradidit, ut in foveam inciderit, cum ſidera contemplaretur; ab ancilla ſalſe irriſus, eum non videre, quae ante pedes eſſent, cum vellet ſidera pervidere. *k* Quem ego caſum Thaletis nihilo minus iudico fabuloſum, quam illam praedictionem de ingenti oleae proventu. *l*

III. *Thaletis γνωμαι, αδομενα, Φιλοσοφουμενα.*

Iam magna ſententiarum ubertas Thaleti accepta refertur a Plutarcho, ut appareat non phyſicam ſolum, ſed ethicam quoque ſcientiam illum habuiſſe comprehenſam. quamquam eſt, qui ſuſpicetur, eas non ortas a Thalete, ſed Thaleti a graecis ſophiſtis eſſe tributas. *n* Iam ſcripſeritne quicquam Thales, ſub iudice lis etiam nunc eſt. qui Thaletis ſcripta *o* memorant, *Diſputationes De rerum Natura*, *Libros De Aſtrologia Nautica*, *De Punctis Tropicis*, *Et Aequinoctialibus*, *De Meteoris*, digni ſunt, quibus credatur, Auguſtinus, Simplicius, Laertius, & Suidas. qui contra ſentiunt, praeter *Adomena* nihil ſcripſiſſe Thaletem, nimis criticae tribuunt. *p*

IV. *Thales non Deum ſuſtulit artificem, male de Deo artifice iudicium tulit.*

Eſt vero attentata maxime pietas, religioque Thaletis, quaſi Deum e mundo ſuſtuliſſet. ita enim de principiis rerum diſſeruit, ut unam aquam, ex qua omnia facta fuerint, *q* commemorarit. Ego ſic intelligo, Thaletem non negaſſe quidem Deum, ſed de Deo tamen male ſenſiſſe. Thales enim Mileſius, ut ſcribit Tullius, *r* qui primus de rebus phyſicis quaeſivit, *aquam*, dixit, *eſſe initium rerum*: *DEUM autem eam mentem, quae ex aqua cuncta fingeret.* At enim ante Anaxagoram nemo artificem mundo vocaverat Deum. *ſ* non aſſentior Ariſtoteli, qui cum veritati parum, tum ſibi ipſe omnino non conſtat. neque enim ullus fuit coſmogoniae antiquioris auctor, *t* qui Deum non adhibuerit artificem naturae. Ariſtoteles etiam auctor *u* eſt, *Hermotimum clazomenium mentem ante Anaxagoram dixiſſe cauſam.* Neque vero conſequens eſt, qui non dedit naturae architectum Deum, eum propterea negaviſſe Thaletem. illud fit omnino, male ſenſiſſe de vi, ac poteſtate Dei, qui *x* dixerit, *homines exiſtimare oportere, omnia, quae cernuntur, deorum eſſe* ple-

g *Laert. lib. I. ſ. XXIV. Plut. de Plac. l. I. c. I. Iamblich.* h *Plut. loc. cit. Cyril. cont. Iul. t. I.* k *Plato Theaet. Laer. l. I. ſeg. XXV. & li. II. ſeg. IV.* l *Tul. de Div. l. I. Ariſt. Polit. lib. I. cap. II. Plin. lib. XVIII. cap. XX. Laer. lib. I. ſeg. XXV. Vid. F. Valleſius Phil. ſacra. cap. XXXI.* id ipſum oſtentum tribuit *Plin. lo. cit.* Democrito. *n* De Epiſtolis quidem, quas ſervat Laertius, ſic cenſuere *Fabric. B. Gr. Vol. I. pag. 239. & Huetius de Dem. Ev. P. IV.* o *Aug. De Civ. Dei lib. VIII. cap. II. Suidas, Laert. ll. cit. Simplicius in Phy. Ariſt. lib. I.*

p *Scalig. Fabric. loc. cit.* q *Plut. de Placit. lib. I. ca. III.* r *De Nat. Deor. lib. I.* ſ *Ariſt. Met. I. c. IV.* t *Philo Iudaeus De Mundo Incorruptibili. Simplic. in Ariſt. Phy. l. IV.* u *Metaph. lib. I. cap. III.* x *Cic. De leg. lib. II. cap. II.*

plena: qui senserit mundum esse animatum: *y* qui pantheismum ante Spinosam visus sit excogitasse.

V.
Anaximander non conditor scholae ionicae, sed discipulus Thaletis, eiusque proximus successor.

Thales, de quo, quoto vivere anno desierit, constat parum, *z* discipulum reliquit Anaximandrum. *a* hic natus est Mileti *b* patre Praxiada Olymp. XLII. ann. III. *c* docuisse pueros, *d* eo colligunt argumento nonnulli, quod sit a pueris, dum caneret, irrisus. *e* Laertius conditorem facit scholae ionicae Anaximandrum: *f* qui tamen succesit Thaleti doctori suo. *g* illud certe constat, Anaximandrum fuisse primum e graecis, qui de philosophia naturali praeter morem arcanum doctrinae tradendae, scripserit. *h* scripsit enim *Compendiariam Expositionem Placitorum Suorum De Rebus Naturalibus*. qui liber fortasse fuerit idem ille *De Natura*, *De Stellis Fixis*, *De Sphaera*. *i* mitto praedictiones. non enim probo philosophos augures. *k* Obiit Anaximander Olymp. LVIII. ann. II.

VI.
Non si Anaximander στοιχειον απειρον probat, idcirco αθεος habendus.

Anaximandri doctrina mathematica, multis accesionibus aucta, & illustrata *l* magnis efferri laudibus solet. at physiologia gravibus oneratur criminibus. quam enim litem de religione violata intendebant Thaleti, hanc ipsam iterant novi accusatores *m* adversus Anaximandrum. Illud homini vitio dant, quod *principium*, & *elementum infinitum*, *infinitatem quamdam naturae*, a qua omnia gignerentur, *n* constituerit. Quod si sensa animi sui distincte eloquutus esset Anaximander; neque ampliandum aliis criticis visum esset, neque iudicium aliis contra illum ferendum. *o* mihi non liquet satis. tamen citius absolvam, quam condemnem illum philosophum, qui infinitatem naturae non atomos, non principium quoddam, aquam inter, & ignem medium, *q* non materiam communem omnibus & formis, & qualitatibus praeditam; sed divinam potius mentem omnia commeantem, & veluti Thaletis aquam, vi sua faecundantem fecerit.

VII.
Anaximandrum Deum mundi animam fecisse

Quae sententia etsi impium non faciat Anaximandrum, qui Deum non eiecerit e natura; facit tamen parum pium, qui dederit animam universo. Ita vero sensisse hominem, hae suadent coniecturae. Tatianus enim auctor est, *r* induxisse Anaximandrum principium quoddam humido antiquius, quae causa motus esset. in quo satis latere videtur Deus veluti mundi anima. Aristoteles etiam eodem alludit, posuisse Anaximan-

y *Laer. lib.* I. *seg.* XXVII. *Arist. De Anim. lib.* I. *cap.* III. *Plut. de Pla. Phil. lib.* I. *cap.* VII. *Euseb. Præ. Ev. lib.* XIV. *ca.* VI. *Stobaeus Eclog. Phy. cap.* I. z *Paus. in Phoci. cap.* V. *Laert. li.* I. *seg.* XXXIX. a *Laer. lib.* II. *seg.* I. *Suid. in Anaxim. alii.* b *Tull. Ac. Quaest. lib.* II. *habet: Thales hoc Anaximandro populari, & sodali suo non persuasit.* c *Laer. & Simp. ll.c.* d *Heumanus apud Bruck. tom.* I. *pag.* 478. e *Laert. l.* I. *s.* 13. & *lib.* II. *s.* I. f *Laer. lib.* I. *s.* XLIII. g *Themistius Orat.* XX. h *Laer. lib.* I. *s.* I. *Suidas.* i *Cic. lib.* I. *de Div.* k *Laer. Suid. Euseb. Pr. Ev. lib.* X. *cap. ult.* l *Aug. lib.* VII. *De Civ. Dei cap.* II. *Thomasi. Hi. Atheismi.* m *Laer. li.* II. *s.* I. *Plut. de Plac. lib.* I. *cap.* III. *Iustin. Mart. Cohort. ad Graec. Tullius Ac. Quaest. l.* IV. n *Thomasi. Cleric. Cudwort. conf. Bruck. tom.* I. *p.* 481. o *Consul. Gas. tom.* I. *Op. pa.* 236. p *Iacob. Thomas. to.* II. *Obs. Halensium Obs.* XIX. & XXI. q *Cudwort. Syst. Int. cap.* III. §. *XXI.* r *Tatian. in Irris. Gent.* §. *X. Orig. Phil. cap.* VI.

drum *s*, *infinitatem naturae continere omnia*, *omnia gubernare*. quae agitatio, & permotio non est absimilis illi stoicae animationi. *t*

impie, multi sunt auctores.

Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.

Ad extremum quae alii de Anaximandro prodidere litteris, *nativos esse deos*, u *longis intervallis orientes*, *occidentesque*, *eosque innumerabiles esse mundos*; haec sunt stoicis opinionibus germana de divina mundi anima. *x*

VIII.
Anaximenes auditor, & successor Anaximandri apertius tradit ionica principia.

Quo vero magis assentiamur, Anaximandro infinitatem naturae fuisse summum Deum, adest Anaximenes, qui praeceptoris sui sententiam paulo distinctius explicabit. is patria milesius, Eurystrati filius, auditor, & sodalis Anaximandri, natus Olymp. vel LV. vel etiam paulo serius (dissentiunt enim chronologi) *z* posuit *a* principium rerum, *aëra*, & *infinitum*. Quae verba Laertii splendorem capient ab Simplicio *b* ita scribenti: *Anaximenes materiam*, *sive subiectum*, ait, *unum esse*, *idque infinitum*, *non indefinite sicut Anaximander*, *sed ut definiat esse aërem*. itaque infinitatem naturae a praeceptore inductam fecit discipulus aëra infinitum.

IX.
Anaximenes ante stoicos stoicam mundo animam dat.

Neque vero aliam de Deo dixit Aximenes sententiam. *c* qui auctore Tullio, *aëra Deum statuit*, *eumque gigni*, *esseque immensum*, & *infinitum*, & *semper in motu*. uterque in eodem institutus est ludo ad eam impietatem, non quae Deum tolleret, sed quae Deum novum sibi moliretur. nam aër, deus Anaximenis, est illa stoicorum anima mundana, si Stobaeo, *d* si Lactantio maxime, consentire volumus, qui, Cleantem stoicum, qui, Anaximenem, dicit, aethera putasse Deum, qui vult, Virgilium ex sententia illorum cecinisse, *e*

Tum pater omnipotens foecundis imbribus aether
Coniugis in gremium laetae descendit, & omnes
Magnus alit magno permistus corpore foetus.

Huc pertinent illa testimonia & Augustini, *f* docuisse Anaximenem non aëra a diis factum, sed deos ex aëre ortos esse; & Origenis, *g* ex progenie aeris & deos, & divina omnia esse. *h*

X.
Anaxagoras clazomenius, Anaximenis magistri suc--

Quartus ionicae scholae magister Anaxagoras, *i* de quo quidem nihil non praeclarum, & eximium memoriae proditum est. natus est Clazomenis Eubulo, sive Hegesibulo patre, cum nobili, tum etiam opulento. In praeclarissimo adolescentis Anaxagorae ingenio tantus illico extitit

s *Lib. III. Phy. Ausc. cap. IV.*
t *Virg. lib. VI. Aeneid.*
u *Tull. lib. I. de Nat. Deorum.*
x *Laert. lib. II. seg. III. Plin. li. II. c. LXXVI. Tull. Ac. Q. li. IV.* Aldobrandinus *ad l. Laer. Sen. Herc. v.* 1112.
Coeli regio concidet,
Certos, *atque obitus trahet*,
Atque omnes pariter deos
Perdet mors aliqua, & *chaos*
z *Suid. Olymp. V. Euseb. Pr. Ev. lib. X. capit. ult. Olymp. LVI. Origen. Phil. cap. VII. Olymp. LVIII.*
a *Plut. De Plac. li. I. cap. III. Laer. lib. II. Seg. III. Orig. Philo. cap. VII. Stobaeus Eclog. phy. ca. I.* b *Simpl. l. c.* c *Cic. Lib. I. De Nat. Deorum.* d *L. cit.* e *Lact. Divin. Inst. lib. I. ca. V. & Min. Fel. in Oct. c. XIX.*
f *De Civ. Dei. lib. VIII. cap. 2.*
g *Loc. cit.* h *Olearius. ad Stanlei. Hi. Phi. part. II. ca. II.* i *Laer. l. II. seg. VI. Tull. lib. I. De Nat. Deorum.*

titit ad ſapientiam impetus, tanta diſcendi aviditas, ut commodiſsima quaeque bona, & incommodiſsima quaeque mala doctrinae poſtponeret. primum enim paternas poſſeſsiones reliquit, *k* quo expeditius diſcendi, quaerendique divinae delectationi toto ſe animo dederet. cui illuſtri conſilio addidere graeci dictum illuſtrius *l* Anaxagorae, in patriam ab erudita peregrinatione reſtituti, poſſeſsioneſque deſertas videntis ſuas. *non eſſem*, inquit, *ego ſalvus, niſi iſtae periiſſent.*

ceſſor avidiſſimus philoſophiae, per multos in philoſophia proficit.

XI.

Anaxagoras diſcit ab Hermotimo cive ſuo Mentem artificem.

Anaxagoras audiit *m* Athenis Solonem. audiit deinde Anaximenem. *n* multa didicit a muta voce magiſtrorum Homeri, *o* Heſiodi, *p* Parmenidis, *q* aliorumque mythologicorum. *r* Sunt etiam non pauci auctores, *ſ* Anaxagoram didiciſſe ab Hermotimo, mentem rerum omnium artificem. Ariſtoteles enim *t* habet, *attamen Hermotimus clazomenius dicitur, mentem prius, quam Anaxagoras, dixiſſe cauſam.* Erat autem Hermotimus, *u* (ut doctorem Anaxagorae non omnino indictum nobis abire ſinamus) patria clazomenius, vir in rebus phyſicis verſatus, quarum cognitio non vulgaris locum fecerit fortaſſe illi fabulae, *x* Hermotimi animum quoties libitum eſſet, ſolitum e corpore egredi. Hermotimo certe clazomenii templum dicavere. *y*

XII.

Anaxagoras inſtituit Athenis praeſtantiſsimos diſcipulos, & adverſa utitur fortuna.

Sed Anaxagoram Athenas reverſum, ubi divitias philoſophiae effunderet, *z* ſequamur. ibi ſive privatim, ſive publice philoſophiam profiteretur, *a* diſcipulos habuit praeſtantiſsimos. Periclem *b* enim, *de cuius dicendi copia ſic accepimus, ut, cum contra voluntatem athenienſium loqueretur pro ſalute patriae ſeverius, tamen id ipſum, quod ille contra populares homines diceret, populare omnibus, & iucundum videretur: tantamque in eo vim fuiſſe, ut in eorum mentibus qui audiſſent, quaſi aculeos quoſdam relinqueret*: hunc, inquam, Periclem docuerat *clazomenius ille Anaxagoras vir ſummus in maximarum rerum ſcientia.* Periclis condiſcipulos faciunt Euripidem, *c* Socratem, *d* & Themiſtoclem. *e* ut facili coniectura ſuſpicari liceat, *f* Anaxagoram in doctrina etiam civili, in iure, in poëſi fuiſſe peritiſsimum. Anaxagoras cum triginta annos totos philoſophiam Athenis tradidiſſet, invidia, & offenſione ſacerdotum *g* abire coactus eſt.

XIII.

Lampſaci philoſophatus mo-

Quae omnia de vita, deque accuſatione Anaxagorae, ſunt valde controverſa. *h* illa dicuntur rectius, Anaxagoram ſeſe invidiae ſacerdotum eripuiſſe. inde non Clazomenas, ubi ne ſepeliri quidem voluit, ſed Lam-

k *Suidas in Anaxagoras. Plut. in Pericle. Plato in Hippia Maiore. Cic. Philoſtrat. alii.* l *Conſulendi interpretes Laer.* m *Cic. lib.* III. *De Orat. Val. Max. Laert. lib.* II. *ſeg.* VI. n *Cic. lib.* I. *De Nat. Deorum.* o *Laert. l.* II. *ſeg.* II. *Emp. Ad. Math. lib.* IX. *ſ.* VIII. p *Empiri. lo. cit.* q *Laer. Prooe. ſeg.* IV. *Linum ſecutus Anaxagoras ſimul facta omnia aſſeruit, eaque accedente Mente ex ordine parta.* r *Cit.* ſ *Arles lib.* I. *Metaph. cap.* 3. *Emp. ad. Phy. lib.* I. *ſ.* 7. t *Iidem ll. cit.* u *L. cit. Vid. Philoſ. ad loc. cit. Simplic. in* VIII. *Phy.* x *Ariſt. loc. cit.* y *Lucianus in Muſcae encom. tom.* I. *Fabric. ad Sext. l. cit.* z Bis Athenis moratum Anaxagoram, factorum ratio evincit. a *Vid. Bruck. tom. I. p.* 494. b *Tull. de Orat. lib. III. alii.* c *Barneſius Vita Euripidis.* d *Laer. lib. II. ſeg.* 19. e *Plutarch.* narrat, ſed animadvertit, non convenire tempora, *in Temiſtocle.* f *Baelius Dic. T. II. Pericles not. A.* g *Bruck. T. I. p.* 995. h *Bruck. loc. cit. Tull. Q. T. I.*

ritur Anaxagoras.

i Lampſacum contuliſſe ſe. *k* Lampſaci ſeſe philoſophum fortem moribus praeſtitiſſe. *l* iuventutem ad philoſophiam informaſſe; *m* ibidemque diem ultimum *n* egiſſe Olympiade LXXXVIII. cui mortuo illud epitaphium eſt poſitum: *o*

Heic iacet ille, cui rerum patuere receſſus,
Atque arcana poli, magnus Anaxagoras.

Erat enimvero, quamobrem lampſaceni, hoſpitem adeo eruditum, adeo bene de ſe meritum ſummis honoribus, ac pietate proſequerentur, a quibus ne mortuus quidem voluerit abeſſe. cum enim Anaxagoras Lampſaci moraretur, *quaerentibus* p *amicis, velletne Clazomenas in patriam, ſi quid accidiſſet, afferri: nihil neceſſe eſt*, inquit, *undique enim ad inferos tantundem viae eſt.* Alia ſunt etiam cum dicta ſapienter, tum ſcripta Anaxagorae. cum enim illi renunciatum eſſet abſenti, *q* ſe ab athenienſibus fuiſſe damnatum, dixiſſe fertur, *iam pridem ex aequo adverſus illos, atque ſe naturam tuliſſe ſententiam.* Ferunt etiam, nuntiata morte filii, dixiſſe. *ſciebam*, r *me genuiſſe mortalem.* Praedicta etiam futura ab Anaxagora volunt. quo die ſaxum caſurum a ſole eſſet, *ſ* qui in Thracia, ſi ſuperis placet, aetate Laertii etiam oſtenderetur. Illud utique dubitari non poteſt, quin Anaxagoras, ſi non primus, at certe cum primis, *t* & *De Naturali Philoſophia*, *u* & *De Circuli quadratura* libros ediderit. *x*

XIV.
Primus Anaxagoras Deum fecit principium expers concretionis.

Reſtat iam, ut ſummam doctrinae anaxagoreae, quod ad Deum attinet, faciamus: *Primus Anaxagoras affirmavit, mentem puram, & omnis concretionis expertem rebus omnibus praeſidere*, y *quae ipſa ſimplex, non permixta, pura eſſet, atque ſincera.* *z* Ex quo illud ego conficio, non ignoraſſe alios quidem Anaxagora vetuſtiores, Deum, quorum & Linus, *a* & Thales, *b* Deum mentem eam, dixere, *quae ex aqua cuncta fingeret*: ſed primum fuiſſe Anaxagoram, qui duo principia omnino ſegregata poſuerit, *c* qui Deum non mundo animam intime informantem dederit, *d* qui Deum artificem omnia ornantem, omnia pervadentem, *e* omnia continentem, *f* & omnia cognoſcentem, & moventem, *g* ita dixerit, ut nulla cum materia neceſſaria concretione teneretur. *h* credo etiam eadem ratione confici, atque concludi, reliquos philoſophos ionicos ante Anaxagoram

i *Vid. Stanleius Hiſt. Phil. P. 2. cap. 5.* k *Valerius Max. l. VII. c. 2. Lact. l. III. c. IX.* l *Laer. Tull. ll. cit.* m *Petavius Rat. Temp. lib. III. cap. 8. Laertii interpretes.* n *Ariſt. Reth. l. II. cap. XXIII. Laert. l. II. ſ. X. Aelianus lib. VII. cap. IX.* o *Laer. l. ci.* p *Tull. Tuſ. Q. lib. I.* q *Lib. II. ſ. XIV. Laert.* r *Tull. Tuſ. Q. III. Val. Max. lib. V. cap. X. Laer. loc. ci. Simplic. ad Epictet. c. XXII. Div. Chriſ. Orat. XXXVIII.* ſ *Plin. Hiſt. Nat. lib. II. cap. LVIII. Laert. lib. II. ſe. 2. Plutarch. in Lyſandro. Viden. Menag. ad Laer. loc. cit.* t *Laer. lib. II. ſ. 2. Clem. Alex. Stro. lib. I.* faciunt primum ſcriptorem phyſicum Anaxagoram. u *Plato in Phaedone, Ariſt. Phyſic. lib. I. cap. 4.* x *Fabric. Bib. Gr. V. I. pag. 722.* y *Plut. in Pericle.* z *Ariſt. de Anima l. I. c. 2.* a *Laert. Procem. ſ. 4.* b *Tull. l. I. de Nat. Deor.* c *Ariſtoteles. Plutarch. ll. cit.* d *Tull. lib. I. de Nat. Deor. Menagius ad Laertium.* e *Plato in Cratylo, in Phaedone.* f *Ibidem.* g *Ariſt. l. c. de Anima. Plutarch. in Pericle.* h *Tull. Plutarch. Ariſt. ll. cit.*

goram *i* unum rerum principium posuisse *fortunam*, *caecamque necessitatem*, neque satis Deum à materia separavisse. Illud una cum caeteris peccavit Anaxagoras, *k* quod homoeomeriam, sive materiam variam, *sive particulas similes inter se* l *minutas*, fecerit aeternas, neque a mente creatas; *m* sed primo *confusas*, *postea in ordinem adductas mente divina*.

XV.
Diogenes Apolloniates condiscipulus utique, fortasse successor Anaxagorae in schola.

Post Anaxagoram scholae ionicae praefuit Diogenes Apolloniates, *n* aut certe quidem collega fuit in magistratu philosophico Anaxagorae, *o* cuius condiscipulus fuerat in audiendo Anaximene. *p* Hic ergo Diogenes natione cretensis, *q* patria fuit apolloniates, *r* cuius nomen in successione ionicorum obscuravit splendor Archelai, lumenque sapientiae immortale. *s* quamquam ipse Diogenes minime vulgaris esset philosophiae praeceptor, qui eloquentiam cum sapientia *t* coniunxisset; quippe qui maxime illustri loco opus suum ita esset exorsus, u *qui dicere aliquid instituit, hic, mea quidem sententia, fecerit operae pretium, si & certum, ratumque principium aliquod praestiterit, & oratione cum gravi, tum etiam simplici fuerit usus.* Gloriae, quam Athenis comparaverat, invidiae faces fuere subiectae. *x* caetera de vita, deque fato Diogenis nobis non tradidit antiquitas.

XVI.
Diogenes assensus Anaximeni aera deum impie posuit.

Causam apud posteros de religione dixit Apolloniates cretensis, communi fato philosophorum ionicorum. illius enim dogma ita recitant antiqui. y *Diogenes quoque Anaximenis alter auditor, aërem quidem dixit rerum esse materiam, de qua omnia fierent; sed eum esse compotem divinae rationis, sine qua nihil ex eo fieri posset.* quae hominis sententia ab aliis ita est accepta, *z* ut ille Deum fecerit animam intime cum materia, sive aëre copulatam: ab aliis vero ita, *a* ut Deum omnino seiunxerit ab illa copulatione, & principium per se fecerit efficiens. Siquid est mei iudicii, censeo, Diogenem cum premeret vestigia Anaximenis, *b* Deum sibi finxisse aëri sponte sua copulatum: maxime cum Aristoteles *c* scribat, aëri dedisse Diogenem & subtilitatem maximam, & motum, & cognitionem: cum Tullius *d* quaerat; *quid? aër, quo Diogenes utitur deo, quem sensum habere potest, aut quam formam Dei?* cum denique Sidonius *e* canat, Diogenes

Materiam cunctis creaturis aëra credens,
Iudicat, inde Deum, faceret quo cuncta, tulisse.

XVII.
Archelaus physicus ulti-

Extremus est scholae ionicae praeceptor Archelaus, cuius discipulus Socrates finem disciplinae physicae posuit; initium vero ethicae dedit phi-

i *Plut. l. c.* k *Irenaeus ad. Haer. l. II. c. 19. Iustinus Martyr cohort. ad Graecos. Laer.* apud quem Anaxagoras ita commentarium suum exorditur παντα χρηματα ην ομου.

l *Tull. A. Q. lib. II.* m *Ibidem.* n *Petrus Baelius Dict. T. I. art. Archelaus n. A.* o *Sidon. Appollinaris Car. XV. Cum. Iustus Lipsius Man. l. I. Dis. 8.* p *Laert lib. IX. seg. 57.*

q *Laert. l. c. Menagius consul. ad eum loc. s. 18.* r *Stephanus de Urbibus facit cretensem.* s *Baelius consul. l. c.* t *Laert. l. c.* u *Idem ibid.* x *Laert. l. c. interpretes.* y *Aug. De Civ. Dei l. c. VIII. c. 2. Clem. Alex. in Protreptico.* z *Baelius l. c. Budeus Thes. de Atheism. c. 1. Reimannus Hist. Atheismi c. 19.* a *Antiqui ita videntur indicasse.* b *Clem. Alex. l. c.* c *De Anima l. I. c. 2.* d *De Nat. Deor. l. I.* e *L. c.*

mus ſcholae ionicae doctor

f philoſophiae. Archelaûs an mileſius, *g* an athenienſis, natus patre Apollodoro, *h* audiit Anaxagoram: *i* Athenis publice philoſophiam profeſſus, *k* docuit Socratem: fortaſſe etiam Euripidem. *l* ethicam totam ſi non ille quidem neglexit, *m* at certe perturbavit eo errore, *n* honeſtatem non natura, ſed inſtituto, & opinione conſtare. De vi vero ac poteſtate Dei quid Archelaus phiſycus *o* iudicarit, ne Bruckerus quidem audet conſtituere. *p* mihi fit multo vero ſimilius, eum prodita ſententia Anaxagorae, *q* ad deum ionicum, infinitae naturae, ſive aëris infiniti animum, rediiſſe.

CAP. IV. SOCRATICA PHILOSOPHIA.

PROP. I. *Socrates auctor primus philoſophiae ethicae.*

Socrates princeps ille philoſophiae, *cuius multiplex ratio diſputandi, a rerumque varietas, & ingenii magnitudo, Platonis memoria, & litteris conſecrata, plura genera effecit diſſidentium philoſophorum; primus philoſophiam devocavit e coelo, & in urbibus collocavit, & in domos etiam introduxit, & coëgit de vita, & moribus, rebuſque bonis, & malis quaerere.* Quae una Tullii de Socrate tam magnifica teſtificatio, rationem, cauſamque habet, quamobrem Socrates veluti quidam philoſophorum graecorum deus, qui de vita, de ſalute, de innocentia, de probitate, de omnibus virtutibus eſſet optime meritus, haberetur: cuius ſemper honos, ſemper gloria, ſemper laudes in Graecia manerent. Cum enim dignus ſibi viſus olim *b* philoſophi nomine fuit nullus, quin Socratis nomen veneraretur, ſi Porphyrium excipias hoſtem bonorum omnium; tum fuere non pauci, qui *c* illius vitam, doctrinamque totam ſcriptis ſuis explicarent.

II. *Genus & opificium Socra-*

Socrates civitate athenienſis, pago alopecenſis, natus eſt Sophroniſco patre, matre vero Phaenareta, die ſexto Thargelionis, anno IV. olymp. LXXVII. *d* Socratis pater lapidarius, mater obſtetrix erat, *e* natalis dies feſtus deinde fuit omnibus philoſophis uſque ad aetatem Plotini. *f* paternam artem doctus Socrates ſtatuarium opus feciſſe dicitur.

opifi-

f *Laert. l. I. ſ.* 14. *Stanleius H. Phi. P.* 2. *c.* 5. g *Vid. Suidas in Archelaus. Orig. Phil. c.* 9. *Tull. T. Q. L. V. Laert. l.* II. *ſ.* 17. h *Laertius loc. c.* i *Idem ibid.* k *Bruck. tom.* I. *p.* 518. *contra Baelium rem probat.* l *Suidas in Archelaus.* m *Laert. l. c.* n *Idem ibid.* o *Archelaus dictus Phyſicus. Laert. loc. c.* p *T. I. p.* 519. *Viden. Stob. Eclog.* I. *c.* I. *Orig. Phil.* I. & *Laert. l. c. contra ſentit Simplic. in lib.* I. *Phy.* q *Plutarch. de Plac. c.* 3. *Laert. loc. cit.*

a *Tull. T. Q. L. V.* b Porphyrius ſcriptor vitae Socratis, quae periit, Socrati detrahebat. *Nicep. Hiſ. Ec. l.* X. *c.* 36. c De Socrate multi olim, multi nuper ſcripſere. ex antiquis habemus *Xenophontem Memorabilia Socratis*, de quo ſcripto *Vid. Fab. B. G. V.* 2. *p.* 74. *Platonem*, qui aſſiduo inducit loquentem Socratem, cui tam multa falſo tribuit, ut Socrates ipſe dixerit: *proh dii immortales, quam multa de me mentitur adoleſcens! Laer. l.* III. *ſ.* 35. *Gell. N. Atti. l.* XIV. *c.* 3. Ex iunioribus quis non? tamen *Bruck. T. I. p.* 523. deſiderat *Socratis Vitam.* d *Laert. l.* II. *ſ.* 18. ibique *Menagius Aldobrandinus.* e *Laert. l. c. Plato in Theaeteto & Alcibiade.* I. f *Conſul.. Petavius Ration. Temp. P.* I. *l.* III. *c.* 8. *Plut. in Sympoſio. Plotini Vita pag.* 9. *Euſeb. Stanleius* ex marmore Arundelliano *Hiſt. Phil. P.* III. *p.* 110. conficit natum Socratem *A. D.* III. *Cal. Iunia. an. A. C. N.* CCCCLVIII.

g opificio vero quantum poterat temporis suffuratus, philosophiae dicabat. *h* Deinde Critonis liberalitate, & beneficio usus, optimis quibusque id temporis doctoribus, qui Athenis mercatum agere inciperent doctrinae, operam dedit. in geometricis Theodorum, in poëticis *k* Evenum, in musicis iuvenis quidem Damonem, *l* senex vero Lampsonem, *m* in rhetoricis Prodicum sophistam *n* audiit. duabus etiam faeminis se discipulum dedit & Diotimae, *o* & Aspasiae *p* eruditionis, & eloquentiae, quam pudicitiae laude *q* clarioribus. Philosophiae magistrum primo habuit Anaxagoram, deinde, hoc exule, Archelaum, cui ita & ingenium, & studium, & mores probavit, ut charissimum haberet Socratem Archelaus, comitem etiam in eo itinere, cum Samum, Pythonem, atque Isthmum adiit. *r*

tis, & institutio.

III.
Socratis & inter arma, & intra domesticos parietes philosophia.

Is philosophus erat Socrates, qui vita potius, quam sermone philosophiam metiretur suam. nam cum inter arma, tum etiam intra domesticos parietes philosophabatur. Nam stare solitus *pertinaci statu* *s* *perdius, atque pernox*, stetit ad Potidaeam *a summo lucis ortu ad solem alterum orientem, inconnivens, immobilis, iisdem in vestigiis, & ore, atque oculis eumdem in locum directis, cogitabundus, tanquam quodam secessu mentis, atque animi facto a corpore.* illud deerat, ut stans pede in uno indorum more philosopharetur. Domi autem optimus paterfamilias fuit Socrates, qui apud Xenophontem *t* quam praecepit egregie de re familiari, tam, credo, egregie curabat domum. Socrates malum, credo, necessarium, unde plus sibi esset boni, uxorem Xantippen esse iudicabat. quae enim ferret a Xantippe iurgia, ea utramque faciunt apud antiquos *u* paginam. Et tamen Heumanus, *x* pro eo, ac solent desertarum, relictarumque rerum patrocinium suscipere reformatores isti litterarum, ultra legem soliti tendere criticen, *y* pro Xantippe causam agit contra omnes testes antiquitatis; contra Xenophontem etiam: *z* qui Xantippen vocat *uxorem omnium acerbissimam*; qui inducit *a* Xantippes filium confirmantem, asperitatem matris neminem posse perferre, qui consilium Socratis in Xantippe ducenda, *b* illud ostendit, ut, si eam tolerare posset, facile omnium hominum toleraret iniurias. Itaque etsi demus Heumano, auctam a graecis saevitiam Xantippes, *c* tamen non omnem Xantippe iniuriam, non insignem Socrati animi moderationem auferimus, *d* quem Xantippe praedicare solita erat, eodem vultu semper se vidisse exeuntem domo, & revertentem.

Ergo

g *Laert. l.* II. *s.* 19. *Aristoph. in Nubibus. alii.* h *Ibidem seg.* 20. k *Plato in Meno. Arist. Nicom. l.*VII. *c.*2. *alii.* l *Laert. l.* II. *seg.* 19. m *Vidend. Brucker. T. I. p.* 525. qui auctoritate antiquorum rem omnem conficit. *n* *Plato in Menone.* o *Idem in Convivio, in Phaedro. Menag. consul. Hist. Mul.Phil. n.*2. p *Menag. l.c.* q *Idem consul.* r *Laert. l.* II. *s.*22. *Vid. Olearius ad l.c.Stanlei.*

s *Gell. l.* II. *c.* 1. *Memor. Soc. l.* V. t *Plut.in Vit.Aristidis. Suidas. Laert.* u *Videndi interp. Laertii.* x *Act. Phil. T.* I. *p.* 103. y *Vidend. Laubruselius e S.I.De Usu,& abusu criticae.* z *Xenop. in Sympcsio.* a *Memorab.l.*II. b *Loc. cit.* c Populi rumores de Xantippe aucti videntur. *Pltarch. De Ira cohibenda. Athenaeus l. V.* 219. *Theodoretus Therap.* XII. *pag.* 174. d *Xenoph. l.* IV. *Memorab.*

IV. *Neque impius, ut inter ethnicos, Socrates; neque, ut inter pios, beatus.*

Ergo mulier morosa, & iurgiosa viri cum acueret virtutem, Socratem virum, civemque bonum faciebat. erat enim *adeo religiosus, ut sine deorum consilio nihil ageret.* quem & Aristophanes *e* cum scurrilem in modum per ora populi, tanquam impium nubium cultorem, traducebat; nubem, quod aiunt, pro Iunone amplexus, ipse sciens frustra erat, spectatores inani criminatione frustrabatur; & iudices cum impietatis crimine damnavere, nullam sibi esse religionem, palam omnibus fecerunt. Neque propterea cum iis facio, qui Socratem in libris sacris versatum, *f* qui aeternae salutis, beataeque vitae iudicant participem. nihil dico *g* de *paederastia*, quam homini obiecere Ecclesiae PP. *h* mitto saltationem per omnia compita. *i* illud cum Lactantio dico, *k* hominem fuisse eiusmodi, qui per canem, & anserem deieraret, gallumque mactandum Aesculapio moriens amicis suo nomine praeceperit. Reliquas ut in philosopho non vulgares fuisse virtutes, auctor est Xenophon. *l*

V. *Fama de Genio Socratis.*

Eximium vero Socrati munus, & veluti insignis nota quaedam, *Genius* fuit, qui Socrati praefuisse ab omnibus antiquis dicitur, *m* qui cuiusmodi esset, a nemine probabili satis argumento dicitur. Quae autem officia genius praestaret Socrati, huc omnia redeunt, *lumen n rebus obscuris, & quas non assequatur humana prudentia*, genium Socrati accendisse: haec faceret, illa omitteret, *o* praecepisse: quae genio assensus exequeretur Socrates, ei bene evenisse: a genio suo numquam delusum fuisse.

VI. *Abnormis opinatio, genium Socratis Sanctum fuisse Spiritum.*

Quod si Socrates duci se genio saepe professus, quali duceretur genio, semel aperte professus fuisset; id quod ne rogatus quidem gratificari amicis voluit; *p* eruditos cura, & studio multarum dissertationum scribendarum liberasset. nunc vero alii *q* genium Socratis illum ipsum Spiritum Sanctum, qui piorum animis illabitur, faciunt. quae mihi in vitam, & mores ethnicos intuenti Socratis, parum videri solet sana opinatio: non quod philosophos negem, rationem secutos ducem, animi salutem, vitamque diviniorem ab illo sanctitatis Spiritu potuisse haurire, in quo Rollinium *r* labi noluissem, doleoque bona fide lapsum: sed quod tanto duce, ac praeside non videantur digna Socratis officia.

VII. *Genius Socratis aliis malus*

Quare alii non Deum ipsum, sed spiritum quemdam Deo minorem, quale genus Socrates non improbabat *s*, *daemona* dant Socrati. in quam quidem sententiam scribit Minucius *t* Felix, *Socratem ad nutum, & arbitrium assidentis sibi daemonis vel declinasse negotia, vel petiisse.* Mitto alios testes *u* de schola platonica. illud unum adiicio, detrahi non posse Socrati angelum ducem, ac tutelarem, qui suus datus *v* est *paredros* cui-

que

e *In Nubibus.* f *Scipio Sgambatus. Arc. V. T. p.* 455. g *Vid. Bruck. T. I. p.* 504. h *Theodoretus l.* XII. *p.* 673. *Therap. Cyril. Alex. contra Iulianum lib.* VI. *p.* 185. i *Lucianus Menip.* k *L.* III. *Di. Inst. cap.* 20. l *Loc. cit. & in singulis paginis Memorab.* m *Vid. Gottfridus Olearius Diss. de Genio Socratis in Hist. Phil. Stanlei. P.* II. *c.* 6. n *Plutarch. De Genio Socratis.* o *Xenoph. l.* I. *Mem.* p *Plutarch. l. c.* q *Loiretus Oecon. Dis. l.* III. *c.* 1. *Thomas. con. in praef. ad Carpentarii Vit. Socratis.* r *Tom.* III. *Rationis Dis. & Docen. a p.* 9. s *Consul. Xenoph. lib.* IV. *Mem.* t *In Octaviano. c.* XXI. u *Marsilius Ficinus ad Plat. Apolog.* v *Vid. Tertullianus de Anima c.* 28. *Iustinus Martyr Apol.* 2. *p.* 65. *Theologi de Angelis.*

que mortalium; quae vero ille praedicaret de genio suo, posse quidem angelo detrahi. Video enim, qui probant δαίμονα Socrati praefuisse minorem, eorum alteros dicere κακοδαίμονα, alteros vero ἀγαθοδαίμονα praefuisse. *x* ex quibus sententia PP. περὶ κακοδαίμον⊙, si non numero, at vincit certe auctoritate. quam ego maxime iudico probandam, si quae sententia sit, cum non liquet satis, amplectenda. Quamquam non eos censeo totam ignorare probabilitatis viam, qui genium Socratis ex ingenio hominis usu, ac prudentia rerum perfectissimo petendum existimant. *y* ut nihil daemon Socratis aliud fuisse, quam τὸ ἡγημονικὸν τῆς ψυχῆς ratione perfecta expolitum, opinentur.

daemon, aliis ingenium prudentissimum fuisse dicitur.

VIII.

Apollinis oraculo summa dicta est Socratis doctrina. Methodus docendi ironia, & inductio.

Ad doctrinam Socratis non invito genio, sed relicto tamen, veniamus, quam fuisse pertenuem Porphyrius *z* cavillabatur, cum alii omnes, maxime vero Tullius, *a* summam fuisse scripser'nt. Multo vero honorificentius de Socrate oraculum Apollinis extat, *b*

Σοφὸς Σοφοκλῆς, σοφώτερος δ' Εὐριπίδης.
Ἀνδρῶν δὲ πάντων Σωκράτης σοφώτατος.

Et in tanta Socratis, tamque laudata, diis, hominibusque plaudentibus, sapientia non notus ille sophistarum fastus inerat; non argutis cavillis, non magnificis de natura disputationibus, *c* non aperta schola, *d* non pacta mercede, *e* non e cathedra eminentiore, *f* non quaesita sermonis gravitate *g* philosophabatur. Sed ut omnes cives ad virtutem inflammaret, *erat semper* h *in hominum oculis*, in foro, in deambulationibus, in tabernis, in conviviis *i* de virtute disserebat. Quam vero civilis disputandi ratio, quam abhorrens ab illa sophistarum superbia, ab hac etiam orationis ariditate, & ieiuna anima, quae hodie multis in ore philosophis est! Socrates usus faceta & eleganti *k* ironia, *de se ipso detrahens in disputatione, plus tribuebat illis, quos volebat refellere*, quosque propterea veluti ipse victus, propriis verbis convincebat. Adhibebat etiam inductionem, populare sane disputandi genus. inductio *l* enim est *oratio, quae rebus non dubiis captat assensionem eius, quicum instituta est: quibus assensionibus facit, ut illi dubia quaedam res propter similitudinem earum rerum, quibus assensit, probetur.*

IX.

Socrates a sophistis, quos exagitare so-

Atque haec doctrinae & solida, & popularis tradendae ratio, populum Socrati conciliavit, sophistas, *m* quos nullo loco consistere patiebatur, verbis, & magnifica sapientiae ostentatione eruditos, reipsa ignarissimos, rabulasque philosophatores, vehementer a se alienavit. eo-

M rum

x *Tertull. loc. cit. Minut. Felix. l. cit. Cyprianus de Idolorum vanitate. Lactantius lib.* II. *cap.* XV. *Aug. de Civ. Dei. lib.* VIII. *cap.* XIV. *Vives in Aug. loc. cit.* y *Carpentarius in vita Socratis*, aliique multi e iunioribus.
z *Apud Theodoretum Therap.* I.
a *De Oratore lib.* II. b *Suid. in v.* σοφός. *Plato in Apologia.* c *Xenoph. l.* I. *Memorab.* d *Aristophanes in Nub. A.* I. *s.* I. nominat phrontisterium Socratis. quae domus ipsa potius, quam destinatus scholis habendis locus fuisse videtur. e *Xenoph. l. c. Scholiastes Aristoph. p.* 129. f *Plutar. l. c.* g *Xenoph. l. cit.* h *Xenoph. l. c.* i *Plutarch. l. c.* k *Tull. Ac. Quaest. l.* IV. *Quinctilianus L.* IX. *cap.* 2. *definit.* l *Tul. lib.* I. *De Inventione.* m *Viden. Xenophon. Apolog. Aelian. Var. Hist. lib.* XI. *cap.* 13.

lebat, in ius ducitur, per summam iniuriam veneno tollitur.

rum enim doctorum, qui publice se magistros profitentur, est genus irritabile in eos, siqui contra cornua tollunt, siqui etiam non demittunt auriculas, ut iniquae mentis asellus. Itaque cum a sophistis discipulos abduceret Socrates, est ipse ab Anyto, Melitoque ductus in ius, accusatusque per summum nefas eo nomine, quod deos patrios non coleret, deos peregrinos induceret, iuventutem nova religione, doctrinaque corrumperet. Multa & fecit, & dixit in eo iudicio Socrates, quibus meliora non alias dedit philosophia. *n* tamen iussus venenum bibit. *o* Mortuo Socrati iusta persolvere amici veste lugubri. *p* qui sane quamquam Athenis primo excessissent, *q* tamen cum civitas ad se rediisset, in patriam sunt revocati. inimici contra publico odio invisi, brevi poenas cum sanguine dedere. civitas statuam aeneam Socrati decrevit, *s* nec tamen iniuriae publicas poenas peste, aliisque vexata calamitatibus, effugit.

X.

Socratis scripta nulla legitima.

E vivis abiens Socrates monumenta gloriae aere reliquit perenniora & in animis civium, & in sapientia suorum discipulorum. Etsi enim scripta nulla Socratis reliqua fuerint, doctrina tamen hodie dum viget, litteris, & memoria cum Platonis, *t* tum vero Xenophontis consecrata. *u* Nolo autem pluribus eam rem persequi, scripserit quicquam Socrates, necne. nihil scripsisse visus est multis. *x* nec mihi aliter videtur. non enim me auctoritas in hac parte Platonis frangit, qui grati animi dolo supposuit *y* scripta praeceptori. nec me Leo Allatius *z* movet, cui viro doctissimo fecit satis Olearius. *a* Itaque non videntur tribuenda Socrati *Paean Apollinis*, b *Aesopi Fabulae* carminibus *c* ligatae, *Aeschinis Dialogi*, d *Euripidis Tragoediae*, e *Epistolae VII.* ab Allatio *editae.* f

XI.

Socrates unam morum disciplinam colebat, qua formavit plures doctissimos viros.

Quanquam autem ipse Socrates ex scriptis taceat, nulla unquam de eius doctrina conticescet posteritas. Fuit ille quidem omnibus doctrinarum mysteriis initiatus, *g* sed ea dumtaxat arcana ethicae vulgavit philosophiae, quae bono suis civibus essent futura. Quod *siquis maiora, quam pro sapientia humana, vellet assequi, ei dabat hoc consilii, ut divinationi operam daret.* Quam vero saepe, quamque multis opus esset altero Socrate, qui eos ab inani, & otiosa philosophia, ab eristica potissimum logica *h* deduceret, quae tempus omne vitae, debitum gravioribus

n *Plato in Apolog. Libanius in Apol. Sac.* o *Citati.* p *Citati.* q *Laert. loc. cit.* s *Cit.* t *Plato* in omnibus dialogis inducit loquentem Socratem, quasi semper pendeat ab ore magistri. u *In libris Memorabi.* x *Ciceroni lib.* III. *De Orat. Plutarc. de fortuna Alexandri. Dion. Chry. Dis.* LIV. *con. Olear. ad Stanleium Hist. Phil. P.* III. *c.* XI. *y* *Epist.* II. & VII. *ad Dionysium* z Edidit *Leo Allatius Parisiis* 1637. *Epist.* 7. *Socratis cum* 28. *Socraticorum.* a *Loc. cit.* b *Plato tribuit in Phaedone.* c *Plato eodem. loc. Laert. Vid. lib.* II. *s.* 42. d *Menag. Vid. ad Laert. l.* II. *s.* 60. e *Laert. lib.*II. *s.* 28. f *Fab. Bib. Gr. Vol.* I. *pag.* 783. g *Plat. Apol. Tull. loc. cit.* h *Rapinus Reflex. sur la Log.* 373. iudicat, usum logicae moderatum Socrati placuisse; spinas, subtilitates, aculeos eleaticae scholae vehementer displicuisse. Monendi, qui nunc sunt in Hispania, logici, ut audiant etiam Gellium. lib. XV. c. 8. dialecticae *sane si modum non feceris, periculum non mediocre erit, ne, ut plerique alii, tu quoque in illis dialecticae gyris*

ribus curis, & ſtudiis ſolet conſumere. Et tamen ex inſtitutione, diſciplinaque ſocratica, non pauciores reipublicae litterariae, quam Graeciae quondam ex equo troiano, principes extitere. ut enim eos praeteream, quos Xenophon, quos Plato in ſermonibus ſocraticis inducunt loquentes, qui fere ſunt Socratis auditores, Critonem, Critobolum, Hermogenem, Epigenem, *i* Diodorum, Euthydemum, Eutherum, Ariſtarchum, *k* Critiam, Alcibiadem, *l* Lyſiam, Evenum, & Euripidem, *m* quos, credo, Socrates mores potius, quam ſermones docuit philoſophicos: ut, inquam, hos, alioſque multos praeteream, tamen quod ex *n* Socratis *variis, & diverſis, & in omnem partem diffuſis diſputationibus alius aliud apprehenderat, proſeminatae ſunt quaſi familiae, diſſentientes inter ſe, & multum diſiunctae, & diſpares.*

XII. *Socraticorum auditorum ratio triplex.*

Proſeminatae ſunt autem hae familiae per auditores ſocraticos, & cyrenaica per Ariſtippum, & eliaca per Phaedonem, & megarica per Euclidem, & academica per Platonem, & cynica denique per Antiſthenem. *o* quae tametſi ſocraticae & dici vellent, & eſſe arbitrarentur, tamen iure amiſere nomen, quod adoptatae in aliam veluti domum fuiſſent. Socratici illi dicti ſunt, qui ad plebem philoſophicam non tranſiere, Xenophon, Aeſchines, Cebes, Simon, Crito, Glauco, Simmias. de quibus primum tanquam legitimis philoſophiae ſocraticae alumnis, deinceps vero de illis aliis novarum familiarum auctoribus dicemus. ſic tria quaſi genera diſcipulorum Socrati dederimus, & eorum, qui vita; & eorum, qui ſcriptis; & eorum, qui ſectis doctrinam ſocraticam expreſſere.

XIII. *Xenophon ſocraticus, imperator egregius: Aeſchines Socratis diſcipulus, orator bonus.*

Xenophon is, *qui ex omnibus philoſophis* p *non doctrina tantum, & verbis, ſed & factis philoſophiam ornavit*, natus eſt Athenis Olymp. LXXXII. *q* patre Gryllo. vultu fuit adeo modeſto, adeo ingenuo, ut nihil ſupra. Socrati fuit Xenophontis

Gratior & pulchro veniens in corpore virtus.

nam conſpicatus adoleſcentem formoſiſsimum, porrecto baculo tranſire prohibuit, ſermonemque more ſuo quaerens, *r* in diſciplinam pertraxit. Erat autem Xenophon egregius & miles, *ſ* & imperator, *t* & hiſtoricus. *u* ſecutus Cyrum minorem, *x* & in locum Proxeni graecorum auxiliorum ducis ſuffectus, milites ſalvos memorata illa expeditione, *y* qua non aliam agnovit antiquitas clariorem, reduxit. Multa ſcripſit *z* oratione eiuſmodi, quae muſis eſt dignisſima iudicata. Aeſchines, non ille orator nobilis Demoſtheni infeſtus, *a* ſed ille alius, *b* cuius pater Charinus botulis,

gyris atque maeandris tamquam apud ſirenios ſcopulos conſeneſcas. i *Laert. lib.* II. *ſ.* 121. *Xenoph. lib.* V. & *l.* II. & *lib.* IV. k *Xenoph. lib.* II. & IV. *l* *Aelianus lib.* II. *cap.* 1. & *lib.* III. *cap.* 28. m *Auctores laudati.* n *Tull. lib.* III. *De Orat.* o *Galen. Hiſt. Phil. cap.* 2. *Apuleius in Florid. Laert. lib.* II. *ſeg.* 41. p *Eunapius de Vitis.* q *Conſul. Lucian. in Macrobiis. Laert. lib.* II. *ſeg.* 26. & *ſ.* 59. *Suidas voc. Xenoph.* r *Laer. lib.* II. *ſeg.* 48 I. *Menagius ibi.* ſ *Laer. lib.* II. *ſeg.* 23. *Strab. li.* X. t *Vid. Xenoph.* ἀναβ. Κύρȣ *lib.* II. & III. & IV. u *Fabric. B. G. Vol.* II. *p.* 72. x *Xenoph. ll. cit.* y *Xenoph. l. c.* z *Fabric. loc. cit. Cic. de Orat. Laert. lib.* II. *ſeg.* 57. a *Conſ. Gronovius tom.* I. *Theſ. Ant. Gr. ad tab.* 94. b *Conſ. Cler. in Vit. Aeſchinis praemiſſa Dialogis. Suid. Heſych. in Aeſchines.*

tulis, & isitiis faciendis victitaret; & vita, & philosophia unus fuit omnium maxime socraticus. Hic solitus erat a Socrate iuberi, c sibi subducendis cibariis, ipsum a se usuras facere. In Siciliam ad Dionysium cum venisset, primo in contemptu, d deinde ab amicis commendatus, e in honore, & pretio apud tyrannum fuit. Reversus domum magister artis, ingeniique largitor venter Aeschinem eum fecit oratorem, f cui invideret Lysias. g Multa scripsit, in quibus flos est delibatus socraticae doctrinae, h quae invidorum maledicentia Socrati surrepta iactavit.

XIV. *Cebes socraticus legitimus auctor του πινακος.*

Qui de moribus egregie praecepit in dialogis, alius est Cebes patria thebanus, studio vir plane socraticus. i Eius tabula, quae Suidae dicitur k τῶν ἐν ᾅδου διήγησις, quaeque continet sortem, seriem, caussamque, & veluti oeconomiam eorum, quae animis in vitam venientibus accidant; in omnium manibus est. Tabulae possessionem iure antiquissimae praescriptionis Cebeti socratico vindicatam, l malae fidei esse Hieronymus Wolfius contendit. m Sed nihil est, cur causa cadat Cebes: qui sive tabulam ipse sibi detrahat, & cuidam Pythagorae studioso viro tribuat; n id, credo, vel modestiam, vel ironiam Socratis imitatus o fecit. sive Platonem se iuniorem testem det; id enim vero convenit aetati rationibusque Platonis, quem valde iuvenem p scripta commendarunt. sive Pythagorae sequatur, exprimatque in tabula doctrinam; in eo sane transfugas q a Socrate ad Pythagoram condiscipulos est alios consecutus. sive ius eruditionis honestae neget dialecticis, criticis, hedonicis, peripateticis, qui Cebete vivo vel nulli erant, vel male nondum audiebant; r in ea parte tabula adulterino colore illita fuerit, & quas ad oram s notas habebat, imperiti librarii manus in mediam tabulam transcripserit. Satius enim iudico omnem pro Cebete movere lapidem, quam *pinaca* antiquissimum a Cebete removere. t

XV. *Reliqui socratici Simon, Crito, Glauco, Simmias.*

Socraticos etiam minorum gentium nonnullos ante conditum lustrum reip. socraticae censeamus. Simon fuit quidam coriarius, qui cum in taberna saepe Socratem audiret, primus in socraticis dialogis scribendis, u quam de corio ludere, maluit. cui, ne membranas deberemus, vetustas fecit. x rogatus a Pericle, ut ad se veniret, beatus futurus rerum affluen-

c *Laert. l.* II *s.* 32. d *Laert. l. c. Lucian. in Parasit.* e *Laert. loc. cit. Plutarch. de Cohibenda Ira.* f *Laert. loc. cit. seg.* 62. g *Athenaeus lib.* XIII.

h *Fabr. B. G. V.* I. *pag.* 785. *alii.*

i *Laer. lib.* II. *seg.* 125. *Suid. in Cebes. Plato in Phaedone.* k *L. c. vid. Laert. interp.* m *In Annotationibus ad Epictetum.* n Id profitetur *in tabula Cebes.* o *Cic. De Orat. ad Brutum.*

p *Laert. lib.* III. *segmen.* 35. refert, vivo Socrate recitata Platonis scripta fuisse. q Plato aemulatur studia Pythagorae saepissime.

r Vide quae supra notavimus de usu moderato dialecticae. s *Chalcidius l. c.* aliter πίνακα legit. ut suspicari liceat, contaminatam tabulam annotationibus scripturae conglutinatis, quod malum saepe sensere libri plutearii *Vid. Cler. Art. Crit. P.* III. *S.* 7. *c* 7. t Si licet eiusmodi coniecturis antiquos scriptores iugulare, nemo unus iugulum criticis non dabit. u *Laert. l.* II. *s.* 122. x *Fab. B. G.* V. I. *pag.* 794.

fluentia, *y* in dicendo libertatem vendere se nolle, respondit. quid amplius a coriario petas?

Non bene pro toto libertas venditur auro.

Crito vero is, qui Socratem egere nunquam passus est, *z* cum ei liberos primum dedisset erudiendos, se deinceps quoque dedit; & in officina socratica dialogos elaboratos in vulgus emisit, qui cum pulvisculo periere. *a* Glauconem docuit etiam Platonis fratrem, *b* unaque Simmiam *c* Socrates. De quibus cum plura dicere non possimus, illud unum dicamus, omnes Socratis discipulos humanissimos exemplo praeceptoris sui fuisse, cum Athenis viveret ille μισάνθρωπος Timon, *d* qui odio in genus humanum potius, quam doctrina philosophica omni posteritati proditus est execrandus.

CAP. V. *PHILOSOPHIA cyrenaica.*

PROP. I. *Cyrenaicae philosophiae conditor Aristippus, Socrati dat operam.*

Atque his superioribus philosophis domicilium fuit & unum, & proprium in philosophia, & schola Socratis; aliis vero multis eius doctrinae discipulis, maxime autem Aristippo, migratio placuit in alienam a sapientia Socratica philosophiam. novam enim disciplinae formulam Aristippus Socratis auditor discipulis ipse suis tradidit. quam qui sequerentur raro aristippici, *e* ferme cyrenaici sunt nominati: habita non auctoris philosophiae, sed patriae auctoris ratione. Nos in hac parte rem more nostro eo paucioribus verbis dicemus, quo incertiora sunt, nullis hodie reliquis Aristippi scriptis, quae de Aristippo & antiqui, *f* & novi memorant scriptores. *g* Aristippus quidem natus Cyrenes in Africa, patrem habuit Aritadam, *h* civem & nobilem, & opulentum, cuius cura domi iam doceri coeptus *i* Aristippus,

Artes, quas doceat quivis eques, atque senator
Semet prognatos; vestem, servosque sequentes

cum ab eodem accepisset, ad ludos venit olympicos. quo in itinere dicitur iusisse servos proiicere aurum in media Lybia, quia tardius irent. quae criminatio, & aliae id genus plus invidiae, quam fidei habere videntur. Ab Iscomacho certior factus, *k* quam Socrates profiteretur philosophiam, cupiditate accensus Athenas navigavit, gratisque in disci-

y *Allatius*, & *Fabric.* & *Olearius consul.* z *Laert. lib.* II. *seg.* 121. a *Laert. loc. cit. Suidas in Crito. Fabric. loc. cit. pag.* 791. b *Fabric. l. cit. pag.* 792. c *Aelian. V. Hist. l.* I. *cap.* 16. alii. d *Lucianus in Timone. Suid. V. Timon. Laert. lib.* IX. *s.* 112. *Plinius Hist. N. lib.* VIII. *c.* 19. de Timone narrant, fuisse atheniensem, fuisse philosophum, fuisse ea immanitate naturae, ut congressus, societatemque hominum fugeret, & odisset. Frustra Tanaquillus Faber hominem excusat *ad Lucianum.* saepe hominum genus tulit similes μισανθρώπους. Vidend. Franc. Antonius Ortevius barcinonensis canonicus iuvenis eruditissimus in ea oratione, quam edidit Cervariae An. 1758. *De Disciplina Morum ex Iure Canonico moderate tradenda.* e *Hist. Philos. Galeno tributae auctor cap.* 3. docet ab Aristippo philosophos dictos fuisse *aristippicos*. non memini me tale quid nominis legere: *consule Menagium ad Laert. lib.* I. *seg.* 17. f *Laert. loc. cit. Xenoph. Memor. lib.* II. *Suid. alii.* g *Paulus Leopardus in Vita Aristippi. Fridericus Menzius in Vita Aristippi,* & *auctores Hist. Phil.* h *Suidas in Aristippus.* i *Consul. Menz. l.c. Hor. l.* II. *Sat.* III. k *Plut. de Curiositate.*

ſciplinam a Socrate, qui magnam eo nomine pecuniam Ariſtippi non accepit, receptus, valde in philoſophia morum profecit, in moribus parum. *l*

II. *Itinera multa Ariſtippi; & Athenis aperta ſchola; & vita flagitioſa.*

Itaque cum praeceptori eſſet, tum etiam diſcipulis ob delitias inviſus, *m* Athenis ſeſe Aeginam tranſtulit, in quo veluti ſeceſſu diſſolute admodum dicitur vixiſſe. *n* Ab Aegina uſus adverſa tempeſtate *o* Corinthum navigavit. In ea vero navigatione, quam in Aſiam ſuſceperat, *p* navim fregit, & in littus rhodium eiectus, quod ſchemata geometrica deſcripta inveniſſet, comites bono eſſe animo *q* iuſsit, cum videre ſe hominum veſtigia diceret. Itaque naufragium bene vertit Ariſtippo, qui Rhodi in gymnaſium ingreſſus, cum multa diſputaſſet, miſericordiam rhodiorum ita commovit, ut ſibi, ſuiſque naufragis multa illi bona largirentur. adeo fractis navibus non enatavit expes Ariſtippus. Eſt etiam in Siciliam ſive ſponte ſua, ſive rogatu Dionyſii *r* profectus Ariſtippus, cui valde voluptuoſam philoſophiam ſuam probavit tum, cum *ſ*

Omnis Ariſtippum decuit color, & ſtatus & res.

e Sicilia vero prius reverſus Athenas, quam regno pelleretur tyrannus, *t* philoſophiam *u* pacta mercedula publice docuit, ubi fortaſſe mortuus ſit. non enim traditum eſt ab antiquis, *x* an unquam in patriam redierit, ubi vitae finem poſuerit. Illud vero a multis memoriae proditum eſt, Ariſtippum, ubicumque pedem poſuerit, impreſſa nequitiae veſtigia reliquiſſe. qua in parte tam ſtudioſa condiſcipulorum, quos omnes Ariſtippus habuiſſe videtur iniquos, *y* criminibus fidem levat teſtificatio.

III. *Ariſtippus modice doctus in artibus liberalibus.*

Sed habeat hoc praemium philoſophus, qui ſummum poſuit in voluptate bonum, ut vitae licentia vel ſilentio, vel obſcuritate opinionum obtegatur. doctrina omnis cuiuſmodi fuerit, videamus. Atque ex Ariſtippi quidem ſcriptis *z* facile apparet, non imparatum a liberaliore eruditione fuiſſe, qui & hiſtoriam, *a* & dialogos, & de phyſiologis ſcripſerit. quam tamen omnem inſtitutionem ideo ſuſceperat, non quia virtutem dare poſſet, ſed quia animum ad eam accipiendam praepararet. Vehementer enim eos Ariſtippus *b* reprehendebat, qui litteras, & humaniores artes tenere conati, philoſophiam artium dominam negligerent, eoſdemque ſimiles eſſe dicebat procis penelopeis, qui ancillas dominis priores habuiſſent. Ergo modice, vel etiam intra modum colendas praecipiebat *c* diſciplinas, & mathemmaticam, & phyſicam Socratis more,

l *Laert. loc. cit. & lib.* II. *ſeg.* 47. m *Athenaeus lib.* XII. *Xenoph. Mem. l.* II. Heic nonnihil addubitat *Bruck. tom.* I. *pag.* 587. n *Iidem auct.* o *Laert. lib.* II. *ſ.* 17. *Gell. l.* XIX. *cap.* 1. p *Laert. loc. cit. ſeg.* 79. q *Vitruvius lib.* VI. r *Lucianus in Paraſito Suid. v. Ariſtippus.* ſ *Horat. lib.* I. *Epiſt.* 17. t *Plut. in Dione. Laert. lib.* II. *ſeg.* 62. u *Laert. loc. cit. & lib.* II. *ſeg.* 65. x Si *Epiſtola Ariſtippi* ad *Aretem* filiam ſit legitima, habemus, & in patria docuiſſe, & in Lippara periiſſe Ariſtippum. *Vid. Stanlei. H. phil. P.* III. *p.* 143. y *Laertius* auctor eſt, neque Xenophonti bene conveniſſe cum Ariſtippo *l.* II. *ſ.* 65. neque Platoni *ſeg.* 69. neque Phaedoni *ſ.* 76. neque Aeſchini *ſeg.* 82. z *Fab. B. G. V.* I. *pag.* 787. a *Fab. loc. cit.* b *Laert. lib.* II. *ſegm.* 79. c *Ariſt. lib.* II. *Metaph. cap.* 21. *Laert. lib.* II. *ſegment.* 92.

re, modoque, dialecticam tamen cum ipſe attigit, *d* tum vero eius diſcipuli paulo vigilantius retractavere. *e*

IV. *Succeſsio in ſchola cyrenaica.*

Diſcipulorum autem Ariſtippi in ſcholā cyrenaica ſucceſsio non eſt ſatis explicata. Ariſtippus quidem, qui ſe audierint in philoſophia, habuit & Areten filiam, & Aethiopem quemdam, & Antipatrum Cyrenaeum, & Synallum denique. At in reliqua ſucceſsione memorantur Ariſtippus iunior, Theodorus Atheus, Antipater etiam iunior, Epitimides, Paraebates, Hegeſias, & Anniceris. *f* Et tamen in tam tenui patrimonio philoſophiae cyrenaicae tres factae ſunt philoſophorum diviſiones. nam a Theodoro philoſophi theodorii, ab Hegeſia orti ſunt hegeſiaci, ab Anniceride annicerii. *g*

V. *Arete faemina clariſsima laude philoſophiae.*

De ſingulis autem pauca indicabimus. Arete mulier eximia in philoſophicis, *h* filia ſenioris Ariſtippi, iunioris autem mater, ut a patre fuerat erudita accuratiſsima quadam, ac prope nimia inſtitutione, ſic ipſa filium diligentiſsime ad philoſophiam informavit. *i* In quo ego felicitatem miror familiae eruditae, cui non illud acciderit, quod ſaepe accidiſſe alias, hodie etiam accidere duobus eruditiſsimis Hiſpaniae noſtrae viris, accepimus, ut eruditiſsimi cuiuſque patris ſtultiſsimus ſit filius. *k*

Παῦροι γάρ τοι παῖδες ὅμοιοι πατρὶ πέλονται.

VI. *Cyrenaici reliqui ex ordine lecti.*

Qui vero reliqui ſunt Ariſtippi auditores, eos de nomine modo cognovimus. nam vir ille infinitae cuiuſdam eruditionis Aegidius Menagius *l*, *De Aethiope*, inquit, *illo e Ptolemaide alibi legere me non memini.* At de Antipatro illo cyrenaeo pauca memorat Tullius, *m* caecum fuiſſe, & paulo obſcoeniorem. De Synallo nomenclatorem habemus Euſebium. *n* Tertius philoſophiae cyrenaicae dux, Ariſtippus iunior, a matre eruditus, inſignis fuit philoſophus. *o* diſcipulos habuit Theodorum Atheum, *p* & Antipatrum. *q* De Theodoro mox plura. de Antipatro hoc unum habemus a Laertio, *r* *Antipatrum Epitimides cyrenaeus magiſtrum habuit*. tamen coniectura quadam fit *ſ* diſcipulus Antipater iunior iunioris Ariſtippi. Quartus eſt ſcholae ſucceſſor Epitimides, de quo nihil accepimus aliud, quam quod fuerit Antipatri diſcipulus, magiſter vero Paraebatae. Quintus denique magiſter cyrenaicorum eſt hic ipſe Paraebates. *t* cui duo fuere diſcipuli nobis notiores Hegeſias, & Anniceris, de quibus ordine iam dicemus.

VII. *Theodorus cyrenaicus ideo dictus ἄθεος, quod ethnicas non probaret religiones.*

Theodorus quidem patria cyrenaeus, *u* diſcipulus Ariſtippi iunioris, ſi fides Suidae, diſcipulus etiam Anniceridis, Dionyſii dialectici, Zenonis Cittici, Pyrrhonis Ephectici, Bryſoniſque, neſcio cuius, non tamen Socratis nimio ſenioris Theodoro, atheus dictus, editis ſcriptis ſectam condidit theodoriam. Primum impietatis crimine a cyrenaicis expulſus, *y* deinde ab Areopago (Athenas enim exul venerat) damnatus, &

d *Sex. Emp. Pyrr. hyp. lib.* I. *c.* 31. *ſeg.* 55. e *Tul. in Lucul. c.* 7. *Tul. A. Q. lib.* IV. *alii.* f *Laert. l.*II. *ſ.*86. g *Viden. Thom. Adobrandinus ad Laer.* h *Laert. loc. cit. Clem. Alex. Strom. lib.* IV. i *Laert. l. c.* k *Homerus Odyſ. E.*

l *Ad l. Laert.* m *Q.T.l.*I. n *Euſeb. P.Ev. l.* XIV. *c.*18. o *Themiſtius Orat.* XXI. p *Suid. V. Theodorus.* q *Colligi ex Laertio videtur.* r *Loc.cit.* ſ Ex ordine enim videtur memoraſſe *Laertius.* t *Laert. l.c.* u *Laert. indicat l.* II. *ſ.* 98. y *Laert. ſeg.* 102.

& opibus Demetrii Phalerei supplicio ereptus, ad Ptolemaeum Lagi filium sese contulit, qui hominem misit legatum ad Lysimachum. a Lysimacho male habitus Cyrenem reversus est, ubi cum Mario iucunde vixit. z veneno denique hausto periit impietatis reus. Quali autem fuerit de diis opinione, *a* non satis liquet. sunt qui Deum omnino sustulisse dicant; *b* sunt contra, qui deos eiusmodi negasse Theodorum velint, *c* quales impia graecorum religio colebat.

VIII.
Bion philosophus theodorius, impii doctoris discipulus impius.

Famosus est etiam ob impietatem Bion Boristhenites, natus patre liberto, matre prostituta, familia publice in servitutem ob facinus data. is aratoris primo servus, deinde heres, Athenas venit, ubi & Cratetem academicum, & cynicum philosophum, & Theodorum, & Theophrastum denique inconstantia quadam animi, ac levitate propositi praeceptores audiit. *d* Ingenio fuit acuto, & lingua exercitata, quod indicat Horatius: *e Hic delectatur iambis;*

Ille bioneis sermonibus, & sale nigro.

Gratus fuit Antigono Macedoniae regi. *f* Habitus est atheus, vel quod opinionem communi theologiae foveret contrariam, quam rogatus de diis indicasse visus est hoc carmine, *g*

Tune senex turbam a nobis propellere curas?

vel quod deos putaret esse nullos. *h* quamquam morti proximus, quam obiit Chalcide, perdite religiosus dicitur evasisse; id quod obstinatissimis ἀθέοις saepe contingit. *i*

IX.
Evemerus ideo habitus impius, quod originem impiae religionis aperuisset.

Theodoro vero, & Bioni res ipsa monet, ut Evemerum socium demus, quibus iudicatus est in impietate simillimus. Evemerus civis an messenius, an agrigentinus, an tegeates, iussus a Cassandro Macedoniae rege, longam in oceanum coepit navigationem, Panchaiam Insulam adiit, in qua legit res gestas Iovis Triphylii inscriptas columnae. k Edito autem *Sacrae Historiae* libro, cuius nobis fragmenta, olim ab Ennio conversa, collegit Columna, origines ethnicae religionis habuit in propatulo. *l* De quo ita rem totam complexus est Cicero. *m* Quid? *qui aut fortes, aut claros, aut potentes viros tradunt post mortem ad deos pervenisse... nonne expertes sunt religionum omnium? quae ratio maxime tractata ab Evemero est: quem noster & interpretatus, & secutus est, praeter caeteros Ennius. Ab Evemero & mortes, & sepulturae demonstrantur deorum.* Quid ergo? atheusne Evemerus? res in controversia est. *n* ego Clementi Alexandrino consentio, *o* Evemerum, aliosque nonnullos errorem, & superstitionem de diis acrius, quam reliquos homines, perspexisse.

Sed ad hegesiacos, plebeiam philosophorum familiam, a Laertio *p* memo-

z *Laert. l. c.* a *Bruck. T. I. p.* 603. b *Epiphanius T. I. p.* 1089. *Lactantius l. I. c.* 12. *Cic. De Nat. Deo. l. I. c.* 14. *alii passim.* c *Clem. Alex. Protrep. p.* 14. *Sex. Emp. Ad. Math. l.* IX. *§.* 55. d *Laert. l.* IV. *§.* 46. *reliq. Menag. ibidem.* e *Lib.* I. *Epist.* 2. f *Laer. l. c.* g *Idem l.* II. *§.* 117. h *Idem l.* IV. *§.* 46. *Baelius Dic. V. Bion.* i *Interp. Laertii consulendi, & Bael. l. c.* k *Fabric. ad Sex. Emp. p.* 552. *Hieronymus Columna in Fragmentis Ennii pag.* 312. l *Plutarch. De Iside, & Osiride.* m *De Nat. Deor. l.* I. n *Atheum faciunt Theophilus Antiochenus. Lactantius l.* I. *cap.* 2. *&* 13. alii & veteres, & novi. o *Protrep. pag.* 24. p *Laert. lib.* II. *seg.* 86.

memoratam, veniamus. Hegesias philosophus cyrenaicus, Paraebatae discipulus, cognomine πεισιθάνατος fuit. Nihil praeterea de Hegesia, ater, an albus fuerit, veteres nobis tradidere. Illa dicitur fuisse homini κυρία δόξα, *cum vitae felicitas nulla sit, eligendam esse mortem, neque indifferenter habendam*, contra quam reliqui sentirent cyrenaici, mortem esse sapienti indifferentem. Testem autem Hegesiam Cicero *q* induxit. *a malis*, ait, *mors abducit, non a bonis, verum si quaerimus. hoc quidem a cyrenaico Hegesia sic copiose disputatur, ut a rege Ptolemaeo prohibitus esse dicatur*, r *illa in scholis dicere, quo multi his auditis mortem sibi ipsi consciscerent.. Eius autem, quem dixi Hegesiae liber est* ἀπο καρτερῶν; *quod a vita quidam, per inediam discedens, revocatur ab amicis, quibus respondens vitae humanae enumerat incommoda.* r

X. *Hegesias cyrenaicus cognomine πεισιθάνατος de morte tacere iussus.*

Reliqui sunt *annicerii philosophi nominati*, ſ *qui omne bonum in voluptate posuerunt, virtutemque censuerunt ob eam rem esse laudandam, quod efficiens esset voluptatis.* Horum auctor Anniceris quidam fuit cyrenaeus, *t* non ille quidem senior, qui Platonem Dionysii iussu inter servos venalem, *u* a se redemptum, amicis restituit; sed iunior Anniceris, Paraebetae discipulus, cui frater erat Nicoteles. *x* Haec autem cohaerentia de Anniceride dici possunt. nam quae habet Suidas alia, *y* Annicerin fuisse epicureum, vixisse temporibus Alexandri, discipulum habuisse Posidonium Ciceronis magistrum, profecto sibi non constant. Post Annicerin, alius non memoratur cyrenaicus. cyrenaicis enim obsoletis floruit Epicurus *z*, *eiusdem fere adiutor, auctorque sententiae.* ut merito Menagius *a* ascribat potius epicureis, quam cyrenaicis illum Dionysium Heracleotem, qui dolore oculorum cruciatus τὴν ἀπάθειαν Stoae, stoicosque prodiderit, ad philosophos hedonicos transfuga. *b*

XI. *Anniceris non ille redemptor Platonis, sed alius iunior, anniceriorum pater.*

CAP. VI.
PHILOSOphia megarica

PROP. I.
Nomina philosophiae megaricae, conditorque Euclides.

Bene habet sane. in historia philosophiae auctores, ac veluti quidam omnium, qui nunc sunt, philosophorum parentes ex ordine apparent. qui moribus formandis student, socraticos; qui voluptati, ac ventri, tamquam brutae pecudes obediunt, cyrenaicos agnoscent maiores suos: at qui litibus, & altercationibus, & iurgiis delectantur assiduis; heic duces suos, quos sequantur, habebunt megaricos, sive potius eleaticos philosophos. Horum autem philosophia clamosa, & iurgiosa conditorem habuit Euclidem megarensem, propagatores in exedris nobiles Eubulidem, Alexinum, Euphantum, Apollonium, & Diodorum Cronos, Ichthyam, Clinomachum, atque Stilponem. *c* qui omnes vocari solent *megarici*, *eristici*, & *dialectici.* Mallem equidem, eos fuisse nullos, cum videam, spinosam ab his philosophiam, ad nostram hanc etiam aetatem propagatam, multorum ingenia & pungere, & atterere; quam qui fuerint exponere. Euclides natus Megaris ad isthmum, *d* alius ab Euclide geometra, vir ingenio acutus, cum in libris parmenideis *e* diu, multumque versatus fuisset, Socratem audivit Athenis tanto studio, ac contentione, ut, cum,

 qui

q *T. Q.* l. I. r *Val. Max. l.* VIII. c. IX. eadem habet. ſ *Cic. l.* III. *Offic.* t *Laer. lib.* II. *seg.* 96. u *Aelian. Var. Hist. l.* II. *c.* 27. *alii.* x *Suid. in Aristippus.* y *L. c.* z *Cic. loc. cit.* a *Menag. ad Laert. l.* VII. *s.* 162. b *Laert. l. c.* c *Laert l.* II. *s.* 106. *Ionsius l.* II. c. 1. d *Laert. l.* II. e *Cic. T. Q. l.* II. *Walchius Hist. Logicae* §. III.

qui megaris civis esset, d *si intulisse Athenas pedem prehensus esset, ea res ei homini capitalis esset decreto atheniensium; tamen Euclides sub noctem priusquam advesperasceret, tunica longa muliebri indutus, & pallio versicolore amictus, & caput, & ora velatus, e domo sua Megaris Athenas ad Socratem* commearet.

II. *Euclides scholam eristicam Megaris instituit.*

Homo autem contentionibus deditus in disputando, non tulit diu placidam, urbanamque Socratis philosophiam. vivo enim, videntique Socrate, Megaris scholam aperuit, *e* quae illi maximae gloriae fuit, *f* cum iam positis bellis nugari Graecia, & acumine ingenii pro ense pugnare, coepisset. forma vero, & doctrinae ratio erat eiusmodi, ut alius ludens in verbo, non σχολὴν, sed χολὴν, alius λύσσαν ἐριςμοῦ nominaverit. *Argumentorum* g *conclusiones non sumptionibus, sed conclusionibus refellendis oppugnabat*. hoc *h* vero est, quod exponit Petrus Gassendus, *i* *quasi consecutiones forent perspicuae, illationes ille congerebat, ergo, ergo, ergo: quae arguendi ratio, quasi respirare non sinens, est omnium urgentissima.* At qui in schola tam esset vehemens, idem domi erat humanissimus, qui & placavit adolescentem sibi minantem, *k* & Platonem hospitio excepit benignissime. *l* Nonnulla, quae desideramus, dicitur scripsisse. *m*

III. *Eubuides sophismatum auctor.*

Eubulides Milesius calumniator ideo dictus, quod assiduo Aristotelem lacesseret, *n* discipulus, & successor Euclidis fuit. Demosthenem etiam, quem exercitatione assidua litteram docuerit ϛ. appellare, a nonnullis dicitur habuisse discipulum. *o* quo non tantam est tamen affecutus gloriam, quantam novorum inventione sophismatum. Invenit *p* enim *Mentiens*, *Occultum*, *Electram*, *Velatum*, *Soriten*, *Cornutum*, *Calvum*, quae nos loco suo explicabimus, siquidem tanti fuerit.

IV. *Alexinus importunus dialecticus. Euphantus megaricus doctior. Apollonius Cronus.*

Alius est & nomine, & factis dignissimus scholae megaricae praeceptor Alexinus patria eleus, *r* qui ob studium contra dicendi pro *Alexino Alenxinus*, sive contradicens appellatus est. Cum scholam transtulisset Olympiam in locum infrequentem, gravique coeli temperatione, rogatus eius rei causam, velle se condere, ait, *sectam olympicam*. discipuli tamen quasi de coelo detracti, Alexinum cum uno servo in Olympo deseruere. *s* Bellum gessit eristicum cum Aristotele, aliisque philosophis praestantissimis. *t* natans in Alphaeo, cum aru ndine corpus pupugisset, ex vulnere finem vivendi fecit, & litigandi. quod fere unum bene fecit. Dignior, qui graviori praeesset scholae, Euphantus Olynthius, ex disciplina Eubulidis fuit. Ad Antigonum Macedoniae regem, cuius praeceptor fuerat, *De Regno* laudatissimum librum scripsit. posteritati etiam historiam sui temporis, & tragoedias, quae in theatro stetere, reliquit. Ex eadem Eubulidis *u* institutione Apollonius Cronus extitit. qui dicitur Straboni cyrenaeus, *x* quique *cronus* ab obscuritate dictus est.

Valens ille dialecticus Diodorus his annumerandus. Iasi in Caria natus,

d *Gell. N. Att. lib.* VI. *c.* 10.

e Iniuria notat Rapinum *Baelius Dict. v. Euclides. Conferendus Laert. l.* III. *s.* 6.

f *Plutarch. de Amic. frat.*

g *Laert. l.* VI. *s.* 24.

h *Seg.* 107.

i *T. I. Op. p.* 40.

k *Plutarch. l. c.*

l *Laert. s.* 107.

m *Fabric. B. G. V.* II. *pag.* 369.

n *Laert. l.* II. *seg.* 108.

o *Athenaeus l.* VIII.

p *Confer. interpretes Laertii. Valchius, Gassend. ll. cit.*

r *Laert. ll. c.*

s *L. c.*

t *L. c.*

u *Ibid.*

x *Lib.* XVII.

tus, patre Amenia, discipulus & Eubulidis, & Apollonii Croni, a quo est etiam Diodorus *Cronus* appellatus. *y* Laertius hominem, detractis duabus litteris primis, pro *Crono*, moroso, & obscuro, vocat ὄνον. ab Stilpone irretitus eristica rogatione, cui repente non satisfecisset, ob eamque rem a rege Ptolemaeo Soteris filio, apud quem exceptus convivio fuerat, per convicium vocatus *Cronus*; tam aegre illud tulit, ut, composito ea de rogatione libro, maerore tamen conficeretur. *z* Filias quinque habuit dialecticas, quarum historiam Philo etiam dialecticus cum laude complexus est. *a* scilicet illud, *mutuum scambunt*, etiam apud dialecticos valet. Dicitur constituisse corpora minima, & individua. *b* at classica contentio Diodori fuit περὶ δυνατῶν. de qua nos alibi plura. Qui reliqui sunt Ichthyas, & Clinomachus, vix sunt de nomine cogniti. *c*

V.
Diodorus dialecticus sophismate captus moerore perit

Ex megaricis Stilpo, fama super aethera notus, unus est, in quem omnia sunt philosophiae bona collata. Ingenio fuit praestantissimo. audiit si non Euclidem, *d* at certe Thrasymachum corinthium, & Diogenem cynicum, alios praeterea. *e* Quae natura vitia inseverat, correxit philosophia. quem *scribunt* f *ipsius familiares, & ebriosum, & mulierosum fuisse, neque hoc scribunt vituperantes, sed potius ad laudem: vitiosam enim naturam ab eo sic edomitam, & compressam esse doctrina, ut nemo unquam vinolentum illum, neque in eo libidinis vestigium viderit.* At nescio quid, certe aliquid rumoris fuit de pellice Nicerate, *g* quam frigide excusant, qui faciunt Stilponis discipulam, quae famae non parceret. Homo & simplici, apertoque pectore, & exquisita quadam eruditione, atque eloquentia ab aliis scholis adduxit ad megaricam nobilisimos discipulos. Parcus erat, & infrequens deorum cultor, cuius *h* criminis reus causam in Areopago obtinuit tamen. Libros non paucos edidit.

VI.
Stilpo megaricus vitiosam naturam philosophia edomuit.

CAP. VII.
PHILOSOPHIA ELIACA.

PROP. I.
Phaedon e servo auctor eliacae philosophiae.

Iam ab eristica ad philosophiam servilem veniamus. Servus enim Phaedo scholam aperuit, quae a patria conditoris *Eliaca* primo, a patria vero Menedemi *Eretriaca* deinde fuit appellata. *a* De qua sive secta, sive philosophia, quae in doctrina Socratis mansit, *b* pauca dicemus, quis Plistanus, quis Menedemus, quis denique Asclepiades fuerint. Licet autem paucis de Phaedone rem transigere. Patria eleus, familia nobilis, captus a pyratis, in fornice prostare iussus, a Cebete redemptus, a Socrate in numerum discipulorum cooptatus est. *d* Docuit autem Elide philosophus illustris. *e* Sermones *eius de Socrate*, ait Gellius, *admodum elegantes leguntur*, f qui nulli hodie sunt. Huic vita functo successit in schola Plistanus, cuius non modo vitam, sed ne nomen quidem novimus satis. *g*

Secu-

y *Laert. ibid.* z *L.c.* a *Hieronymus l.* I. *contra Iovinianum. Clem. Alex. Stro. l.* IV. b *Emp. Pyrrh. Hypot. l.* III. *c.* 4. *Cicero de Fato.* c *Laert. l.c.* scribit, Clinomachum primum omnium scripsisse *de Enunciationibus, & de his, quae de quodam, aut quibusdam dicuntur.* d *Idem l.* II. *f.* 113. sed temporis ratio negat. e *Suid. in Stilpo.* f *Cic. de Fato.* g *Laert. lib.* II. *segment.* 114.
h *Vide Menagium ad Laertium.*

a *Menagius ad Laert. l.* II. *b Ibid.*
d *Laertius. Gellius lib.* II. *cap.* 18.
e *Citati.* f *Gel. loc. cit.*
g *Menag. ad Laertium loc. cit.*

Secutus autem in praefectura scholae Plistanum non Stilpo, *h* sed Menedemus est. is Eretriae civis nobilis Clisthenis filius, inopia cogente architectus, *k* miles in praesidio, quod eretrienses Megaris reliquerant, ad extremum Platonis fuit auditor. *l* a quo primo ad Paraebatam cyrenaeum, *m* deinde ad Stilponem megaricum, postremo ad eliacos defecit. Reversus in patriam scholam aperuit, quae *eretriaca* dicta fuit. Apud cives ille suos initio in contemptu, postea in admiratione, & honore fuit. A suis legatus ad Macedoniae reges, quibus erat acceptissimus, cum, Perseo contra nitente, Eretriam a servitute non eximeret, *n* moerore summo affectus obiit. Contentiosus, & adeo vehemens erat in disputando, ut e congressu livida facie discederet. *o* erat in vita humanissimus, in amicitia liberalis, in convivio sobrius. In Homerum, & Sophoclem magno ferebatur studio. *p*

II. *Menedemus scholam eliacam in patriam translatam vocat eretriacam.*

Postremus adest Asclepiades, patria phliasius, an successor, an socius *q* Menedemi in schola. tanta erat autem necessitudo Menedemum inter, & Asclepiadem, ut eos in amicitia Pyladem fuisse diceres, & Orestem. iuvenes in opere faciundo simul versati, in studio philosophaie socii, in matrimonii conditione affines, in quo Menedemus matrem, Asclepiades filiam haberet. Accusati in Areopago, quod contra Solonis legem manum sub pallio philosophico continerent, cum nullum haberent patrimonium; publice ostenderunt, se noctu in pistrino binas drachmas merere. *r* qua re commoti iudices, muneri illis drachmas CC. e publico decrevere.

III. *Asclepiades in vita, & philosophia socius Menedemi.*

CAP. VIII. *PHILOSOPHIA PLATONICA*

PROP. I. *Orationis ordo propositus.*

Quicumque vero ab schola Socratis profecti fuere philosophi, si omnes in unum locum conferantur, vix cum uno Platone conferendi videbuntur, qui tantum inter alios socraticos caput efferre, quo iure, quaque iniuria visus est antiquis,

Quantum lenta solent inter viburna cupressi.

Me vero non parum pudet sive consilii, sive audaciae meae, cum aggredior de Platone dicere, de quo certatim eruditissimi quique scriptores & olim, & post restitutas in Europa *a* litteras ita disseruere, ut siquid ego inter tot tantosque viros dixero, iure dicar anser inter olores strepere. Quod si ipsa ratio instituti mei pateretur, nae ego libenter aliis rem integram de Platone relinquerem: neque enim omnia possumus omnes. Nunc vero quoniam nihil aliud possum, afferre certe conabor eum dicendi ordinem, qui splendorem non imminuat Platoni.

Plato natus in Aegina, quo pater missus erat publice, Olym. LXXXVIII. *b* die septimo Thargelionis, *c* quem diem habuere deinceps honoratum, festumque philosophi. patrem habuit Aristonem, matrem vero Perictionen, utrum-

h *Conf. Fab. B. G. V. I. pag. 792.* k *Laert. l. II. s. 125.* l *L. c.* m *Ibid.* n *Laer. Menag. alii.* o *Citat.* p *Citat.* q *Laer. l. c.* r Athenaeus l. IV. *Laertius.*

a De scriptoribus rerum Platonis videndi *Ioan. Ionsius. & Ioan. Alb. Fabric.* qui reliqui sunt, (multi enim periere,) hi sunt *Laertius, Apuleius, Olympiodorus.* neoterici sunt *Renatus Rapinus e S. I. Thomas Aldobrandinus. Menagius.* alii plurimi.

b De Die natali Platonis non convenit satis. *Laertii interp. consul. Aug. De Civ. Dei lib.* VIII. probat non vixisse aetate Ieremiae. *Petavius. alii.*

c *Eus. Praep. Ev. lib.* X. c. 3. alii.

d utrumque nobilissimum. Qui filium Platonem faciunt Apollinis, *e* hi vel nimio augustiorem filium, *f* vel nimio impudiciorem matrem faciunt. *g* Plato dictus est a latis humeris, ut nonnulli volunt. *h* a parentibus enim Aristocles appellatus est. Platoni *i* cum *in cunis parvulo dormienti apes in labellis consedissent, responsum est, singulari illum suavitate orationis fore.* Quod ego responsum non nisi post singularem suavitatem orationis datum a platonicis suspicor. *k* Platoni puero acre in percipiendo ingenium erat, *l* labor atque amor studendi. Dionysium litteratorem, Aristonem argum palaestritam habuit, a quo instrueretur. operam dedit picturae, musicae, poëticae. at cum prae Homero Platonem suorum carminum poeniteret, ea igni dedit. *m*

II. *Genus & pueritia Platonis*

Cum annum ageret vicesimum Plato, Socratis facundia commotus, se totum philosophiae dicavit. *n* in forum philosophicum deductus est a patre. qui cum domum Socratis esset cum adolescente ingressus, illico Socrates, hic, inquit, ille erat cygnus de Academia Cupidinis. commodum enim narraverat discipulis somnium suum, cygni pullum sibi per quietem in gremium advolasse ab ara Cupidinis in Academia. *o* Ego rem totam somnio iudico similem. Annos octo singulari & observantia, & charitate Socrati dedit operam, cui non defuit in rebus adversis. *p* cuius invidiae recentis cum bonam in se partem derivasset, Athenis relictis, se ad Euclidem Megaras recepit, a quo *q* dialecticam interea audiit. Ad haec auctor est Apuleius, Platonem *primum se ad Pythagorae disciplinam contulisse; tum ad Theodorum Cyrenas, ut geometriam disceret, esse profectum: deinde astrologiam adusque Aegyptum ivisse petitum, ut inde prophetarum etiam ritus addisceret; & ad Italiam iterum venisse, & Pythagoreos fuisse* r *sectatum.* Multi dant Platoni peregrinatori *s* hebraeos magistros.

III. *Studia & itinera litteraria Platonis.*

Ad extremum in patriam cum revenisset, in Academia, suburbano gymnasio, ubi hortos patrios habebat, *t* scholam aperuit. ad quam statim coepit maximus fieri concursus iuvenum studia philosophiae aemulantium, quorum *u* fuere nobilissimi Speusippus, Xenocrates, Aristoteles, Dio Syracusanus, Hyperides, Lycurgus, Demosthenes, Isocrates. *x* Discipulas habuit Axiotheam phliasiam, & Lastheniam mantineam. *y* qui mos deinde obtinuit in schola platonica erudiendarum faeminarum. *z* Haec tanta Platonis gloria male urebat condiscipulos socraticos, qui illum saepe sunt calumniati. *a* Erat autem Platoni maxime propositum, ut discipulos ad prudentiam civilem informaret. *b* qua ille de causa de republica multa scripserat. summam vero quamdam civitatis bene temperatae in maxima ponebat omnium ordinum aequitate. Rogatus a thebanis, & arcadibus, vellet legibus eorum rempublicam constituere, cum de ae-

IV. *Concursus discipulorum ad Platonem fieri coeptus, qui maxime docuit τὴν πολιτικήν.*

d *Laert. l.III. s.1.* e *Idem l.c. alii.* f *Apuleius de Dog.Plat.Orig.ad.Cel.l.I.* g *Consf. Eus. Pr. Ev. lib.* IX. *cap.* 9. h *Consf. Fab. B. G. V.* II. *pag.* 2. i *Cic. De Div. lib.* I. *alii.* k *Fabric. con. B. G. V.* II. *p.* 5. *Olear. ad Stan.* l *Apuleius l.c.* m *Citati.* n *Vid. Menag. ad Laert.* o Omnes antiqui historici. p *Laer.l.c.* q *Laer.l.II.s.6.* r *Apuleius l.c.* s *Consf.Menag.ad Laer.* t *Laert. l.III. s.7. Menagius ad Laert.* u *Menag. ad Laert.* x *Menag. loc.cit.* y *Menag. Hist. Mulier. Philos.* §. 46. z *Menag. l.c. & Fab. B.G.V.II. p.69.* a *Laert. l. III. s.* 33. & 26. *Ionsius H.Phil.l.I.c.10.* b *Testes Dial.de Rep.*

aequitate statuenda desperaret, *c* ad eos non accessit, Aristonymum familiarem misit. quam eamdem repulsam a Platone cyrenaei tulisse dicuntur: *d* qui tamen syracusios, magnesianos, eleosque legibus suis in civitate iuvit constituenda. *e*

V.
Prima navigatio Platonis in Siciliam Platoni perniciosa.

Huc navigationes syracusanae pertinent, quae reipublicae iuvandae causa vel susceptae sunt, vel certe ad eam rem accommodatae. Anno aetatis quadragesimo *f* in Siciliam Plato navigavit, ut insulam nobilem, Aetnamque videret. Syracusis allocutus Dionem philosophiae natura, ingenioque aptissimum, luxu, delitiisque affluentem, facili negotio in disciplinam, & amicitiam pertraxit. Dio arbitratus, Dionysium maiorem cum Platone philosophaturum, operam dat, uti ii sermonem habeant. in quo cum Plato de tyrannide disseruisset, adeo est tyranni animus philosophica libertate exulceratus, ut propius nihil sit factum, quam ut Plato occideretur. huius periculum cum Dio, amicique prospicerent, maturandae navigationis auctores Platoni fuere. At Dionysius clam cum Pollide lacedaemonum legato, cuius erat in navi soluturus Plato, egit, ut vel tolleret, vel venderet philosophum; quem Pollis ex compacto in Aegina cuidam Anniceridi vendidit, Anniceris vero suis reddidit.

VI.
Altera in Siciliam navigatio mali exitus.

Quamquam autem Plato philosophica libertate esset & de libertate, & de capite periclitatus apud Dionysium, tamen revocatus a tyranno in Siciliam rediit. Dio enim amore & philosophiae, & magistri inflammatus, accendit Dionysium iuniorem studio videndi, audiendique Platonis. Sollicitatus itaque Plato cum litteris Dionis, & pythagoreorum sodalium, qui erant in Sicilia, quos iam diu habebat amicos; *g* tum vero Dionysii senioris prolixa voluntate, qui spem faciebat *h* novae civitatis ex legibus platonicis instituendae, in Siciliam redit. Rex rem divinam pro adventu facere, curru regio veluti in triumpho Platonem deducere, vitam in aula ex philosophiae praeceptis agere. Haec cum fiunt, restitutus est in Siciliam Philistus, qui Dionysii animum tam valde a Platone alienavit, ut in aula asservaretur Plato, tamquam in carcere regio, e quo, exorto bello, una cum Dione est Athenas a Dionysio remissus.

VII.
Tertium iter in Siciliam adversumPlatoni.

Absente e Sicilia Platone, cum Dionysius pulsi indecore philosophi invidia, & pudore commoveretur, aliis a Graecia vocatis philosophis, conabatur aegritudini mederi suae: qui cum omnes pro uno non essent Platone, rursus ad Platonem convertit animum. mittit navem vittatam cum Archidemo Platonis amicissimo. accedunt litterae pythagoreorum, maxime vero Archytae Tarentini, tutum Platoni reditum, fidemque Dionysii praestantis. Heic Plato non sine recusatione, moraque ter ad eundem lapidem offendit. quem divis hominibusque plaudentibus, albis quadrigis ipse Dionysius auriga Syracusas infert, magnam vim auri dat muneri, in aula cum philosopho tyrannus philosophatur. Plato cum Dioni reditum in patriam, redditusque possessionum a Dionysio conatur expedire, tertio irritat tyrannum: a quo aegre dimissus, ambeunte

c *Aelianus l.* II. *c.* 42. *alii.* d *Vid. Menag. ad Laert. l.* III. *s.* 23. e *Plutarch. adv. Colotem. l.* III. *Aelian. l.* II. *c.* 42. f *Plato Epist.* VII. *Plutarch. in Dione. Laert. alii.* g *Citati.* h *Athenaeus l.* XI.

ambeunte Archyta, in Peloponnesum, cum ludi fierent olympici, appulsus, totius Graeciae oculos ad se convertit.

VIII. *Platonis reliqua vita, & sepulcrum in Academia.*

Atque in his navigationibus si rempublicam platonicam non condidit, illud tamen dicitur assecutus Plato, *i* ut Syracusas tyrannide liberaret. In Academiam suam, sibi, musisque suis ille restitutus, in iuventute ad philosophiam informanda, vitae tempus reliquum consumpsit. anno aetatis LXXXI. vel in convivio, *k* vel in musaeo placide animam reddidit. Coelebs qui vixerat, non filios testamento heredes, sed Adimantum reliquit. *l* Sepultus non procul ab Academia. divini honores habiti mortuo. statua, & ara positae, effigies insculpta nummis. natalis dies consecratus. a nonnullis etiam christianis *m* in beatorum sedes vocatus. Moriens Speusippum dedit Academiae magistrum. *n* A Platone multa, & praeclara habet scripta posteritas.

IX. *Plato non sine vitiis, sed minimis tamen urgebatur.*

Proposita iam uno veluti ductu, ac tenore omni vita Platonis, quae laudi, quae rursus illi sint vitio data, dicamus. Virum illum fuisse magnum facile confirmo, excellenti animo, ac virtute, naturae ipsius habitu prope divino. *o* ad cuius naturam eximiam, atque illustrem cum accesisset singularis quaedam ratio, confirmatioque philosophiae; tum in Platone nescio quid praeclarum extitit, ac singulare. Quae tamen omnia cum dico, illud mihi horatianum obversatur animo: *p*

Nam vitiis nemo sine nascitur. optimus ille est,
Qui minimis urgetur.

Aliis platomaniam relinquo, *q* ego ita castitatem in Platone laudo, *r* ut meminerim epigrammata amatoria Platoni tributa: *ſ* ita moderationem in vita, *t* ut audiam comici duo carmina, *u*

Aliud nil potes, quam moerere, mi Plato,
Et fronte semper corrugata, ut cochlea.

Quid plura? parsimoniae *x* mensas sicilianas; continentiae, *y* talenta Dionysii *z* oppono. Qui volet Platona vel divinum, vel divum habere, credet Marsilio Ficino; qui contra ex suis videre Platonem ornatum virtutibus cupiet, credet auctori anonymo *Historiae Criticae Philosophiae.* a

X. *Plato Heracliti, Socratis, Euclidis, Pythagorae, Theodori, aegyptiorumque doctrinam percipit.*

Sed relicta Platonis vita, quae in philosopho saepe ab oratione vincitur, eius doctrinae fontes inquiramus, cui tam valde assentiebatur Cicero, ut scriberet: b *ut rationem Plato nullam afferret, (vide quid homini tribuam) ipsa auctoritate me frangeret.* Plato quidem antea *Heracliti secta fuerat* c *imbutus*, quam se Socrati dedisset. *d* nam *a puero adhaesit Cratylo, & heracliteis* e *opinionibus.* Deinde Plato Megaris dialectica ab Euclide didicit. *f* Neque vero patria institutione contentus, primum Socratis

i *Aelian. l.II. c.17.* k *Conf. Menag. ad Laertium.* l *Laert. & interpretes.* m *Conf. Bruck. T. I. p. 654.* n *Laert. alii.* o Plato cur divinus sit dictus, dicet *Augustinus De Civ. De. l.* VIII. *c.* 7. p *Ser. I. Sat.* 4. *q* Summa fuit *Marsilio Ficino in Dedicatione operum Platonis.* r *Suid. V. Plato. alii.* ſ *Laert. l.* III. *seg.* 29. *Tul. Q. T. l.* IV. *Philo de Vita contemplativa. alii.* t *Seneca de Ira l.* II. *c.* 22. *Aelian. l.* IV. *c.* 9. *Plutarch. de Forti. in Symp.* u *Laer. l. c.* x *Sui. l. c.* y *Apuleius. l. cit.* z *Citati passim.* a *P.* II. *c.* 20. b *T. Q. l. I.* c *Apuleius. loc. cit.* d *Laert. l.* III. *ſ.* 6. frustra contra sentit. *e* *Arist. Met. l. I. c.* 6. f *Apul. loc. cit. Cic. T. Q. lib. V.*

tis doctrinae pythagoreorum disciplinam adiunxit. *g* tum geometriam a Theodoro cyrenaeo didicit. post delatus in Aegyptum, *a sacerdotibus eius gentis* h *multiplices geometriae numeros, atque coelestium observationum percepit*. cupiebat enim ab iis audire, *i* quid de universo statuerent, utrum initium haberet, necne; utrum ab omni parte, an ab aliqua moveretur. quin etiam ab stelis hermeticis omnem philosophiam dicitur a nonnullis comprehendisse.

XI. *Plato reus plagii, reus syncretismi philosophici.*

Ab Aegypto in Italiam regressus Plato, sectatus est ὁμακόιες, sodales suos pythagoreos, Eurytum, & Archytam tarentinos, aliosque viros claros. *k* Atque ab his commentaria complura emit, *l* ex quibus alienas deinceps plumas dicitur sibi sumpsisse. *m* litterarii enim plagii reus agitur Plato, reus etiam *n* syncretismi philosophici. Timaei Locri, sive Philolai pythagorei commentarium fecit *Timaeum* suum. *o* Ab Aristippo, Antisthene, Brysone Heracleote, *p* & Epicharmo comico complura surripuit. *q* a Protagora vero & alia multa, *r* & reipublicae suae formam accepit. *s* Quae cum constanter sint ab antiquis prodita memoriae, nihil mirabimur, concordiam, sive permistionem potius omnium doctrinarum male cohaerentium Platoni tribui solere. *t* qui syncretismus tam mihi foedus videtur esse philosopho, quam sit ridendus.

Humano capiti cervicem pictor equinam
Iungere si velit, & varias inducere plumas.

XII. *Academia quale gymnasium Platonis*

Quare si verum amamus, emporium omnium opinionum in Academia sua instituit Plato. Locus autem aberat Athenis passus DCCL. Gymnasium erat publicum, cui Hecademus, non Cadmus nomen dederat. *u* ibi amoenitas summa, ibi aquae copia, ibi templum, & ara Dianae, ibi sepulcra virorum clarissimorum. Pro foribus scholae, quam ibi erexerat Plato, erat inscriptum, ὐδεὶς ἀγεωμέτρητος εἰσίτω, *nemo non geometra ingreditor.*

XIII. *Notae iniustae dialogis platonicis.*

Solitus erat Plato in scholis habendis, si nihil aliud, at certe dialogi rationem a Socrate traditam retinere *x* ex parte quadam. quamquam eo tempore satis erat a philosophis aliis ea docendi via cognita, & trita, *y* quam hodie qui deserunt, viam docendi regiam mihi videntur deserere. *z* Illud est in dialogis platonicis incommodi, quod in iis nihil affirmetur, *a* & in utramque partem multa disserantur, de omnibus quaeratur, nihil certi dicatur. *b* ut non iniuria, fueritne scepticus Plato iam-

g *Val. Max. l. VIII. c. 7.* h *Clem. Alex. Strom. l. I.* i *Iamblic. De Myst. Aegyp. l. I. c. 2. alii.* k *Cicero in Catone Ma. & l. V. de Finibus. Gell. l. III. c. 17. Apuleius. Laertius. alii.* l *Conf. Gell. l. c. Iamblic. de Vita Pythagorae c. 31. Interp. Laertii.* m *Iacob. Thomas. de Plagio §. 522.* n *Menag. ad Laert.* o *Thomasius loc. cit.* p *Interp. Laertii.* q *Citati.* r *Conf. Eus. P. Ev. l. X. c. 3.* s *Et. Laert. l. c.* t *Vidend. Apuleius l. c. Laert. l. III. s. 8. & 56. Aug. De Civ. D. l. VIII. c. 4. Auctor Epistolae ad Aeschinem. Aeneas Gazaeus in Theophras. p. 16.* u *De Academia videndi interp. Laertii. Ionsius. Meursius.* quis non? x *Laert. l. III. Interpretes.* y *Athenaeus l. XI. c. 15. alii.* z *Iacobi Facciolati. Instit. Log. Peripatet. Postremis Curis retractatae. p. 4.* a *Albinus apud Fab. B. G. V. II. p. 13. Cic. A. Q. l. I. Huetiana p. 218.* b *Sex. Emp. Pyrr. Hyp. l. I. c. 22. Aldobran. ad Laert. Huetius de la foiblesse de l'esprit humain. l. I. c. 14.*

iamdudum sit inquisitum. Sunt & alia peccata multa in scriptis Platonis, vel quod arcanam pythagoreorum, & aegyptiorum methodum sequatur, *c* vel quod fabulas, τερατολογίας passim aspergat, *d* vel quod saepe utatur sermone ambiguo, *e* vel quod nimiam affectans subtilitatem ambagibus miris sententiam suam implicet, *f* vel quod omnia geometricis schematis depingat, *g* vel quod denique in philosophia rhetorem agat, *h* cui accommodari potest, quod Iupiter Veneri dixit:

Non tibi, nata, datum tractare negotia belli,
Sed dulces thalami res, & connubia capta.

CAP. IX.
PHILOSOphia academica vetus.

PROP. I.
Successio in schola platonica proposita.

Iam ergo e vivis sublato Platone, quid academiae acciderit, videamus. (alibi enim Platonica dogmata videbimus) Itaque primum nulla dogmatum mutatio, quamdiu Academiae Speusippus, Xenocrates, Polemo, Crates, atque Crantor, veluti initio novi imperii, praefuere. quorum est virorum Academia vetus, *a* in qua Platonis ubertate completi *certam quamdam disciplinae formulam composuerunt, & eam quidem plenam, ac refertam.* *b* Deinde vero Arcesilas novam Academiae faciem effinxit; non quo Platonem prodiderit, sed quod ἐποχὴν illam, sive rationem contra omnia differendi, nullamque rem aperte iudicandi, profectam a Socrate, repetierit. *c* quae media Academia per Arcesilam, Lacydem, Evandrum, & Egesinum est usque ad Carneadem perducta. Carneades iterum Academiam retractavit, & quae arcana Arcesilas habuerat, *d* ea in publicum protulit: quem in nova Academia secutus est Clitomachus. At Philo quartae, Antiochus quintae conditor habetur Academiae. qui duo nescio quid novi tumultus concitarunt. quos ego omnes in veterem, mediam, & novam Academiam coniiciendos arbitror. quod alii etiam fecere.

II.
Speusippus genere Platoni proximus, a Platone tenet Academiam.

Itaque Speusippus Platonis successor, veteris Academiae princeps, Athenis natus est, patre Eurymedonte, matre Potone sorore Platonis. *e* hic Speusippo in familiam recepto ducendam dedit proneptem, cui dotem *f* addidit copiosam. Dionem cum Speusippo magna necessitudine coniunxit. Cum comes Platonis in itinere tertio Siciliae Speusippus in Graeciam rediisset, Dionem ad bellum Dionysio inferendum vehementer excitavit. *g* a Dione vero dono accepit rus suburbanum, quod ille sibi Athenis exul comparaverat. Platonis scholam annos octo ita moderatus est, *h* ut avaritiae sordibus, ut impura consuetudine cum Lasthenia, & Axiothea Academiam contaminarit. Plurimos ille libros, *i* quos magno aere Aristoteles coëmit, *k* ex quibus solas hodie definitiones habemus

O phi-

c *Plat. Epist. V. &* II. *Conf. Olympiodorus in vita Platon. Interpret. Laer.* d Plato passim fabulas & monstra narrat. e *Laert. loc. cit. segm.* 64. *Suidas in* φαῦλος. f *Cic. Ad Attic. l.* V. *Ep.* 13. *Empiric. adv. Math. lib.* I. *cap.* 13. g *Proclus ad Evclid. l.* II. *alii.* h *Dio. Halicarnaseus in Epist. ad Pompeium.* a *Aug. de Civ. Dei l.* XIV. *cap.* 1. *& Empir. Pyrrh. Hyp. lib.* I. *cap.* 33. *Cic. A. Q. lib.* I. b *Cic. l. cit.* c *Cic. loc. cit. Laert. lib.* IV. *segm.* 1. *Suidas in Speusippus.* d *Bruck. cons. tom.* I. *pag.* 767. e *Laert. lib.* IV. *Suidas in Speusip.* f *Apul. loc. cit.* g *Plutarch. in Dion.* h *Laert. Suid. interpret.* i *Fab. Bib. Graec. Vol.* II. *pag.* 230. k *Menag. loc. cit.*

philosophicas, *l* conscripsit. Isocratis Arcana vulgavit, *m* quae fortasse fuerint τὸ μυροθήκιον, *n* in quo ornandae orationis numero oratorio ars contineretur. *o* De genere mortis Speusippi non convenit antiquis.

III. *Xenocrates auditor non acutissimus Platonis, succedit Speusippo.*

Speusippo, adversa valetudine affecto, successit in Academia Xenocrates. is chalcedonius, *p* non καρχηδόνιος, *q* patrem habuit Agathenorem. quo tempore natus, quove mortuus fuerit, dissentiunt chronologi. *r* Plato illum discipulum Aeschini subduxit, *s* solitus hominem iubere, litare gratiis, quod esset ingenio, ac fronte tristiore: solitus etiam, cum illum cum Aristotele componeret, dicere, quem ego asinum cui equo coniungo! nam Aristoteles ingenio concitatissimus, fraeno; Xenocrates autem tardissimus, calcaribus egere, a Platone saepe dicebatur. *t* Ipse autem Xenocrates reprehensiones praeceptoris in bonam semper accipiebat partem, *u* ipse in se dicteria coniiciebat: similem se esse vasis angusti orificii, ut qui aegre doctrinam perciperet, perceptam firmiter, constanterque retineret.

IV. *Spectata fides & vita Xenocratis.*

Summa erat opinio de Xenocratis virtute, ac fide, quem iurare more solito testimonium dicentem, athenienses prohibuerunt. *x* Acceptissimus fuit Philippo Macedoni, ad quem legatus, non auro corrumpi se cum caeteris, passus est. *y* Cum legati ab Alexandro quinquaginta ei talenta attulissent, se pecunia non egere dixit; & cum tristiores eos vidisset, triginta minas accepit, ne aspernari regis liberalitatem videretur. *z* Exempla, & castitatis, quam ne meretrix quidem Phryene, sponsione cum adolescentibus facta, potuerit expugnare; & silentii, cum diceret, eius se poenituisse nunquam; & clementiae, & gravitatis *a* & laboris, qui multa ediderit scripta, *b* memorant antiqui. Aristoteli non bene cum Xenocrate conveniebat. *c*

V. *Polemo e ganeone factus philosophus integer vitae, succedit Xenocrati.*

A Xenocrate proximus in Academia Polemo civis atheniensis, *d* natus patre nobili, & divite Philostrato, sive Policrate. *e* solutissimis moribus vixit adolescens. quem temulentum e convivio, & gymnasium Xenocratis cum corona ingressum, *f* Xenocrates conversa ad eum oratione de modestia, ac temperantia, ex infami ganeone maximum philosophum effecit. Haec certe est una omnium maxima philosophiae correctio. ita enim ex illo die se Polemo collegit, ut industria, & studio caeteros vinceret, ut nunquam deinceps vultum, nunquam constantiam, nunquam incessus gravitatem mutaret. Vixit in summo omnium honore. Multos scripsisse libros, qui omnes periere, dicitur. Discipulos habuit cum alios, tum illos clarissimos Crantorem, Cratetem stoicum, Zenonem, & Arcesilam. Senex phthisi obiit.

Audi-

l *Fab. l. c.* m *Menag. ad Laert. Att. l. II. Ep. 16.* n *Cicero meminit ad Attic. II. Ep. I.* o *Cicero De Oratore. interp. Laertii.* p *Laert. lib. IV. interpretes. Suid. in v. Xenocrates.* q *Cons. Ionsius de scr. Hist. philos. l. I. c. 10.* r *Cons. interp. Laertii.* s *Athenaeus l. XI.* t *Cit.* u *Plut. de Auditione.* x *Val. Maxim. l. II. c. 10. Laert. l. c. Cic. ad Att. l. II. Ep. 16.* y *Laert. l. cit.* z *Cons. Cic. T. Q. lib. V. Plutarc. in Alexandro. Suid. Val. Max. Stobaeus. alii.* a *Laert. Stobaeus. Aelianus lib. XIII. c. 31.* b *Fab. B. G. V. II. p. 68.* c *Laert. l. IV. s. 3. Aelian. l. III. c. 13.* d *Laert. l. IV. s. 16.* e *Suid. in Polemon.* f *Val. Max. l. IV. c. 9.*

VI. *Crates Polemonis auditor, sodalis, successor.*

Auditor Polemonis Crates, non ille stoicus, *g* sed ille atheniensis Antigenis filius, Academiam suscepit moderandam, mortuo Polemone. Studiorum coniunctio cum summam inter illos necessitudinem vitae peperisset, ne sepulcro quidem mortui separari voluerunt. Haec vero tanta in amicitia fides, & constantia, cui morum omnium integritas esset coniuncta, adeo permovit Arcesilam, ut &, Theophrasto relicto, cui operam dabat, se illorum disciplinae applicaret; & illos vel deos esse, vel reliquias aetatis aureae, saepe affirmaret. Scriptos varii argumenti libros & philosophicos, & comicos, & populares moriens reliquit. Cratetem audivere & Arcesilas, & Bion Boristhenites, qui postea defecit ad theodorios. *h*

VII. *Crantor non praetor academicus, sed de coborte praetoria Polemonis.*

Crantor est platonicis iure annumerandus, qui etsi Academiam veterem non rexerit, *i* tamen assiduo secutus est. Soficrates enim Cratetem, Soficratem in Academiae praefectura excepit Arcesilas. Crantor igitur natus Solis, ubi magno in pretio habebatur, *k* ut Xenocratis esset discipulus, cuius sapientiae summa erat opinio, concessit Athenas. Heic fortem, & tenacem propositi philosophici virum, sibi iunxit Polemonem amicum. Mortuo Xenocrate, & Polemone scholae praefecto, hunc sibi Crantor ex amico magistrum legit. Crantor in Academia vel in primis fuit nobilis, *l* quem sibi optavit Horatius valde eximium, cui praeponeret in doctrina sapientiae Homerum, *m*

Qui quid sit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non;
Plenius, ac melius Chrysippo, & Crantore dicit.

Librum edidit de Luctu, ab antiquis in coelum efferri solitum. *est enim,* ait *n* Cicero, *non maximus, verum aureolus, & ut Tuberoni Panaetius praecepit, ad verbum ediscendus libellus.* Crantor fuit omnium primus ex iis, *o* qui Platonem annotationibus illustrarunt. Studiosus Homeri, & Euripidis vix poeta fuerit non bonus. *p* morti proximus heredem fecit Arcesilam. *q*

CAP. X. PHILOSOPHIA Academica media.

Arcesilas novam quandam philosophandi rationem, non tam rebus, sententiisque mutandis, quam innovandis verbis in Academiam intulit. quae cuiusmodi esset, paucis more exponam meo, si prius historiam mediae huius Academiae, sine qua vix eius conditio potest, statusque cognosci, enarravero.

PROP. I. *Arcesilas recipit a Soficrate Academiam.*

Arcesilas, quem sic potius cum Cicerone, *a* quam cum aliis *Arcesilaum* nominem, natus Olymp. CXVI. anno I. Pitanam Aeolidos, *b* non Laconiae oppidum, *c* patriam, patrem habuit Scythum. Huius est adolescentia ingenuis artibus exculta. mathematicas disciplinas ab Autolyco, musicas a Xantho atheniensi, geometricas ab Hippanico percepit, homine oscitantissimo, cui, per iocum dicere solebat Arcesilas, geometriam in os involasse hianti. *d* artes etiam oratoriam, & poëticam *e* diligentissime excoluit.

Quod

g Decem Cratetas numerat *Laert. l.* IV. *f.* 21. h *Loc. cit.* i Heic contra sentit Fovcherius *Diss. Acad. l.* I. *c.* 5. k *Laert. l.* IV. *f.* 21. l *Cic. T. Q. l.* III. m *Epist. l.* I. *Ep.* 2. n *Tusc. Q. l.* I. *Laert.* o *Menag. ad Laert.* p *Loc cit.*

q *Laert. l. c.* Obiit autem Crantor ante Cratetem, & Polemonem. a *Cons. Aldobrandinus in Laertium.* b *Viden. Ev. P. Ev.* XVI. *Mela.* I. *c.* 14. c *Solinus* heic errat *Polyb. c.* 7. d *Laer.* IV. 28. *Interp.* e Hinc laudata hominis eloquentia.

II. *Arcesilas recipit a Sosicrate Academiam.*

Quod autem plerique omnes eo tempore faciebant adolescentes illustri loco, ut ad philosophos animum adiungerent, id sibi faciendum duxit Arcesilas. dat sese Theophrasto Aristotelis successori, quo deinde deserto, per Crantora transit ad academicos, *f* apud quos Polemonem doctorem, Zenonem cittieum habuit condiscipulum. Haec sunt certa Arcesilae studia. illa dubia, audieritne Diodorum eretriacae philosaphiae magistrum, Pyrrhonem etiam scepticorum patrem; *g* an potius & dialecticam eretriacam, & pyrrhonicam assensionis retentionem, illis non auditis, ex ipsorum libris, vel institutis in Academiam induxerit. Cratetis in Academia successor Sosicrates, ipse sponte sua tradidit provinciam meliori se Arcesilae. *h*

III. *Arcesilae ingenium, eloquentia, eruditio summa.*

Dignissimus ergo Arcesilas illa tanta ingenii sede philosophicos fasces sumit in Academia. atque haud scio satis, an unquam alius quisquam ab ingenio, atque eruditione in ea visus sit illo paratior, & instructior. florebat cum acumine ingenii, tum admirabili quodam lepore dicendi, *i* quippe qui Homeri, Pindari, Euripidis esset studiosissimus; quorum sententiis, carminibusque cum pro re nata uteretur, vivum quoddam, & spirans, & acutum orationis genus sequebatur. *k* Eos ferre non poterat, qui disciplinas non in tempore percepissent. Credo enim, olim id, quod hodie nostratibus accidere passim videmus, interdum accidisse philosophis, ut dissidium cordis, & linguae facerent: sibi cor sapere vellent; linguam tertio quoque verbo aberrare sinerent. Arcesilas lingua in differendo pertinacior, in obiurgando acrior, in refellendis iis, quae obiicerentur, promptior, in animis auditorum retinendis, & veluti sibi devinciendis longe aliis philosophis dexterior, habuit obtrectatores Zenonem, Hieronymum peripateticum, Epicurum. Nihil dicitur scripsisse operarius linguae celerrimae. *l*

IV. *Arcesilas virtutibus vitia habebat vel plura, vel maiora.*

Vita hominis more philosophico virtutibus vitia compensabat. Commodus, & urbanus, benignus etiam, & a fastu, supercilioque philosophico valde alienus. Saepe in differendo socratica usus formula, *arbitror*, *videtur*, *apparet*, audacius loquentes non ferebat. opulentiam frugalitati in victu praetulit. Theodoriam, & Philetam amare publice dicebatur elienses meretrices. cui etiam consuetudini aliam multo magis flagitiosam adiunxerat. *m* Eumenem observantia quadam singulari prosequebatur, cui uni regum animum addixit. in Antigoni partes nunquam transire voluit. cum se in convivio invitasset liberalius, vino periit oppressus anno aetatis LXXV. Fratrem Pyladem scripsit heredem. neque enim liberos ullos susceperat, neque uxorem quidem duxerat. *n*

V. *Lacydes non novae condi-*

Lacydes anno IV. Olymp. CXXXIV. relicto loco, ubi se priores docuerant, in hortis Attali, *o* qui ipsi erant in Academia siti, *p* docendi munus suscepit. qui non Academiam novam *q* instituit, sed doctrinam Arcesilae retinuit. *r* quamquam de nominibus academiarum alia Cice-

f *L. cit.* g *Con. Laert.* IV. 33. *Numenius ap. Eus. P. Ev.* XIV. *c.* 9. h *Laert. s.* 32. i *Cic. A. Q.* II. k *Laert. l.c.* testis vitae totius Arcesilae. *l* Lapsus heic Baelius. *m* Laert. *Foucherius Dis. Acad. l.* I. *c.* 5. excusat, invita fide antiquorum. *n* *Laert. l.c.* o *Loc. c. s.* 61. p *Plutarch. cons.* q *Laert. seg.* 59. & *Suidas.* r *Cicero Academ. Quaest. lib.* II.

Ciceroni, qui platonicorum scholam usque ad *s* Arcesilam, *Academiam illam veterem* nominat; ab Arcesila vero non *mediam*, sed *novam* Academiam scribit inductam: alia Laertio placuit divisio, qui & veterem a Platone, Ciceroni etiam veterem, & mediam ab Arcesila, & novam a Lacyde Academiam nominat: *t* male vero a Lacyde novam. nam B. Augustinus *u* tertiam Academiam a Carneade profectam agnoscit. Sed redeo ad Lacydem. is patria cyrenaeus, Alexandri filius, paupere loco natus, non modo discipulus ex adolescentia, sed familiaris etiam Arcesilae, *x* huic non tanta nominis fama *y* in Academia successit, quam obtinuit annos XVI. qui cum lampada doctrinae Evandro tradidisset, soluta philosophi gravitate, potationi studuit assiduae, qua male periit. *z* Animi causa anserem perpetuum habebat comitem. *a* Non nihil etiam scriptorum Lacydis amisimus. *b*

tor, sed mediae tutor Academiae.

VI.
Lacydi Evander, Evandro successit Egesinus, Egesino Carneades.

Huic successisse non unum Evandrum, sed Telecla simul, utrumque phocensem, *c* auctor est Laertius, qui paucis quidem, nimio vero pluribus Numenius *d* fabulam de Lacyde, aut certe rem fabulae similem, narrare sic instituunt. Lacydes cum ex mendicitate, & angustiis rei familiaris emersisset, essetque, ut fit, paulò in rem attentior, ipse promus condus, quoties ex cella penuaria aliquid exprometeret, diligenter fores cellae obsignabat, immisso per serae foramen signo. servi re cognita herum ludentes, cellam intacto signo exhauserunt. Lacydes mirari, & signum incolume, & cellam perditam, atque inanem: inde fidem negare sibi: quae videbat non videre: primum academicae retentionis gradum facere: paulatim in academicam dubitationem ab aliis, quae sequebatur, dogmatibus transire. Mihi quidem non fit verisimile. atqui graecis tamen commentum placet. Evander certe quidem sibi suffecit in Academia media Egesinum. is patria pergameus, qui a B. Clemente Alexandrino *e* Hegesilaus appellatur, discipulus Evandri, discipulum loco suo Carneadem reliquit. *f*

VII.
Socrates, utique in philosophia morum, dogmaticus.

Restat iam, ut novam faciem Academiae arcesileae, quod paulo ante pollicebamur, propius videamus. Academiam immutavit quidem Arcesilas, quam mutationem non tenebimus, nisi pristinum illius statum tenuerimus. Socrates dogmaticus fuerat philosophus. quod hac conclusione minuta conficio. Socrates & multa tulit dogmata de moribus, *g* & summum bonum in scientia posuit. *h* at qui dogmata fert, dogmaticus; qui bonum in scientia summum habet, non scepticus philosophus est. sic dogmaticus, non scepticus Socrates erat. Cuius conclusionis & primum, & secundum confirmat ille acerrimus scepticorum patronus Sext. Empiricus. *i* ut merito magno conatu nihil egisse sit existimandus Huetius de Socratis scepticismo. *k* At, dicat aliquis, dubitari non potest, *quin Socrati* l *nihil sit visum sciri posse.* Laudanda sane modestia, & extollenda docta quaedam ignorantia Socratis, qui sophistas, quasi omnia novissent,

s *Loc.c.& l.I.A.Q.* t *L.c. & Proce.* u *Lib.III.cont.Acad.* x *Laert. Suid.* y *Laert. & Cic.* indicare videntur. z *Athenaeus* X. *Aelian.* II. a *Plin.* X. 22. b *Fab.B.G.V.II.* c *L.c.* d *Apud Eus. Praep. Ev.* XIV. c. 7. e *Strom.* I. f *Laert. l. c.* g Ea sunt in Memorab. Socrat. h *Laert.* II. 31. i *Pyrr. Hyp. lib.* II. c. 32. k *De la Foiblesse* I. 4. l *Cic. A. Q.* II.

ſent, omnis ſcientiae oſtentatores ſaepe ludebat. *m* Et tamen ille ipſe veteri, & ſua ratione contra alterius opinionem differendi, quod veriſſimum eſſet, inveniri poſſe, Socrates arbitrabatur: *n* quod maxime videtur eſſe dogmaticorum.

VIII. *Plato ſpecie tenus aporeticus, re maxime dogmaticus.*

Quid vero Plato? an non eſt ille quidem dogmaticus? *o* etſi enim ſaepe nihil affirmet, ſaepe in utramque partem diſputet, ſaepe ſententiam ſuam celet; tamen plurima dogmata probat. *p* quippe qui & illam philoſophiae partem de differendo fecerit, quae *q* oſtendat, *& quid verum, & quid falſum, quid rectum in oratione, pravumque ſit*; & ſpecies ideaſve mirifice ſit amplexatus, in quibus quiddam divinum eſſe diceret. *r* Vel illam quam probabat Plato ſententiam? *ſ* duo eſſe rerum genera: alterum earum, quae aut ita eſſent parvae, *ut ſub ſenſum cadere non poſſent; aut ita mobiles, & concitatae*, ut continenter laberentur, & fluerent: quam omnem partem rerum opinabilem appellabat. alterum vero earum idearum, quae ſub unam mentem caderent.

IX. *Quales academicae doctrinae gradus ſint facti.*

Adhuc in Academia mos ille ſocraticus, & dogmata quaedam ſtatuendi, & contra aliena dogmata differendi, ſervatus eſt. Platonici veteres ante Arceſilam ſocraticam dubitationem de rebus omnibus ita ſuſtulere, ut certam quamdam diſciplinae formulam componerent. *t* quam ego ita interpretor, ut credam novi dogmatis nihil intuliſſe, ſed eos didiciſſe percunctando, & interrogando elicere eorum opiniones, quibuſcum differebant, *qui mos*, auctore Cicerone, *cum a poſterioribus* platonicis *non eſſet retentus, Arceſilas eum* u *revocavit*. Itaque & Socrates, & Plato, & academici veteres dogmatici fuere, hac lege tamen, ut Socrates dubitationem de omnibus rebus, nulla adhibita affirmatione, in refellendis ſophiſtis adhiberet, in ſuis inſtituendis philoſophis non adhiberet: ut Plato more ſocratico de rebus ſub ſenſum cadentibus philoſopharetur, de ideis arcana quaedam dogmata diſcipulis committeret: ut platonici, relicta illa conſuetudine differendi contra omnia, artem quamdam philoſophiae facerent, & rerum ordinem, & deſcriptionem diſciplinae.

X. *Arceſilas verbis ſcepticus, ſententia platonicus.*

Ortus eſt Arceſilas tum, cum iam graviſſimae philoſophorum diſciplinae conſtitiſſent, qui non defineret eſſe dogmaticus: id quod Sextus Empiricus *x* conceptis verbis habet: id quod B. Auguſtinus differte docet: *y* qui utrique platonica dogmata homini tribuunt; ſed qui *cum Zenonis doctrinam* z *platonicae oppoſitam latius ſpargi ſentiret, prudenter academiae placita diſſimularet, ne Platonis myſteria publicata, & vulgi notitiae proſtituta viloſcerent. indeque inſtituiſſe dedocere potius male doctos, quam docere, quos dociles non arbitraretur.* Erat autem Zenonis oppoſita Platoni doctrina, quod & mortalem animum faceret, & mundum unum ſenſibus ſubiectum, praeterea nullum alium, qui intelligentia comprehenderetur. *a* Quae cum ita ſint, dogmaticus, & platonicus Arceſilas, prima quidem fronte dumtaxat erat pyrrhonicus, cui eſſet *b*

Ante Plato, retro Pyrrho, medius Diodorus.

Ege-

m *Cicero lib.* II. *de Finibus.* n *Tuſc. Q.* I. o *Empir. Pyrrh. Hyp. l.* I. *c.* 33. p *Cic. Acad. Q.* I. q *L. c.* r *L. c.* ſ *L. c.* t *L. c.* u II. *de Fin.* x *L. c.* y II. *contra Acad.* 17. z *Aug. l. c.* a *Aldobrand. in Laert. Empyr. l. c.* b *Sext. Empir. loc. cit.*

CAP. XI. PHILOSOPHIA Academica nova.

PROP. I. Carneades auctor Academiae novae, summus academicus, Romam legatus est.

Egesini successor adest Carneades, qui languentem excitet Academiam. cui cum ille non novum quidem statum, sed novam modo faciem concinnaret, vigoremque afferret, novae dictus est conditor Academiae: cuius nos iam ex ordine successores persequemur. Itaque Carneades non atheniensis, sed cyraeneus, natus patre Epicomo, aliis Philocomo, *a* quota sit olympiade natus, sub iudice adhuc lis est, quam urgent Petavius, *b* Gassendus, *c* Foucherius. *d* quibus non ego sedeam arbiter honorarius. si credimus Laertio, natus est Carneades an. III. Olimp. CXLI. *e* Athenas delatus didicit dialecticam a Diogene stoico. sic enim ludere solebat in *f* disputando. *si recte conclusi, taceo. sin vitiose, minam Diogenes reddat. ab eo enim stoico dialecticam didicerat. haec autem merces erat dialecticorum.* Deinde ad academicos se transtulit, a quibus rationem contra omnia disserendi apprime tenuit. Maximo plausu praefuit Academiae. Et vero quae singula ornamenta singulos effecissent viros clarissimos, ea universa in se coniunxit Carneades. ingenium illi summum, exquisita vis iudicii, mira foecunditas, & copia argumentorum fuit. valentissimus erat dialecticus, qui acumine, & clamoribus posset omnes superare *laboriosus, & diuturnus sapientiae miles.* g Adeo erat nobilis eloquentiae fama, ut oratores etiam scholis dimissis ad eum audiendum venirent. Cum Chrysippo stoicorum antesignano quoties disputaturus esset, bilem elleboro purgabat. Scholae praefecit Clitomachum. Mentora enim successorem destinatum, cui iratus erat pellicis causa, *h* ab schola dimiserat. Nihil omnino de philosophia scriptum reliquit. *i* Ab atheniensibus publice legatus Romam, *k* ut academicam philosophiam ostenderet, cum primo de laudibus iustitiae dixisset, postridie visus est iustitiam conversa oratione sustulisse. *l*

II. Nota insignis novae Academiae, nullam esse veri notam.

Si quis autem quaerat novae Academiae notam maxime propriam, ego ita intelligo ex scriptis maxime Ciceronis, Carneadem publice de probabilitate docuisse id, quod Arcesilas suos arcana disciplina docuisset. Erat post Arcesilam *m* in communi offensione Academia, quod, denegata fide sensibus, omnem religionem, ac virtutem videretur de medio tollere, & convellere tota

Fundamenta, quibus nixatur vita, salusque.

Huic ut mederetur invidiae Carneades, multa de notis veri, falsique visi disseruit, sive de veritatis criterio. adeo est antiqua concertatio de criterio. quam vocem cum nuper in exedris bibliotecaris scholasticus quidam audisset, risum paulo magis rusticum, & inficetum eum non tenuisse, mirabar. quasi modo liceret in exedris crepare *formalitates*, & *haecceitates.* Ergo Carneades cum eandem socraticam dubitationem, *n* eandem retentionem assensionis sequeretur, causas eius rei aperte coniecit in visa. Duo enim placebat esse Carneadi visorum genera: *in uno o hanc divisionem*

alia

a *Laert. l. IV. Suid. Cic.* b *Exercit. in Opp. Iuliani Apostatae c. 8.* c *De Vita Epicuri* IV. 8. d *In Ephem. Erudit. Paris.* 1691. *p.* 509. e IV. 62. & 65. f *Cic. A. Q.* IV. g *Val. Max.* VIII. 7. h *Laert. l. c. Euseb.* XIV. 7.

i *Laer. l. c.* k *Macrob. Satur.* I. 5. *Ael. V. Hist.* III. 17. *Plutarch. Vit. Cat. Gell.* VII. 14. l *Cic. ad Att.* XII. *Ep.* 24. *Laer.* V. *Quinct.* XII. 1. m *Aug. adv. Acad. l.* III. n *Eus. Pr. Ev.* XIV. 8. o *Cic. A. Q.* II.

alia visa esse probabilia, alia non probabilia ... quare ita placere, tale visum nullum esse, ut perceptio, sive firma, & constans, & perspicua scientia, *consequeretur: ut autem probatio, multa. etenim contra naturam esset, si probabile nihil esset.* Quam rem M. T. Cicero non orator praestantior, quam academicus eruditior saepissime persequitur. *p*

III.
Clitomachus poenus Carneadis successor, & assensor.

Carneadis locum, & doctrinam tenuit in academico magistratu Clitomachus. qui patria carthaginiensis, patre Diogneto natus, *q* cum domi iam philosophiae rudimenta percepisset; *r* Athenis se dedit Carneadi, cum annum ageret XXVIII. *s* Cicero, quo solet academicos studio, commendat de meliore nota Clitomachum. erat, inquit, *homo acutus, ut poenus, & valde studiosus*, t *ac diligens.* in quo non minus esset ingenii, quam in Carneade eloquentiae, *u* industriae vero plurimum. Libros scripsit plurimos, *x* in quibus Carneadis doctrinam illustrat. maxime in eo, quem ad C. Lucilium scripsit poëtam, *y* in quo haec habet: *academicis placere rerum eiusmodi similitudines, ut aliae probabiles videantur, aliae contra ... non inesse in sensibus propriam veri, & certi notam .. dupliciter dici assensus sustinere sapientem.* hoc est, vel *eum rei nulli assentiri*; vel *cum se a respondendo, ut aut probet quid, aut improbet, sustineat .. id cum ita sit, alterum placere, ut numquam assentiatur; alterum tenere, ut sequens probabilitatem, ubicumque haec aut occurrat, aut deficiat, aut etiam, aut non, respondere posit.* Clitomachus sibi dicitur intulisse manus olymp. CLXII. *z*

IV.
Philo Larissaeus rhetor, & philosophus Academiae fidus.

Philo Larisaeus Clitomachi discipulus *a* non quartae re ipsa conditor cuiusdam Academiae, *b* (quippe, qui negarit in libris, quod coram etiam ex ipso Cicero *c* audiit, *duas Academias esse, erroremque eorum, qui ita putarent*, coarguerit) succesit Clitomacho. *d* Illi totum se tradidit Cicero, *e* cum princeps Academiae Philo mithridatico bello domo profugisset, Romamque venisset. Unus maxime ex omnibus Clitomachi discipulis romanis erat admirationi, qui instituerat *alio tempore rhetorum praecepta tradere*, f *alio philosophorum.* quo vivo patrocinium Academiae non defuit. Visus est ad Academiam veterem remigrasse, ob eamque rem quartam instituisse academiam, *g* vel certe verbis tenus nova quaedam commovisse de nota veri, & falsi, quasi voluerit res per se posse, propter visa vero non posse comprehendi, cum alii academici docuissent, & naturam rerum, & visa esse eiusmodi, quae perceptionem impedirent. *h*

Duo sunt reliqui in Academia philosophi nobiles Charmidas, & Antiochus. quorum ille primo condiscipulus Philonis, deinde vel discipulus, vel collega in Academiae praefectura fuit: cuius est valde laudata memoria. hic autem successor & proditor discipulus Philonis habetur.

p *Id. l. de Nat. Deor.* q *Men. ad Laer.* IV. 67. r *Stanl. H. Phil. P.* IV. s *Ionsius de Scrip. Hist. Phil. cons. l.* II. 14. t *Cic. T. Q. l.* IV. u *Id.* x *Fab. B. G. V.* II. *p.* 56. y *Cic. l. cit.* z *Stobaeus Serm.* XLVIII. a *Vid. Sex. Empiric. Pyrrh. Hyp. l.* I. *cap.* 33. *Eus. Prae. Ev.* XIV. *cap.* 9. *Cic. de Oratore l.* III. *c.* 16. *Ac. Q. l.* IV. b *Empiric. l. c. contra sentit.* c *Acad. Quaes.* I. d *Laert. l. cit.* e *Cic. Acad. Quaest.* IV. f *Loc cit.* g *Cic. Ac. Q.* I. h *Aug. ad. Acad. lib.* III. *c.* 18. *Empiric. loc. cit. Cicero.*

betur. *i* Antiochus enim ascalonita politissimus, & acutissimus omnium suae memoriae philosophorum, *k* quocum M. T. Cicero cum sex menses fuisset, studium philosophiae a se numquam intermissum, a primaque adolescentia cultum, & semper auctum, hoc rursus summo auctore, & doctore revocavit; quemque Lucullus quaestor secum habuit, & post aliquot aliquos annos imperator: *l* Antiochus, inquam, prodito Carneade, & Arcesila, videri voluit antiquae restitutor Academiae: *m* re ipsa vero, si perpauca mutavisset, germanus erat stoicus. *n* quin etiam Antiocho stoici cum peripateticis, utrique cum Academicis, re convenire, verbis discrepare videbantur, inter quos tamen plurimum intererat. Sed heic mihi sit Academiae graecae finis. hinc erit exordium romanae.

V. *Charmidas & Antiochus quales academici.*

CAP. XII. *PHILOSOphia aristotelica.*

PROP. I. *Ordo propositus.*

At de Aristotele cum dicere incipio, nescio quo fato dicam philosophiae fieri, ut praestantissimus quisque philosophus famae sit maxime dubiae. vel ille Aristoteles quam est ab aliis laudatus, ab aliis contra vituperatus! *a* iam enim ab antiquissimis philosophiae temporibus de Aristotele omnia & bona dicuntur, & mala. credo in posterum etiam studio partium dicentur; quo nos omnino vacui de Aristotele primo veluti actu vitae summam, altero mores probos, tertio vitia & ficta, & vera, quarto omnem doctrinae rationem, quinto denique scripta persequemur.

II. *Natale solum, & institutio Aristotelis prima.*

Aristoteles natione graecus, *b* Stagirae, quae Thraciae oppidum, Macedoniae colonia *c* fuit, natus est, patre Nicomacho medico, & Aesculapii sanguine prognato, matre Phaestide. *c* de qua incertum genus tradunt antiqui. natus est anno I. olymp. XCIX. *d* Cum parentes puer amisisset, est a Proxeno Atarnensi liberaliter educatus. Incertum est autem, quod vitae genus sit Aristoteles secutus, an miles, *e* an pharmacopola, dilapidatis bonis patriis, antequam Platoni se dederet: cui, est qui velit, sese oraculo Apollinis dedisse. *f* Anno vero aetatis XVII. Athenis se dedit in disciplinam Platoni. *g* Socratem qui faciunt Aristotelis triennio toto magistrum, mortuum dant illi magistrum. Posuit in audiendo Platone Aristoteles viginti annos *h* totos, quo tempore acceptissimus erat praeceptori, qui domum Aristotelis anagnostae domum, *i* qui Aristotelem mentem gymnasiii vocabat. *k*

P Mor-

i *Conf. Ionsius l. cit.* *k* *Cic. A. Q.* IV. l *Ibid.* m *Ibid.* n *Ibid.*
a Scriptores de Aristotele, qui perierunt, videndi apud *Ionf. de Script. Hist. Ph.* I. 12. Qui supersunt, hi sunt, *anonymus Vitae Aristotelis*, quam edidit *Pet. Ioann. Nunnesius in Institut. Phil. Perip.* de quo anonymo vid. *Fab. B. G. V.* IV. alius itidem anonymus graecus *Vit. Aristotelis* scriptor. quem edidit Menag. Noti ex antiquis *Dion. Halicarnasseus Epist.* I. *ad Ammaeum. Diog. Laert. Suid. Hesychius, Ammon.* sive, ut aliis placet, *Philoponus in Prolegomenis Comm. in Categor.* ex novis *Fr. Patricius. Ioann. Bapt. Guarinus. Petr. Aretinus. Hieron. Gemusaeus. Interp. Laertii. Scriptor. Hist. Phil. And. Schottus. Rapinus. Fonseca e Societ. Iesu.* alii, qui Fabium valeant lassare loquacem. *b* *Iustin. lib.* VIII. *cap.* 3. *Herodotus. Tucydides. Schottus conf.*
c Alii vocant Phaestiada. *conf. citat. Halicarn. Ammon.* d *Schottus* heic maxime conf. e *Athenaeus l.* VIII. *Aelian. l.* V. alii. f *Conf. Schott. l. c.* g *Citati & Interpretes Laert.* h *Laer. lib.* IV. *Halicar. alii.* i *Ammon. loc. cit.*
k *Philopon. Nunnesius. alii.*

III. *Hospitium Aristotelis apud Hermiam, & hospiti grata memoria.*

Mortuo vero Platone, cum aegerrime ferret Aristoteles, sibi in Academiae praefectura Speusippum fuisse praepositum, contulit se ad Hermiam. hic ante condiscipulus, & amicissimus Aristotelis, atarnensium in Mysia tyrannus, excepit domi Aristotelem, & honorificentissime, & benignissime. deinde a Memnone Rhodio captus Hermias, & ad Artaxerxem regem Persarum adductus, *l* cum supplicio extremo esset affectus; nihil praetermisit Aristoteles, quo & dolorem testaretur suum, & officia hospiti mortuo praestaret. hymnum in honorem, memoriamque Hermiae scripsit, statuam Delphis illi in templo sacravit, Pythiada Hermiae heredem, aliis etiam filiam naturalem, *m* aliis adoptivam, aliis neptem ex fratre filiam; duxit in matrimonium, eamque habuit animo egregie charam suo.

IV. *Aristoteles fit Alexandri Macedonis praeceptor.*

Ubi vero vidit Hermiam supplicio affectum, Mitylenas sese proripuit Aristoteles; *n* non enim recta ad Philippi regiam contendit. *o* sed missa aliis, qui abundent otio, chronologica concertatione, Philippus Macedoniae rex Aristotelem Alexando filio dedit praeceptorem. *p* in hanc sententiam nobis has litteras servavit scriptas A. Gellius. *q* *Philippus Aristoteli S. D. Filium mihi genitum scito. quod equidem diis habeo gratiam, non proinde quia natus est, quam pro eo, quod eum nasci contigit temporibus vitae tuae. spero enim fore, ut eductus, eruditusque abs te, dignus existat, & nobis, & rerum istarum successione.* Heic Aristoteles aptissimus moribus aulicis, maxime se Philippo, Olympiae, & Alexandro probavit. hic solitus erat dicere, *r* a Philippo habere se, ut viveret, ab Aristotele, ut bene viveret: qui tantos ab Aristotelis ore sibi fecit spiritus, quantos unus non caperet orbis: qui aliquot millia hominum in totius Asiae, Graeciaeque tractu parare iussit, *s* omne animantum genus, quod Aristoteli cognoscendum exhiberent.

V. *Aristoteles in Lyceo scholas habet obambulans.*

Deinde Aristoteles, relicta regia Macedoniae, Athenas venit anno II. Olymp. CXI. non vocatus ab athenienfibus, *t* ut philosophiam traderet; sed ipse sponte sua. Athenis cum ipse sibi turpe putaret silere, *u* Xenocrate in Academia docente, scholam habere coepit in Lyceo. (erat autem Lyceum in suburbio Athenarum locus publicus a Pericle conditus, in quo novi milites a campi doctoribus, sive polemarchis ad vera belli facinora ludricis pugnis exercebantur: ubi ambulacra, fontes, arbores, omne genus erat amoenitatum.) *x* Ergo cum in Lyceo ambulans doceret, ab ambulando dictus est peripateticus. quamquam & ipse saepe doceret sedens, neque dictus fuerit peripateticus Plato, qui deambulationem saepe doctrinae causa frequentarat. *y*

VI. *Aristotelis fuga chalcidensis*

Ea autem fama Aristotelis erat, quam una Alexandri sustineret potentia. quo anno I. Olymp. CXIV. defuncto, repente flamma in illum exarsit invidiae. Publice reus violatae religionis cum haberetur, *eo quod negaret quicquam prodesse preces, & sacrificia*, qui Deum necessitate quadam

l *Strab. l.* XIII. *Euseb. Praep. Ev. l.* XV. m *Conf. Menag. ad Laert.* n *Strab. l. c. Laert. Halicar.* o Heic *Stan.* errat, & *Patricius.* p Omnes citati. q *Lib.* IX. *c.* 3. r *Plin. l.* VIII. *c.* 16. s *Ammon. l. c. conferendi Patric.* alii. t *Laert. lib.* V. *seg.* 3. u *Cic. de Orator. lib.* III. *alii.* x *Suid.* V. *Lyceum. Laert l. c. alii.* y *Aelian. lib.* I. *c.* 19. *Laert. lib.* III.

illam induceret z constrictum; ipse fuga sibi consuluit, causatus, *noluisse se committere, ut athenienses bis peccarent in philosophiam*, ad a supplicium Socratis alludens. Clam venit Chalcida, ubi non diu fuit superstes. stomachi enim contracta ex studio infirmitate, obiit eodem, quo fugerat anno. b Divinis honoribus civem suum mactavere stagiritani, qui corpus in patriam attulere, aram, & delubrum illi dicavere. c Morti proximus Theophrastrum dicitur scholae praefecisse. d ex uxore Pythaide e Pythaidem filiam, ex altera uxore Herpylide, quam alii vocant concubinam, f Nicomachum filium suscepit, g cui vel scripsit libros Magnorum Moralium Aristoteles, h vel qui ipse eos scripsit libros. i fuit enim & valde Theophrasto charus, k & in philosophia insignis. l

mors, exequiae.

VII. *Aristoteli mortuo virtutes ambitiosius quaesitae.*

Iam de virtutibus Aristotelis pleni sunt libri, plena est exemplorum non antiquitas, sed recens haec nostra aetas, & memoria. Est, qui religionem erga Deum veram, probatamque Aristoteli tribuat; m est, qui illum ipsum gente iudaeum faciat; n est, qui religione proselytum iudaeis adiungat; o est etiam, qui furem plagiarium sacrorum librorum fuisse, dicat. p quae omnia a iudaeis conficta, credat iudaeus Apella, non ego. q erat enim si non supestitiosus, qui mortalibus aras, qui statuas dicabat; at certe ethnicus philosophus, qui Deo libertatem, & arbitrium adimebat. Atque hi, qui semel fidei in historia finem transiissent, bene, ac naviter mendaces esse voluere. homini pio, si superis placet, beatam vitam super astra degere dederunt, r qui cum animam iam ageret, ita sit precatus, *Causa causarum, miserere mei.* Sed haec iam pridem sunt ab eruditis viris explosa. Multo rectius in Aristotele laudata est grati, memorisque animi fides in reddendis beneficiis & Nicanori tutoris sui Proxeni filio; s & Hermiae, cuius familiam secum matrimonii necessitudine coniunxit. Laudata charitas in patriam, quam ornandam multis beneficiis curaverit. t laudata industria, & labor in studio eiusmodi, ut exiguam partem quieti daret nocturnae: quae quo brevior esset, solitus erat somnium inire aeneo globo manu comprehenso, qui cadens in subiectam pelvim, sonitu vix dum dormire incipientem excitaret. u Laudata denique immensa quaedam lectio, quam modo is negaverit, qui nunquam ipse Aristotelem omnium philosophorum eruditissimum legerit.

Vitia contra in Aristotelem & antiqui, x & novi quidam scriptores

z *Orig. Con. Cel. l.* I. a *Aelian. lib.* III. 36. b *Conf. Schott. l. c.* c *Citati.* d *Laert. l. c. Gel.* XIII. 5. e *Emp. Pyrr. Hyp.* I. 12. f *Athenaeus* XIII. *alii.* g *Laert. l. c.* h Ita plerique omnes. i *Cic. de Finib.* V. k *Eus. P. Ev.* XV. 2. l Suidas illi tribuit octo *Phy. Lib. lib.* VI. *Etich.* m *Fortunius Licetus* scripsit *de Pietate Aristotelis erga Deum, & homines cet. Patavii* 1629. n *Rab. Gedalius in Schalschelet pag.* 102. o *Bartolccius Bibliotheca Rabbinica. T.* I. *p.* 476. p *Iacobus Thomas. de Plagio.* §. 364. *Conf.* q *Vid. Fab. B. G. V. II. p.* 217. r Mirum est, huic fabulae credidisse *Auctorem Hist. Criticae Phil. T. II. p.* 270. *Vid. Fab. loc. c. pag.* 166. s *Laert. l. V. s.* 12. t *Plin.* VII. 19. *alii. Laert. l. c.* u *Suid.* in verbo *Aristoxenus* affirmat, hunc mortuo Aristoteli statim calumnias affinxisse, a quo eas credo excripsere alii.
x Franciscus Patricius, qui captat occasiones omnes Aristotelis accusandi.

res plenis manibus congessere, y ut nulla vitae pars insigni & flagitio, & crimine vacet. Pietatem debitam Platoni violasse, quo vivo scholam erexerit in Lyceo, cum prius senem magistrum quaestionibus irretitum sophisticis, relicto Peripato, domum scholam transferre coegisset. z At omnis fabula cum testimoniis aliorum non bene cohaeret, qui scribunt, Aristotelem multa observantiae signa, officiaque exhibuisse Platoni, cui aram in hanc sententiam inscripserit,

VIII. *Calumnia pietatis erga Platonem ab Aristotele violatae.*

Gratus Aristoteles struit hoc altare Platoni,
Quem turbae iniustae vel celebrare nefas:

cuius de laudibus, & orationem, & epigrammata ediderit: a cuius nomini non pepercerit modo in sententiis refutandis, sed testimonium etiam ter dederit honorificentissimum. b Nec propterea illud dictum Platonis paulo acerbius, nos calce petit Aristoteles, ut pulli equorum matres suas, praecise negem. credo enim parum Aristoteli illud, *ipse dixit*, placuisse, quod Platoni nimis pythagoreo, opinor, placebat.

IX. *Aristotelis cum Hermia consuetudo, in Pythiada superstitio, in Alexandrum coniuratio purgatae.*

Criminantur etiam Aristotelem, quod nimiam cum Hermia consuetudinem habuerit. quae non potest non esse manifestissima in eunucho illo iniuria: quod Pythiadi ea sacrificia fecerit, quae athenienses Cereri Eleusiniae. quae crimina iam diu fuere diluta ab antiquissimis scriptoribus, tanquam ab inimicis Aristotelis Lycone, & Aristippo excogitata. c Illud est autem facinus maioris abollae, Aristotelem coniurasse contra Alexandrum Macedonem, ad quem tollendum Cassandro miserit venenum, quae aqua fuisse dicitur stygia, in asini ungula reconditum. d Quid? si Alexander non veneno, sed vino periit? e At iratum habebat Aristoteles Alexandrum propter libertatem linguae, qua Callisthenes regem irritaverat. f Quid tum vero? non video quibus dialecticae legibus ex ira Alexandri, & Callisthenis linguae impotentia tantum facinus conficiatur. Sed satis sit criminum; satis etiam virtutum. quae utraque non defuisse philosopho ambitioso, aequus rerum aestimator haud gravate assentietur.

X. *Aristotelis doctrina amplissimis verbis a Cicerone laudata.*

Quod nostro potius iure de doctrina possumus Aristotelis, ea breviter dicamus. Philosophia non sub pallio, sed sub facie corporis vili in Aristotele latebat. is exiguis oculis, voce gracili, lingua etiam haesitante in iuventute, naso elato, cruribus parvis, valetudine fuit infirma. g quae omnia naturae mala virtus, & industria aut vicit, aut dissimulavit. Tantus enim, ac talis vir Ciceroni fuisse visus est Aristoteles, h quo uno nemo omnium doctior, nemo acutior, nemo acrior, nemo fuerit nervosior. Singulari vir ingenio, ac pene divino, flumen orationis aureum ab eodem dicitur fundere fuisse solitus. At erat Cicero, si Audomaro Taleo credimus, *laudum vel alienarum prodigus.* i

Certe in doctrina tradenda, ad quam maximus discipulorum confluebat numerus, Academiae disciplinam, si nihil aliud, diligenter retinuit Aristoteles, qui geminam methodum & arcanam, & popularem in

y *Conf. Aelian.* III. 19. *Laer.* V. *s.* 2. z *Ammon. l. c.* a *Olympiodorus l. c. alii.* b *Conf. Schottus. l. c.* c *Confer. Schott. Menag. alii.* d *Curtius* VIII. *Laer. l. c.* e *Conf. Schott. alii.* f *Laert. loc. cit.* g *Conf. Schott. loc. cit. alii.* h *Passim in scriptis philosophicis.* i *Ex Plut. Talaeus in Cic. Topica.*

in docendo ſervavit. duas enim habuit ſpecies commentationum, artiumque ſuarum. *alia erant*, k *quae nominabat* ἐξωτερικά, *quae ad rhetoricas meditationes, facultatem argutiarum, civiliumque rerum notitiam conducebant. alia, quae appellabat* ἀκροαματικά, *in quibus philoſophia remotior, ſubtiliorque agitabatur, quaeque ad naturae contemplationes, diſceptationeſve dialecticas pertinebant.* Tempus item, genuſque diſcipulorum, non doctrinam modo, habebat in duas diſtributum ſpecies. matutino tempore cum diſcipulis interioris admiſsionis de philoſophia remotiore, ac ſubtiliore; veſpertino vero cum iuvenibus ſine delectu de rebus civilibus, & in medio poſitis diſſerebat. Duo etiam librorum genera erant. *l* unum populariter ſcriptum, quod ἐξωτερικὸν appellabat, alterum limatius, quod in commentariis reliquit.

XI. *Commentationum, diſcipulorum, ſcriptorum duo genera Ariſtoteli* ἐξωτερικα, *&* ἐσωτερικα.

Omnino nihil habet Ariſtoteles non valde controverſum, & exagitatum: vita omnis etiam nunc in iudicio verſatur, his accuſantibus, illis Ariſtotelem abſolutum in aſtra ferentibus: doctrina vero, & libri ariſtotelei iamdudum habent & laudatores eximios, & accuſatores moleſtos. Etiam heic me iudicaturum & ſine amore, & ſine cupiditate, & rurſus ſine odio, & ſine invidia profiteor. Equidem ita intelligo, in libris his, quos hodie dicimus Ariſtotelis, tantam eſſe obſcuritatem, ut non ſatis ſint multi delii natatores, ne quis praefocetur. neque ego in oculis tenebras mihi videor habere, qui Themiſtium lego, ſcribentem, eſſe ſimile dementiae, ſi quis Ariſtotelis ſententiam ſe aſſecuturum ſperet, libris illius evolvendis; *m* qui apud Gellium video, ita reſcripſiſſe Ariſtotelem Alexandro, ἀκροαματικοὺς *libros, quos editos quereris, non perinde, ut arcana abſconditos; neque editos ſcito eſſe, neque non editos, quoniam iis ſolis, qui nos audiunt, cognobiles erunt.* n

XII. *Ariſtoteles* σκοτεινὸς, *ſi quis alius.*

Multa vero concurrunt, quae hominem faciunt obſcurum: quod philoſophiam vellet occultam, quod brevitati ſtuderet, quod ſermonis proprietatem etiam non uſu receptam ſectaretur, quod partes ſermonis, multis datas philoſophis, qui ſenſa animi ſui exponerent, & confirmarent, vix ullo diſcrimine ſeiungeret; quod denique gloriam ex aliena reprehenſione, ſive merita, ſive immerita conquireret, *o* qui *neminem praeterivit, quem non carperet, ratus, tantum in ſe derivaturum gloriae, quantum aliis omnibus ademiſſet.* qui denique *more ottomanorum* p *putavit, regnare ſe tuto haud poſſe, niſi fratres ſuos omnes contrucidaſſet.* Non meus hic ſermo eſt, ſed Vivis, ſed Verulamii, ſed aliorum plurimorum: qui ſi cui erit parum gratus, multos habebit ad manum, qui hanc orationem omnem retexant.

XIII. *Cauſae multae ariſtoteleae obſcuritatis.*

De ſcriptis vero Ariſtotelis, & quae nunc habemus, & quae vetuſtas invida nobis abſtulit, non eſſet, cur diceremus. praeſtaret enim, quam pauca dicere, omnino tacere. at brevi tamen dicamus, re ipſa monente. quos memorat Laertius libros, non habent fere eumdem titulum, quem qui ſunt reliqui. *q* Et vero non modo de nomine, ſed de poſſeſsionis iure

XIV. *Fortuna ſcriptorum ariſtotelicorum.*

litem

k *Gel.* XX. 14. *Cic. de Finib. lib.* V. *Clem. Alex. Strom.* V. *l* *Cic. loc. c.* m *Conſ. Nunneſium De cauſis obſcuritatis Ariſtotelis cet.* n *Gel. l. c.* o *Viv. De cauſ. cor. Art. l.* I. p *Verulamius de Aug. Scient. lib.* III. *cap.* 4. q *Conſ. Ioann. Alb. Fabric. B. G. V.* II. *pag.* 109.

litem intendunt eruditi libris, qui nunc ſuperſunt Ariſtotelis nomine inſcripti. Longa eſt hiſtoria, longae

Ambages, ſed ſumma ſequar faſtigia rerum.

Vivus Ariſtoteles vix paſſus, quidquam ſuorum ſcriptorum publici fieri iuris, r moriens & ſuos, & alienos, ex quibus primus omnium confeciſſe dicitur bibliothecam, Theophraſto libros ſ in manum dat. is Neleo ſcepſio legat. Neleus heredibus ſuis indoctis, tanquam margarittas porcis teſtamento libros reliquit, qui eos neglectos habuere, eſcas tineis, blattiſque, eouſque dum Attalici reges Pergami, bibliothecam ut inſtruerent, undecumque ſcripta conquirere coeperunt. veriti heredes Nelei, ne pro imperio reges illi, quibus ipſi parebant, ariſtotelicos libros eriperent, in ſpeculo ſubterranea abdidere. ubi cum amplius CXXX. annos publico caruiſſent, ſitu, & ſqualore confecti, in manus venere magno pretio Apelliconis Teii, librorum, quam doctrinae avidioris, qui bibliothecam Athenis ſibi parabat. Hic cum libris exſcribendis vellet lacunas ſupplere, ut colorem reſtitueret, vires, & valetudinem iam affectam penitus perdidit librorum.

XV. *Hiſtoria ſcriptorum ariſtoteleorum iudicium deſiderat criticum.*

Neque hoc ſatis mali. Cornelius Sylla emptos libros Romam cum exportaſſet, eorum copiam exſcribendorum fecit Tyrannioni grammatico, qui rurſus vulnera nova facit, cum vetera vult curare. ita nomen, non ſcripta Ariſtotelis, in vulgus emanavit. Haec uno ore fremunt critici tantum non omnes. Non audeo contradicere. velim, illi videant, ne quis in hiſtoria eorum deſideret iudicium. An vero nulla exſcripta vivo Ariſtotele ſint facta? nulla ne Theophraſtus quidem ſit fieri paſſus? utrum vero, qui tam longo tempore Lyceo praefuere, ignorarint, penes quos eſſent monumenta Ariſtotelis, & Theophraſti; an cum locum noviſſent, ea in tenebris iacere aequo tulerint animo? Quid? Athenaeus nonne auctor eſt, t Neleum vendidiſſe libros Ptolemaeo Philadelpho, quos hic bibliothecae intulerit alexandrinae? Equidem non poſſum ſine dubitatione de fortuna librorum ariſtoteleorum non dubitare: neque arbitror, tam fuiſſe negligentes primos illos Lycei alumnos, neque tam caecos conſecutos alios, qui pro medicis Apelliconis, & Tyrannionis manibus, iniurias non ſint conqueſti publice manus. ſed critici viderint.

CAP. XIII. *PHILOSOPHIA peripatetica.*

PROP. I. *Origo nominis in diſcipulis Ariſtotelis peripateticis.*

Ego Ariſtotele relicto, peripateticos conſequor. Nihil autem magis tritum, quam Ariſtotelis diſcipulos, atque ſucceſſores vocatos olim fuiſſe peripateticos. etiam in ſcholis ſervatur hodie interpretatio peripatetici ἀπὸ τȣ̃ περιπατεῖν. At non ſatis ratio interpretationis explicata multis videtur. non enim uni ariſtotelei, ſed academici ambulantes erant etiam a ſoliti diſputare. Ego non video, quare cauſa alia quaeratur nominis κατ᾽ ἐξοχὴν ariſtoteleis tribuendi, niſi voluntas populi,

Quem penes arbitrium eſt, & ius, & norma loquendi.

Itaque ab ambulando philoſophi Lyceo praefuere Theophraſtus, Strato Lampſacenus, Lyco, Ariſto Ceius, Critolaus, Diodorus. b Lyceum ſecuti

r *Conſ. Patric. alii.* ſ Haec litteraria hiſtoria eſt apud *Strabonem l.* XIII. *apud Plutarch. in Sylla.* apud *Ammonium*, apud *Athenaeum* alioſque bene multos. t *L. I. p. 3.*

a *Menag. ad Laert. V. ſ. 2. Ionſius. Heumanus. Gelius.* I. 26. & XVII. 20. *Laert. l. V. ſeg. 36.*

b *Plutarch. de Exilio. Clem. Alex. Strom.* II.

ſecuti multi Praxiteles, Lyciſcus, Praxiphanes, Hieronymus, Pritanes, Phormio, alii.

II. *Theophraſtus lesbius auditor, & ſucceſſor Ariſtotelis, vir athenienſibus charus.*

Proximus ab Ariſtotele peripateticus Theophraſtus, lesbius fuit, quem Aul. Gellius tacita ratione ſcribit, ideo *c* prae Menedemo Rhodio praepoſitum Lyceo, quod Ariſtoteles morti proximus vinum lesbium rhodio praetuliſſet, quo nutu ſucceſſorem ſignificaret. in quo non poſſum non vereri, ne quid graeca fides de ſuo addiderit. Theophraſtus natus Ereſsi, patre an Melanta, an Leone, *d* domi Alcippum *e* deinde Ariſtotelem Athenis audiit. Is dicitur mutato nomine diſcipuli eum pro Tyrtamo dixiſſe Theophraſtum. at credo, potius *Theophraſtus a divinitate loquendi nomen invenit* vulgi beneficio. *f* Theophraſtus contubernalis Demetrii Phalerei diſcipuli, athenienſibus adeo charus vixit, ut parum abfuerit, quin illi Agonida accuſatorem Theophraſti, loco rei violatae religionis, quod ille afferebat crimen, publice haberent. *g*

III. *Theophraſto praeceptori Strato phyſicus impius ſufficitur.*

Praeceptori Theophraſto ſuffectus eſt Strato Lampſacenus. patrem ille habuit Arceſium. annos octodecim praefuit ſcholae. *Phyſicus* ideo appellatus eſt, quod *cum maxime neceſſariam partem philoſophiae, quae poſita eſt in virtute, & in moribus reliquiſſet*, totum ſe ad inveſtigationem naturae contulit. tamen doctrinam de moribus non penitus neglexit. *h* Quae multa ſcripſit, ea omnia dolemus amiſſa. Plutarchus ampliſsimis verbis de doctrina Stratonis praedicat, *i* quae fuit in cauſa, cur Ptolemaeus Philadelphus eum haberet praeceptorem, cui regio muneri daret LXXX. talenta. *k* Impius in doctrina eſt habitus Strato. qui quod *omnem vim diuinam in natura ſitam eſſe cenſeat, quae cauſas gignendi, minuendive habeat, ſed careat omni ſenſu, & figura*; l aliis viſus eſt Spinoſae, Hobbeſioque praeluſiſſe de deo, qui eſſet univerſum: aliis animam mundanam, aliis vim hylicam probaſſe. *m* quod vero neget, *opera deorum ſe uti ad fabricandum mundum*; quod doceat, *omnia eſſe effecta naturae.. quidquid aut ſit, aut fiat, naturalibus fieri, aut factum eſſe ponderibus, & motibus*; quod particulas variae figurae ſomnia cenſeat eſſe *Democriti, non docentis, ſed optantis*: in eo Democriti mutatis corpuſculis in vires dynamicas corporum, Deo impiam dedit magni quidem operis immunitatem.

IV. *Stratoni Lycon, Lyconi ſucceſsit Ariſto.*

Lycon vero Aſtyanactis filius, Troadenſis, eius orationis ſuavitate, ut *Glyconem* multi pro *Lycone* nominarent, Stratoni ſucceſsit Olymp. CXXVII. Lyceum tenuit annos XLVI. aptiſsimus erat reip. adminiſtrandae conſiliis. *n* Sumptibus regum Eumenis, & Attali luxum vitae delitiaſque peripateticorum more tolerabat. Oratione locuples, ipſis erat rebus paulo ieiunior. *p* Summum bonum in vera animi laetitia poſuit. *q* Poſt Lyconem magiſtratum iniit Lycei Ariſto *Ceius* ab inſula Cei, *Iulietes* a Iulide patria dictus. *r* Diſcipulus Lyconis, non Critolai, aemulus quoque

c *L.* XIII. *c.* 5. d *Laert.* V. *ſ.* 36. e *Vid. Menag. ad Laert.* f *Conſ. Cic. in Oratore. Quinct.* X. 1. *Laert. loc. c.* g *Conſ.* de Theophraſto. *Suid. Athenaeus. Cic. T. Q. l. III. & alibi ſaepe.* h *Laertius* V. *ſ.* 18. *Clem. Alex. Strom. l.* I. *Menag. ad Laert. Cic. A. Q.* IV. *De Fin. lib.* V. i *Adverſus Colotem.* k *Laert. l. c.* l *Cic. de Nat. Deo. l.* I. m *Bruck. T. I. p.* 847. n *Laert. l.* V. *ſ.* 68. *Interpretes.* p *Cic. de Finib. l.* V. q *Cle. Alex. Stro.* II. r *Laer.* VII. *Interp.*

que *f* Bionis Borysthenitae fuit. *t Concinnus erat, & elegans, sed ea, quae desideratur a magno philosopho, gravitas, in eo non fuit. Scripta sane & multa, & polita: sed nescio quo pacto auctoritatem oratio non habet.* u non haberet fortasse, vel quod de anima μυθολογικῶς, *x* vel quod de re amatoria scripsisset. *y*

V.
Critolaus genuinus peripateticus praeest Lyceo, Romam legatus adit.

Aristonis discipulus Critolaus Phaselide in Lydia natus, *z* Lyceum mortuo praeceptore regendum suscepit, usque ad annum vitae LXXX. *a* Quam Aristoteles de mundi aeternitate, eandem insanivit insaniam Critolaus. *b* Summum ille bonum constituit, recte secundum naturam vivere. in quo Lycei veluti gentilitiam perfectionem, *c* dum in patriis manet institutis, retinuit. Legatus est Critolaus peripateticus ab atheniensibus ad S. P. Q. R. negotii publici gratia. *d* cuius facundiam, cum scita & teretia diceret, *e* admirationi fuisse, dicunt Rutilius, & Polybius. quamquam hic ille idem est Critolaus, qui rhetoricam damnavit, *f* quod antea fecerat Clitomachus. *g* adeo nihil tam absurde dici potest, quod non dicatur ab aliquo philosophorum, quod hodie non etiam recoquatur. Critolao successit Diodorus uno de nomine notus. a quo usque ad Andronicum rhodium tres peripatetici duces desiderantur. *h*

VI.
Dicaearchus peripateticus scriptor nobilis.

De reliquo peripateticorum populo, qui plura novisse volet, adibit tabulas, quas Patricius *i* primo, deinde Fabricius, confecerunt. *k* nec enim in prima institutione historiae mihi licet puncta singula colligere. tantum praestantissimos quosque de schola Aristotelis, & Theophrasti discipulos, tamquam nobilissimos de plebe philosophos, recensebo. In his facile princeps Dicaearchus messenius, qui Aristotelem audiit. *l* de quo haec accepimus, fuisse insignem geographum, cuius reliqua sunt geographiae fragmenta; *m* in philosophia politica nobilem, qui scripserit *de Pellenaeorum, Corinthiorum, & Atheniensium rebus publicis.* n Utinam non tam fuisset peripateticus, ut tribus libris *Lesbiacis* o *vellet efficere, animos esse mortales*; atque humanum semper fuisse genus, affirmaret. *p*

VII.
Spectati Aristotelis discipuli Heraclides, & Eudemus.

Heraclides Ponticus in peripateticis gregariis legendis est initio legendus. is heracleotes in Ponto valde dives fuit. *q* Athenis Platonem secutus est, a quo in Siciliam proficiscente Academiae praefectus est. *r* deinde dedit se Speusippo, postremo Aristoteli discipulum. neque tot contentus magistris, etiam pythagoricam philosophiam cognovit. operae vero pretium fecit audiendis tam multis philosophis. evasit enim egregius & philosophus, & mathematicus, & orator suavissimus, *f* ut multis testa-

f *Sex. Emp. ad. Rhet.* II. *f.* 61. & *Quinctil.* II. 15. contra sentiunt. sed habeo auctores *Cic. de finib.* V. & *Fabricium ad Emp.* t *Strabo* V. *de Finib.* x *Patric. l. c.* y *Athenaeus vid. l.* X. z *Plut. de Exilio.* a *Lucian. in Longaevis.* b *Stobaeus Eclog. Phy.* I. 1. c *Clem. Alex.* I. & II. *Cic.* V. *de Finib.* & *Tusc. Q. q.* V. d *Gellius.* XVIII. 21. e *Idem* VII. 14 f *Quinct.* II. 17. g *Emp. Ad. Rhet. f.* 20. h *Bruck. T.* I. *p.* 853. i *Disc. Perip. T.* I. *lib.* X. k *B. G. Vol.* II. *p.* 272. l *Cic. T. Q. l.* I. *Suid.* m *T. II. Geographorum Graecorum. Oxonii* 1703. *edit. Io. Hudsono.* n *Cic. Ad Att.* II. 2. o *Cic. T. Q. l.* I. p *Censorinus de Die Natali cap.* 4. q *Laert.* V. *seg.* 86. r *Suid. in Heraclides. Laert. loc. cit. Menag. alii.* f *Fab. B. G. V.* II. *pag.* 156.

testatus est scriptis. Heraclidi comes eat Eudemus Rhodius, Aristotelis discipulus: cui scripsit Aristoteles Ethica, nisi hic forte ea scripserit. *t* certe ad imitationem praeceptoris aliquid scripsisse, historiam etiam geometriae, & astrologiae confecisse, dicitur. *u* Sed satis multos Aristotelis discipulos antiquissimos censuimus.

VIII. *Demetrius Phalereus peripateticus princeps doctrina, & prudentia civili.*

Ad Thephrasti discipulos veniamus. Ille Phalereus Demetrius, in schola Theophrasti eruditus, & doctrinae studiis, & regenda civitate princeps fuit. *x* nam praefectus est Athenis a Cassandro, Macedoniae rege, Olymp. CXV. an. IV. optime de patria meritus in ea praefectura. Exacto decennio expertus populi levitatem, & absens, iuvante Demetrio Antigoni filio, capite damnatus, statuis, quae ante fuerant sibi CCCLX. positae, subversis, ad Ptolemaeum Sotera Aegypti regem se contulit, apud quem in rebus administrandis summum locum tenuit. *y* Consilium fortasse non malum, quo Demetrius auctor fuerat regi, ut is successorem non Ptolemaeum Philadelphum, sed alium Eurydices filium sibi optaret, fuit consultori pessimum. Philadelphus enim, qui eam alte iniuriam demisisset, ubi primum rerum potitus est, hominem in exilium misit, ubi aspide ad corpus admota, vita privatus est. *z*

IX. *Forma eloquentiae in Demetrio suavior, quam fortior.*

Iam Demetrii eloquentiam philosophia corruperat. Cicero, *a* cum Demosthenem, Lysiam, Hyperidem, Aeschinem oratores, in quibus naturalis inesset, non fucatus nitor, commemorasset: *Phalereus*, ait, *successit eis senibus adolescens, eruditissimus ille quidem horum omnium, sed non tam armis instructus, quam palaestra. itaque delectabat magis athenienses, quam inflammabat. processerat enim in solem, & pulverem non ut e militari tabernaculo, sed ut e Theophrasti doctissimi hominis umbraculis. Hic primus inflexit orationem, & eam mollem, teneramque reddidit, & suavis sicut fuit, videri maluit, quam gravis, sed suavitate, qua perfunderet animos, non qua perfringeret.* Heic ausim dicere, eloquentiam linguarum hodie vivarum esse plane, pleneque demetrianam. Multa scripta in eo genere praeclara reliquerat Demetrius, quae hodie desideramus. *b* Curavit etiam sacrorum librorum faciendam interpretationem graecam, cum alexandrinae esset praefectus bibliothecae.

X. *Phanias, & Hieronymus Rhodius peripateticus.*

De Phania lesbio, & Theophrasti populari pauca dicamus. Suidas scribit, *d* eum auditorem Aristotelis fuisse. multa scripsit, atque in iis *librum De Socraticis*, de rebus logicis etiam, nescio quid. *e* Extremum occupet Hieronymus rhodius locum, de quo Cicero scribebat, *quem iam* f *cur peripateticum appellem, nescio.* & tamen alibi peripateticum in primis nobilem appellat. *g* Vixit autem temporibus Lyconis, quocum contentiones alebat. *h* Saepe eius scripta adducunt veteres. *i*

CAP. XIV. *PHILOSOPHIA cynica.*

Atque historiam philosophiae, quae molesta esse solet doctoris, discipuli, exedrae, scholae, disputationis, scriptorumque repetitione, varietate quadam aspergamus, relictaque Lycei magnificentia, vitaeque su-

 per-

t *Ammon. ad Categorias.* u *Fab. l.c. alii.* x *Cic. de Leg.* III. & *Menag. ad L. V. s.* 70. *Laert. Plin.* XXXIV. 6. *N.H.* y *Aelian.* III. 17. z *Cic. Orat. Pro Rabirio.* a *Cic. in Bruto.* b *Fab. B. G. V. IV. p.*423. *Lelongius conf. T.* I. *Bib.Sac.* d *Suid.Fab. B.G. V.II. p.* 308. *alii.* e *Ammon. In Categorias.* f *De Finib.V.* g *De Oratore.* h *Laer.* IV. & V. *i* *Fab. B. G. V.II. p.*303.

PROP. I. *Controversa nominis origo in cynicis.*

perbia, in Cynosarges ad cynicos seminudos veniamus, qui tam valde a peripateticis vitae ratione abhorrebant, ut nihil posset esse dissimilius. Antisthenes sectae conditor, Diogenes princeps discipulus, Monimus, Crates, faemina Hipparchia, Metrocles, Menedemus, Menippus, aliique non multi in familia cynica numerantur. Ac primum unde sint appellati *cynici*, alii pluribus disputabant. *a* quos hi a Cynosarge, illi a canina vita, quo saepe scommate impetebantur, cynicos appellabunt. Erat Cynosarges, *b* a cane albo dictus locus publicus Athenarum, non procul a Lyceo, ubi Diomus quidam oraculo monitus, Herculi templum posuisse dicitur. Praeter nonnulla templa erat ibi gymnasium, peregrinis, nothisque destinatum. quae res in causa fuerit fortasse, quare Antisthenes non utroque parente natus atheniensi, sibi Cynosarges philosophiae sumpserit gymnasium.

II. *Antisthenes defuncto Gorgia dat sese Socrati, cuius virtutem imitatur.*

Antisthenes enim filius atheniensis Antisthenis, matrem habuit thressam, aliis phrygiam. *c* itaque non erat ingenuus ex legibus atticis. *d* Primum dedit operam Gorgiae sophistae, a quo eloquentiam didicit, non illam quidem vulgarem. deinde per Socratem hostem Gorgiae ad philosophiam traductus, multos deinceps transfugas excitavit. *e* Nemo autem virilem Socratis constantiam, virtutemque plenius est Antisthene imitatus. divitias, delitias, vestem mollem, omne genus voluptatis tacita quadam ambitione aspernatus, audiit Socratem castigantem, *quin desinis, apud nos te ipsum ostentare?* quasi philosophiae opus ultra legem tenderet. *f* Ultus est mortem Socratis. nam quaerentes Socratem iuvenes ponticos athenis hospites; duxit ad Anytum, allocutusque iuvenes, hic, ait, multum sapientia vincit Socratem. quae vox fuit prima mali labes Anyto, quem odio in exilium misere athenienses, ea re commoti indignissima.

III. *Antisthenes novo ornatu incipit philosophari.*

Iam Socrate vita functo, Antisthenes ad scholas animum adiecit, virtutis colendae potius, quam doctrinae percipiendae gratia habendas. itaque ridiculum in modum accingens se, philosophiae discipulos coepit conquirere. acumine ingenii, argutaque eloquentia omnes tangebat, cum ad se oculos omnium converteret promissa barba, tunica posita, sumpto dumtaxat pallio, eoque & vili, & sordido, & attrito, & praeter morem atticum circa sinistrum humerum *g* ita duplicato, ut nudum humerum dexterum exereret; adiecta praeterea pera, & baculo mendici more modoque. Cum talis incederet, brevi omnium offensionem, indignationemque expertus, coepit canis, qui omnibus allatraret, appellari. Discipulos, quos conquirebat plurimos, cum dure acerbeque haberet, brevi habuit nullos. Itaque otio usus tam multos scripsit libros, ut Timon eum vocaret nugatorem ingeniosum. Ab eo binas declamationes habemus. *h*

Habuit autem Antisthenes Diogenem discipulum, se multo magis

a *Vid. Interp. Laert.* VI. *f.* 13. b *Conf. Interp. Laert.* c *Laert.* VI. *f.* 1. *Plutar. De Exilio. alii consulendi.* d *Plutarc. in Pericle. alii.* e *Laert. l. c. Stollius dis. de Antistene Cynico. alii.* f. *Laer. l. c.*

g *Conf. Ferrarius de re Vestiaria Vet. P.* II. *l.* IV. 9. *Ioannes Lacerda ad Tertullianum de Pallio. alii.* h *Vid. Fab. B. G. V. II. pag.* 716.

gis cynicum. Diogenes Icesio patre mensario Sinope in Ponto natus an. III. Olymp. XCI. adolescentiam male egit. reus pecuniae adulteratae, sive cum patre aufugit, ut alii scribunt, *i* sive cum servo, *k* quod habent alii, patre in vinculis coniecto, & deinde ob filii crimen interfecto. Athenis dignus visus est Antisthenes, quem prae omnibus sequeretur, Diogeni. qui saepe repudiatus, nec nisi importuna rogatione, & patientia futuro cynico, qui sibi baculo pati posset comminui caput, dignissima, receptus est denique. Neque se Plato magistrum probavit Diogeni, *l* neque se discipulum Diogenes Platoni. Ornatum, & rationem cynici mordicus arripuit, adeo, ut locum fecerit lepidae narrationi, & in dolio vixisse, & Alexandrum Magnum prae se contempsisse. quae res est utraque dubia.

IV. *Diogenes sinopensis Antisthenem sectatur.*

Diu vixerat Athenis cynicus, unde cum Aeginam navigaret, captus ab Scirpalo duce piratarum, in Creta venditus est Xeniadi, cui praetereunti vendi se velle dixit, eo quod domino Xeniades egeret; ipse autem Diogenes artem sciret liberis imperandi. *m* Et vero dicitur praecepisse domino, ut sibi servo veluti medico pareret. Xeniades miratus ingenium, & virtutem Diogenis, non modo pileum sumere iubet, sed ei filios instituendos committit, reique dat curam familiaris. Diogenes filios heriles instituit, atque erudiit ad virtutem prope cynicam: bona vero ita curavit, ut Xeniades saepe diceret, bonis avibus ingressum Diogenem fuisse domum. Heic Diogenes in frequentissimo Graeciae emporio multos mortales ad virtutem inflammabat, degere solitus in Craneo, quod erat gymnasium prope Corinthum. Obiit Corinthi eodem die, quo Alexander Magnus Babylone. an. I. Olymp. CXIV. de genere mortis nihil constat. minus illud dubium est, in Craneo obvolutum pallio spiritum sibi compressisse. *n* Mors multis ornata fabulis. Diogenes sepultus est iuxta Corinthi portam, qua via est in Isthmum, tumuloque imposita columna marmorea cum cane.

V. *Diogenes Corinthi philosophatur, & moritur.*

Monimus *o* alius inter cynicos, philosophus e servo fuit. Syracusis natus, servitutem Corinthi cum serviret, saepe Xeniadem apud herum mensarium mira audiebat de Diogene narrantem. captus amore perae & baculi, simulavit se furere, ut sibi manumisso liceret omnibus allatrare. licuit. reliqui enim cynici confirmavere domino, Monimum furere, quos non valde credo mentitos. mihi enim furor est sapientia cynica. Fortissimus omnium habendus cynicorum Crates, Thebis patre Alcondo nobili & opulento natus est. *p* Ad Diogenem relictis possessionibus paternis, sive pecunia in mare proiecta, sive ad mensarios deposita, (nec enim res constanter traditur *q*) se contulit, gibbosus, incurvus, deformis, philosophiae natus cynicae, inimicus verecundiae, & pudoris. Gloriam doctus spernere, patientia tanta in rebus duris, ut flagris caesus, pedibus tractus iocaretur, & rideret. Crates primus omnium cyni-

VI. *Monimus e servo cynicus, Cratetes e divite cynicus, Hypparchia Cratetis uxor cynica.*

i *Laert. lib.* VI. *§.* 20. *Interpretes in eum locum.* k *Citati.* l *Aelianus l.* XIV. 33. m *Gell.* II. 18. n *Laert.* VI. *segm.* 79. res tota dubia est. o *Menander in Excerptis ex Tragicis.p.* 727. *cons.Menag.ad L.VIII.Laert.Sex. Empi.Ad. Mathe.*VII. *§.* 17. p *Laer.* VI. *§.* 18. *Suid.* q *Viden. Laer. Apuleius.Florid.p.* 355. *Simplicius ad Epictet. Ench.c.*10.*Men. ad* IV.*Lae.§.*86.

nicorum *r*, uxorem duxit Hipparchiam ortam ex urbe Thraciae Marona, *ſ* quae tanto amore cynicum deperibat virgo, ut vel mori, vel nubere Crateti, ipſam etiam dehortanti, vellet. Quae amorem erga cynicum foediſsimum oſtendiſſet vehementem, facile omnem exuiſſe etiam in porticu pudorem, quod multi narrant, eſt exiſtimanda. certe munditiis & ornatu cynico exculta maritum, cui plures peperit filios, ſequebatur.

VII.
Metrocles non malus cynicus. Lymphatus Menedemus, Menippus ſatyricus cynici.

Hipparchiae frater Metrocles, primo Theophraſti & Xenocratis, deinde Cratetis auditor fuit. *t* Antequam fieret cynicus, cum bonis abundaret paternis, adeo vel ſordidus, vel miſer erat, ut ſe nunquam ſervo melius veſtiret, neve ſe penuria victus opprimeret, aſsiduo timeret: factus vero cynicus, etiam alimenta aliis ſuppeditaret, cum nihil iam ſibi domus paterna largiretur. Sibi pudore oppreſſus mortem conſciviſſet, quod inter recitandum imprudens flatum non ſine crepitu emiſiſſet, niſi Crates, & verbis, & factis iiſdem hominem deterruiſſet. *u* Suas cum non eſſe aliquid putaret nugas, libros combuſit. ſenex ipſe ſe praefocavit. Ut autem nos a cynicis quam breviſsime expediamus, haec de Menedemo novimus. audivit Echeclem, Colotem Lampſacenum: *x* docuit ipſe Cteſibium chalcidenſem ſcurram feſtivum, & paraſitum nobilem. *y* Menedemus videri voluit nuncius ab inferis miſſus, qui homines ab ſcelere revocaret. furiali veſte & habitu corporis incedebat pullatus, tunicatus ad uſque talos imos, pileatus more arcadico, duodecim elementis inſcriptis pileo, cothurnis tragicis, barbatus, & virga in manu fraxinea. Quid de Menippo? is patria Sinopenſis, *z* ſervus Batonis pontici, & Thebis libertus tanta fuit avaritia, ut quod a mercatoribus, quibus foenori nummos dederat, fuiſſet deceptus, collum laqueo ſibi conſtrinxerit. Libros multo ſale conſcripſit, qui Varroni occaſionem olim, nuper aliis dedere, ut ſatyras dicerent Menippeas.

CAP. XV.
PHILOSOPHIA ſtoica.

PROP. I.
Zeno conditor ſtoicorum, cittieus, e mercatore philoſophus.

Quoniam vero cynicorum ratio tota eſt eiicienda, qui ſi initio ſectae laudem meruere, quod divitias, gloriam, nobilitatem contemnerent; exiguo deinde tempore *a* facti ſunt, & habiti ſcurrae graeci: ad Zenonem orationem convertamus, qui virtutem caſtigavit cynicam in Stoa. Huius olim valde probata ratio, multorumque litteris & expoſita, & laudibus amplificata, *b* multos his ſuperioribus ſeculis ſuſcriptores habuit, qui eandem provinciam rurſus exornarent. *c* Zeno ſtoicorum auctor natus Cittii, quod oppidum eſt Cypri, quo phoenices deduxere coloniam, *d* a patria dictus cittieus, a gente phoenicius, patrem habuit mercatorem, qui aliis alio nomine Mnaſeus, & Demeus appellatur. *e* Domi adoleſcens deditus philoſophiae ex libris ſocraticis, cum deinde iam annos age-

r *Arrian. Vid. Diſ. Epic. l.* III. *D.* 22. ſ *Laert. Apul. alii. Theodoretus de Cur. Graec. Affect. Ser.* XII. *alii paſsim.* t *Laert.* VI. *ſ.* 94. *Stobaeus Ser.* 237. u *Plutarch. an. Vitioſ. ad Infelic. Suffic.* x *Laert.* VI. y *Athenaeus* I. & IV. z *Laert.* VI. *ſ.* 99. *Gell.* II. 18. *Iuſtus Lipſius in Satyris Menep.*

a Laert. VI. Lipſ. Man. Lib. I. Diſſ. XIII. *b* Antiqui de philoſophia ſtoica ſcriptores. *Seneca*, *Epictetus*, *Antoninus Imperator*, *Cicero*, *Sex. Emp. Laert.* c Recentes vero *Iuſtus Lipſius* plus nimis ſtoicus *Scioppius*, alii. d *Cic. T. Q. l.* IV. & *de Fin.* IV. *e* *Laert. lib.* VII.

ageret XXX. *f* Athenas venit cum navi onusta purpura, ut mercatum ageret. Heic lecto Xenophontis libro, *g* dat se Crateti cynico instituendum. cuius cum ille animum probaret voluptatibus invictum, perfrictam frontem nunquam probare potuit. Audiit praeterea Zeno Xenocratem, Polemonem, & Diodorum Cronum, quibus doctoribus valde in philosophia profecit.

II.
Zeno verborum potius, quam rerum novator in Poecile scholas habet.

Quod autem minime Polemonem latuerat, velle Zenonem novam condere familiam, id perfecit Zeno in Poecile, porticu multis tabulis pictis ornata. Huc & subtilitas Zenonis, & vultus severus, & vestitus modestus, & fortia verba de moribus ingentem discipulorum numerum convocavere, quos initio zenonios, *h* deinde ab stoa *stoicos*, quasi *porticenses* diceres, vulgus appellavit. Heic Zeno non tam rerum inventor fuit, quam verborum, *i* cui causa iusta non esset, *cum Polemonem audisset*, k *cur & ab ipso, & a superioribus dissideret*. itaque dogmata sua prope omnia ab academia suffuratus, novum colorem quaesivit doctrinae veteri spinis, aculeis, interrogatiunculis angustis. sincerum etiam vas incrustavit, cum alienas opiniones, per se satis constantes, in unum corpus monstrosum, collatis undique membris, conglutinavit. *l* Surgenti Stoae bellum indixere Arcesilas, & Carneades de iudicio veri falsique, quod ante dicebamus. Epicurus etiam *m* hostis Zenoni fuit. Multa in Zenonem collata crimina, quod plagiarius philosophus, quod paulo magis cynicus, quod impudens Platonis calumniator, quod sophisticus argutator, *n* quod denique impius esset pantheista, vel pantheistae gemellus.

III.
Auctoritas, scripta, mors superba Zenonis.

Athenienses amplissimis hominem verbis, rebusque colebant, apud quem claves urbis deponere non dubitarent. quibus cyprii populares non concedebant, utri magnificentius de Zenone sentirent. Plura scripta, quae hodie non comparent, edita a Zenone, venerata est Stoa, alii philosophi contempsere. *o* Admodum senex, quippe qui annum aegeret XCVIII. *p* cum ille domum ab schola rediens, lapsu digitum fregisset, manu percusa terra, *en adsum*, ait, *quid me urges, precor?* deinde vel eo in loco, vel domum vix ingressus, laqueo se suspendit, signumque superbae mortis secutis stoicis suis extulit. *q* In Ceramico auctoritate Antigoni sepultus est extructo ibi insigni monumento.

IV.
Cleanthes ingenio tardus, virtute & industria dignus Zenonis successor.

Quam vero numerosam, diuturnamque familiam moriens reliquerit Zeno, multi & veteres docebunt, & novi. *r* Cleanthes *s* Assi an in Lycia, an in Aeolia natus, primo pugil triobolaris, qui drachmas modo quatuor haberet; deinde Cratetis discipulus, e quo ad Zenonem transiit; tam erat ingenio rudi tardoque, ut τὸν ὄνον vocarent condiscipuli. qui etiam se asinum, sed cum tamen esse dixit, qui solus sarcinas ferre posset Zenonis. Insignis erat & eximiae virtutis, qui noctu locaret operam aquae e puteo hauriendae, quam industriam Athenae decem minis publicis remunerari in iudicio voluere. Dictata Zenonis in testis ossibus-

que

f *Laert.* VII. *s.* 28. g *Viden. Laert. Menag.* h *Cic.* III. *de Finib.* i *Cic.* IV. *de Finib.* k *Cic. conf. Ac. Q. I. c.* 10. *& de Fin.* III. *&* IV. l *Bruck. T. I. p.* 906. m *Gassendus in Vita Epicuri* III. I. n *Cic. l. c. Reimannus Hist. Atheismi* XXVIII. *Arrianus Diss. Epic.* III. 13. *Aelian.* IX. *Menag. alii.* o *Laert. l. c.* p *Bruck. T. I. p.* 901. q *Laert. Suid.* r *Laert. Menag.* s *Stanleius.*

que ſcribebat, cum inopia chartae, & pecuniae laboraret. Severa potius vitae ratione, quam eruditione paulo magis ſpinoſa, *t* laudem meritus, anno vitae LXXX. inedia voluntaria obiit. Multa ſcripſit, quae docebit Laertius. *u*

V. *Chryſippus a Cleanthe porticum fulcit, eiuſdem virtutes, vitia, doctrina.*

Chryſippus, qui fulcire iudicatus eſt porticum ſtoicorum, Solis in Cilicia, patre Apollonio natus, *x* cum bona regio adiudicata fiſco, quod foenus ex foenore exigeret, *y* id quod tradit Lucianus, amiſiſſet; profectus Athenas an Zenonem, an Cleanthem audiit. *z* Ingenio fuit dialecticis cavillationibus aptiſsimo, cui adeo indulſit, ut ne ab ſtoicis quidem probaretur eius *acumen* a *nimis tenue*. Notata eſt autem non toleranda ingenii arrogantia multis in rebus, qua ne Cleanthi quidem cedebat. Philoſophicum bellum cum aliis geſsit philoſophis, maxime academicis, quos ipſe acumine & doctrina ſua contra porticum armavit. *b* Alii ab ſtoico pudorem, qui res obſcoenas ſermone turpiſsimo tractarit; alii religionem omnem, qui deos funditus fecerit mortales, *c* deſiderant. Erat in ſcribendo ita laborioſus, ut ſcripta ediderit ad DCCV. in quibus & multa erant aliena excerpta, & multae contradictiones. *d* Riſu dicitur obiiſſe Olymp. CXLIII. quod vidiſſet aſinum edentem ficus. quamquam verius de vino dulci narrant alii, quo liberaliter epoto ex vertigine periit. *e* Statua illi in Ceramico poſita *f* fuit.

VI. *Ex ordine ſtoam obtinent Zeno Tarſenſis, Diogenes Babylonius, & Antipater Tarſenſis.*

Porticum poſt Chryſippum tenuit Zeno Tarſenſis, *g* qui in illa claſſica Stoae ſententia de *Conflagratione Mundi* aſſenſionem retinuit. *h* Perſuaſit Diogeni Babylonio, *i* ut ſtudium in philoſophiam conferret. Huic Diogenes Seleuciae natus, magnus & gravis ſtoicus, *k* uſus inſtitutione Chryſippi, & Zenonis in porticu ſucceſsit. Romam in illa philoſophica legatione miſſus eſt. Quos eius memorat libros Cicero, *l* periere. Diogenes cum annos vixiſſet LXXXVIII. reliquit cathedrae poſſeſſorem Antipatrum Tarſenſem diſcipulum, hominem & acutiſsimum, & principem inter ſtoicos. *m* Cum Carneade multa ex ſcripto diſputavit. Nihil reliquum eſt librorum, quos multos ille conſcripſit. *n*

VII. *Panaetius Rhodius nobilis ſtoicorum doctor.*

His in porticu vir ab omni parte nobilis Panaetius Rhodius iunior ſucceſsit. *o* natus maioribus in militia clariſsimis domeſticum ſplendorem miles philoſophiae auxit. *p* ſecutus ſtoicos, alios tamen philoſophos & legit, & aſsidue laudavit Ariſtotelem, Xenocratem, Theophraſtum, & Dicaearchum. *q* Platonem autem appellare ſolebat Homerum philoſophorum. *r* docuit nobiliſsimos in republica romana viros, quibus magno ipſe erat in honore, Laelium, Scipionem, Fannium; graecos autem Mneſar-

t *Hieronymus Lib.* I. *in Ruffin.* u *Lib.* VII. *ſ.* 176. *Menag.* x *Laert.* VII. *Lipſius Man.* I. y *In vit. auct. T.* III. *p.* 123. z *Laert. ſ.* 179. a *Seneca de Beneficiis* I. 3. b *Cic. A. Q.* IV. c *Petrus Baelius Dic. T.* II. *art. Chryſippus.* d *Plutarch. de Stoic. contradictionibus.* e *Laert. ſ.* 184. f *Cic.* I. *de Finib.* g Aliis Babylonius. *Laert.* VII. *ſ.* 38. *alii.* h *Vid. Euſ. De Praep. Ev.* XV. 18. i *Plutarch. de Vit. Alex.* k *Laert.* VI. *ſ.* 81. *Cic. T. Q.* III. 12. l *De Div.* I. m *Cic.* III. *offic. Seneca Ep.* 92. Antipater unus, & idem fuerit & Tarſenſis, & Sidonius, & Tyrius, diſputant *Voſsius*, *Lipſius*, *Stanleius. Fabricius apud Bruckerum Videndi T. I. p.* 979. n *Fab. B. G.* III. *p.* 388. o *Suid. V. Panaetius.* p *Strabo* IV. q *Cic. de Fin.* IV. r *Ci. T. Q.* I.

ſarchum, Poſidonium, Hecatonem, Apollonium Nyſeum, & Polybium. Philoſophatus autem convenientius animi naturae, ſtoica dogmata cum *ſ* *περὶ τῆς ἀπαθείας*, tum de praedictionibus retractavit. librum De Sectis ſcripſit. *t* Athenis obiit; cum vixiſſet diu. *u*

VIII.
Poſidonius Rhodi, & Romae profitetur philoſophiam ſtoicam. Perſaeus ſtoicus Antigoni purpuratus.

Cum Panaetii diſcipulus Mneſarchus praeeſſet porticui Athenis, *x* Poſidonius Rhodius, natus Apameae Syriae, ſcholam publicam habebat Rhodi, quo in loco cum vixiſſet diu, Rhodius dictus eſt. Tanta erat Poſidonii exiſtimatio, ut ſoleret narrare Pompeius, *y* ſe, *cum Rhodum veniſſet decedens ex Syria, audire voluiſſe Poſidonium*. cui quidem faſces imperii veluti ſummiſsit, vetitis lictoribus, ne de more Poſidonii fores percuterent. Eundem Cicero audivit, *z* eundem Romam M. Marcellus adduxit. *a* Muta conſcripſit, *b* cui magna ſpecie veri tribui *De Mundo Libellus* ſolet, *c* quem contra ius habet Ariſtoteles. Sphaeram conſtruxiſſe valde artificioſam, auctor eſt Cicero. *d* Iam Perſaeus, qui ad Olymp. CXXX. florebat, incertumne ſervus, an ingenuus, vir certe in Stoa nobilis, cuius olim ferebantur libri, *e* & apud Antigonum gratioſus fuit. a quo Achrocorintho praefectus, re docuit, falli ſtoicos, ſolum ſapientem eſſe ducem. *f* eo enim in convivio accumbente, cepit Aratus arcem, & Perſaeum poena capitis affecit. *g* Hermagoras Amphibolitanus fuit Perſaei diſcipulus. *h*

IX.
Stoici alii.

Alius Perſaei diſcipulus fuit Ariſto Chius. qui ideo a Zenone ad Polemonem defecit, quod Zeno exilem, Ariſto magnificam, a qua dictus eſt Siren, *i* ſequeretur orationem. Hoſtis academicorum, & acerbus, & praefractus, & ferreus eſt a Cicerone nuncupatus. *k* Familiam brevis aevi condidit, *l* ariſtonios, qui Stoae *ἀδιαφορίαν*, phyſicen, logicen improbarent: *m* qui ſtoicum deum mundi, animalis conſilio pleniſsimi, animam negarent. Ariſto obiit an. I. Olymp. CXXVI. *n* Comes eat alter ſtoicorum transfuga Dionyſius Heracleotes, qui dolore victus, ſeſe a Zenone tranſtulit ad voluptatem Epicuri. *o* Ariſtonis diſcipulus Eratoſthenes cyrenaeus, eruditorum Beta, *p* primuſque *q* philologus dictus, fuit, *r* alixandrinae praefectus bibliothecae. *ſ* Herillus carthagin ienſis non nihil *t* a Zenone doctore deſciſcens, ut qui ſcientiam ſummum bonum diceret, *u* ſectam reliquit herillios, *x* eodem die natos, eodemque mortuos, ut ita dicam. Stoam prodidit, qui peccata eſſe paria negavit, *y* Athenodorus ſolenſis, alius atque ille doctor Auguſti. *z* Sphaerus Boryſthenites Cleanthis auditor, in primis bene definiens in Stoa, *a* & ſtoicus nugator in regia Ptolemaei Philopatoris fuit inſignis. *b*

Atque

ſ *Tull. De Div.I.alii.* t *Laert.II. ſ.87.* u *Cic.De Off.III.* x *Cic. A.Q. II.Strabo VII.* y *Cic.T.Q.II.* z *Cic. De Nat.Deor.I.* a *Suid.V.Poſidonius.* b *Vid.Aldobrand.ad Laert.VII. Gaſ.T. I.op.p.145.* c *De Nat.D.II.* d *Ibid.* e *Suid.V.Perſeus.Laer.VII.ſ.36.Athen. IV. Gel.II.18.* f *Plutarch. in Arato.* g *Pauſan.in Corinthia c.8.* h *Suid.V. Hermagoras.* i *Laer.VII.ſ.18.& 163.*

k *De Leg.I.* l *Laer.l.c.* m *Cic.A.Q. II.alii.* n *Idem de nat.De.I.* o *Cic. T.Q.II. Menag. ad Laert.* p *Plin.II. 108.* q *Suetonius De Clar.Gram.c.10.* r *Suid. in Eratoſthenes.* ſ *Fab.B.G.V. II.p.471.* t *Laert.VII.ſ.165.* u *Ci. A.Q.II.* x *Idem de Orat.III.* y *Laer. VII.ſ.171.* z *Fab. B,G.V.II.p.391.* a *Cic. T. Q. lib. IV.* b *Laert.lib. VII.ſegm. 177.*

CAP. XVI. *PHILOSOphia pythagorica.*

PROP. I. *Pherecydes syrus magister Pythagorae.*

Atque hi omnes, ab uno Thalete profecti, ionicam origine philosophiam coluere. restat nunc italica schola Pythagorae. Primum omnium de Pherecyde magistro Pythagorae dicendum breviter existimo. is gente graecus, patria syrus, in Syro una cycladum ortus est *a* Olympiade XLV. De Pherecyde omnia incerta. aliis philosophiam a Pittaco, *b* aliis a phoenicibus, *c* apud quos asservatos Chami commentarios legerit arcanos; aliis ab Aegypto percepisse *d* visus est Pherecydes. Pherecydem Thaleti praeceptorem dat Tzetzes, *e* at Suidas discipulum, aut certe sectatorem. ut omnino verum non possit exculpi. Iam omnis reliqua vita Pherecydis est implicatior nodo gordiano. nam Laertius illum inducit divinatorem; cui qui credat, augur quaeratur. *f* auctorem etiam in insula Syro heliotropi, cuius meminerit Homerus, *g*

Νῆσός τις Συρίη κικλήσκεται, εἴπου ἀκούεις,
Ὀρτυγίης καθύπερθεν ὅθι τροπαὶ ἠελίοιο:

atqui multo erant in Iudaea antiquiora Pherecyde sciatheria: primum fuisse graecorum, qui de natura rerum scripserit, quam eandem tribuit Thaleti praerogativam. *h* Mortuus est aetate annorum LXXXV. Cosmogoniam mythologicam sine carmine secutus, principia videtur induxisse Ζῆνα, χθονίην, χρόνον. *Iovem*, *Terram*, *Tempus*. ut causam efficientem & probarit, & optimam probarit. *i*

II. *Pythagorae patria, genus, ortus; aetas controversa.*

Iam ego dubito, utrum Pythagorae fabulosior, an Pherecydis incertior omnis vitae sit ratio. Qui enim antiquorum de rebus Pythagorae meminere plurimi, *k* ii prope omnes & fabulas probabant alienas, & fingebant suas. *l* Pythagoras patria fuit samius: aiunt plurimi. *m* at negant, qui illum tyrrhenum, qui phliasium, qui metapontinum, qui tyrium, qui iudaeum, qui denique faciunt etruscum. Pythagorae pater Mnesarchus fuit samius. *n* de patria Mnesarchi, de nomine, de genere vitae, infinitae dissensiones. Iam ortus Pythagorae quam monstri similis? intervenit oraculum Apollinis, quo mater in posterum pro Parthenide vocetur Pythais, quae non ab alio, quam ipso gravida credatur Apolline. At de tempore ortus, adhuc litigant britanni tres Bentleius, Lloidius, Dodwellus. *o* quam vellem de die, deque hora diei subtiliter quoque rationes subduxissent! in eo scilicet vertitur philosophiae salus.

III. *Prima institutio Pythagorae, iter & ionicum, & phoenicium dubia.*

At institutionem, & studia, & peregrinationes Pythagorae si quis constanter explicet, mihi sit futurus magnus Apollo. Sidone, *p* quo Mnesarchus negotiator cum Parthenide venerat, nascitur Pythagoras neque *q* ante Oly. XLIII. neque post Oly. LII. quod Bruckerus edicit. Puer re-

a *Suid. in Pherecyde.* b *Laert.* II. *s.*116. c *Beausobre Hist. des Manich. P.*II.*I.cha.*7. d *Ioseph.Cont.Apion.l.*I. e *Vide Menag.ad Laert.* f *Cons. Eus. P.Ev.*X.2. g *Odyss. ὸ. V.* 402. *Con.F. B. G. V.I.* h *Cons. Menag. ad Laert.* i *Arist. Met.* I. 12. k Commentaria de Pythagora amissa sunt, quae Theano, quae Hermippus, quae Moderatus, ut alia taceam, apud *Ionsium De Scrip.Hist.Phil.*I.3. videnda, scripsere. Habemus hodie, quae scripsere *Laert.* VIII. *Iamblicus de Vita Pythagorae. Anonymus Vitae Pythag. Scriptor apud Photium CCLIX. Suid. Iusti*. XX. 4. Mitto infinitos alios neotericos. l *Iamb. Vit. Pyth. num.* 159. m *Menag.ad Laert.* n *Stanl.H.Phil.* VIII.*Laer.l.c.alii.* o *Bru.T.*I.*p.*995. p *Citati.* q *T. I. pag.* 998.

reverſus in inſulam Samum, fit a nonnullis pugil Samius Comatus. *r* ab aliis vero datur diſcipulus primum Hermodamanti Creophilo civi ſamio; *ſ* deinde Pherecydi Syro. Annos XVIII. natus ad Pherecydem, inde ad Anaximandrum, inde ſe ad Thaleta contulit. Heic quae lites! Pergat porro Iamblichus, qui inde Pythagoram mittit in Phoeniciam ad Moſchi poſteros, phyſicos inſignes: qui hominem omnibus myſteriis initiatum Bybli, Tyrique oſtendit. At Ioan. Clericus *u* ex iſta reformata diſciplina criticus, praecludit omnem in Orientem aditum Pythagorae. Phoeniciae peregrinationis occaſione alius *x* dat Pythagorae magiſtros thraces, alius iudaeos, quorum fiat proſelytus, *y* alius denique Pythagoram in Carmelo moratum, carmelitanae familiae ſocium adiungit. *z* Qua in re eſt, qui non parcat naribus uti; ego ſimpliciter ſine fuco ac fallaciis more maiorum diſſentio.

IV. *Pythagorae aegyptia peregrinatio certior; babylonica, indica, gallica, critico lapide notatae.*

Age tamen ſequamur peregrinatorem philoſophum. Pythagoras dum e Phoenicia in Aegyptum traiicit, a nautis pro deo quodam habitus, *a* Amaſi regi, doctarum frontium e Graecia potiſsimum amico, *b* litteras a Polycrate reddit. Amaſis hoſpitem commendat ſacerdotibus aegyptiis. quorum litteris annos XXII. aſſuefactus, *praeteriti aevi ſacerdotum commentarios ſcrutatus, innumerabilium ſeculorum obſervationes cognoſcit.* Rurſus dat ſe in viam Pythagoras. ab Aegypto *ad Perſas profectus magorum exactiſsimae prudentiae ſe formandum tradidit.* *c* Atque hoc iter orientale uno ore antiqui meminere, *d* quibus omnibus Bruckerus temeritatis notam inurit: *e* quaſi non bene ſubductis rationibus temporum, fabulae aſſenſi fuiſſent. Ego vero citius confitear, non eſſe ſatis res Pythagorae diviſas temporibus ſuis, quam ut teſtes omnes antiquitatis pro duobus, tribuſve habeam cum Bruckero. qui negat item, Pythagoram Babylone audiſſe neque Zaratum, neque Nazaratum, neque Ezechielem, neque Danielem, neque iudaeum aliquem. *f* Nos vero ſequimur Pythagoram uſque ad garamantas, & indos, *g* quas ultimas luſtraſſe terras philoſophiae cauſa accepimus. *h* Eundem in Galliam ad druidas veniſſe, *i* minus eſt probabilis opinio, vix paucis teſtibus confirmata.

V. *Pythagorae peregrinationes graecae, initiationes, ſcholae domeſticae.*

Itaque Pythagoras multis poſt annis regreſſus in patriam, in maxima doctrinae admiratione fuit, quam per aenigmata aegyptia traditam non ita deinde ſamii coluere. Rurſus ut omnibus Graeciae ſuperſtitionis myſteriis initiatus, ſuis eſſet venerationi, inviſit ex ordine ſacerdotes delios, delphicos, cretenſes, Epimenidem fatiloquum etiam, cui non erat valde diſsimilis Pythagoras vitae ratione. Spectandum ſe praebuit Graeciae in ludis Olympicis, rogatuſque quam artem profiteretur, abrogato

R ſuper-

r *Iamb. Porphy. ll.cc. alii.* ſ *Menag. loc. cit.* r *Iamb. Apull. ll. cc. Laert. Brucker.* u *Bib. Choiſ. T.* I. *pag.* 87. x *Hermippus apud. Laert.* y *Conſ. Fab. B. G. V.* I. *pag.* 450. z *Sebaſtian. a S. Paulo. Vid. Baſnage Hiſt. des Iuifs T.* II. *pag.* 592.

a *Iamb. Porphy.* b *Herod.* II. 172. *Diodor.* I. 2. *Clem. Alex. Strom. lib.*I. *Val. Max. lib.* VIII. *c.*7. *alii.* c *Val. Max. loc. cit.*

d *Menag. ad Laert.* e *T.I. a p.*1063. f *Vidend. Huetius D. Ev. P.* IV. *Interpretes Laertii.* g *Clem. Alex. Porph. Apuleius, & Philoſtratus Apol. Vit. c.*6. h *Cic. T. Q. lib.*IV. i *Burnet. Archaeol. Phil. pag.* 341. *Martinius Religion des Gaulois T. I. pag.* 184.

ſuperbo cognomine ſapientis, ſe non σοφὸν appellavit, ſed philoſophum. Hinc ſpectatus ſatis, domum redit, ſcholam in oppido aperit, celebratum deinceps illud Pythagorae *Hemicyclium*, quo de Rep. conſulturi ſamii congregarentur. *k* Minois vero, aliorumque veterum legislatorum exemplo *l* extra urbem antrum ſibi delegit, ubi cum amicis de rebus diſputaret philoſophicis bonam diei, noctiſque partem.

VI. *Pythagoras Crotone bonis iuxta, ac malis artibus auctoritatem parat.*

Inſuetus autem domi vivere ad Italiam navigat, cuius novi itineris cauſa alia *m* ab aliis affertur. quod quo ſit ſuſceptum tempore, id enim vero comprehendi non poteſt. ita ſunt omnia variis turbata computationibus. *n* Crotonem delatus, unam e civitatibus graecis, quae plurimae errant ad meridiem Italiae, quam magnam Graeciam ob eam rem vocabant, civitas, fama peregrinatoris philoſophi commota, in occurſum Pythagorae benevolentiamque effuſa eſt. *o* Auctoritatem homini philoſophiae exoticae laude nobiliſsimo conciones habitae Crotone ad omnes ordines, quos ad virtutem hortaretur, mirum in modum auxere. *p* Hominis porro forma ita venuſta, ut Apollo haberetur, in oculis & ore ſumma quaedam maieſtas, barba promiſſa mento praependebat. veſte candida, coronaque aurea utebatur: a lana omnino abſtinebat: caena ſine ſanguine & fumo: olera victus quotidianus: vinum ſaepe nullum. Nihil umquam in vita contra decorum dicitur *q* egiſſe. Quibus omnibus cum calumnias religionis adderet; cum ſe ab ſpecu egreſſum, ubi cum degeret, mortuus fuiſſet habitus, *r* ab inferis reducem mentiretur; cum aureum ſe femur geſtare praedicaret: cum mille fallendi artes, nomina mille didiciſſet, velut e coelo delapſus habitus eſt.

VII. *Pythagorae familia philoſophatrix. Mors in tumultu.*

Integram domi habuit familiam philoſophicam. Theano fidiſsima Pythagorae coniux, aliis creſſa, *ſ* aliis crotonenſis, *t* ita in philoſophicis verſata, ut, mortuo marito, ſcholam rexerit, *u* etiam libros plures ſcripſerit, peperit Pythagorae Telagem, Mneſarchum, & Arimneſtum filios; Saram, Myiam, Arignoten filias, quibus adiungitur Damo; incertum an mas, an foemina. *x* quae omnis domus philoſophata eſt. Servum praeterea Aſtracum alebat philoſophum. Zamolxim illi eripit Herodotus, *y* non aſſenſus fidei graecae. Cum tantam, tamque laborioſam operam navaſſet philoſophiae Pythagoras, in ſeditione quadam interfectus eſt, quam ſuo quiſque narrat arbitrio. Crotoniatae mortui aedes dicavere Cereri: per eius nomen ſoliti ſectatores iurare: ſtatua illi Romae poſita. Moriens ſecum ad inferos traxit complures diſcipulos in ſeditione una confectos. Utrum ſcripta reliquerit, in magna controverſia res iam diu verſatur. *z*

CAP. XVII. *PYTHAGOreorum philoſophia.*

Quo vero pacto diſcipulos ſuos, quos vita, non lingua volebat philoſophos, excoleret Pythagoras, breviter dicamus. In univerſum diſcipulos

k *Vid. Laert. Cic. T. Q. lib.* V. Iamblic. *Porph. alii.* l *Iamblic. l. c.* De antris diis ſacris *Vid. Porph. De Antro Nymph.* m *Iamb. Strabo lib.* XIV. n *Bruck. conſ. T. I. p.* 1011. o *Porph. l. c.* p *Iuſt.* XX. 4. *Iamblic.* q *Menag. ad Laert. Iamblic. Apuleius. in Apologia. Philoſt. Apol. Vit.* I. & VIII. r *Laert. l. c. Menag. in eum locum.* ſ *Clem. Alex. Strom. lib.* I. t *Suid. in Theano.* u *Theodoret. Therap.* III. x *Menag. Hiſt. Mul. Philoſoph. pag.* 500. & *ad Laert.* y *Lib.* V. z *Fab. Conſ. B. G. V. I. pag.* 453.

pulos ille vel internos & familiares, vel externos habebat, & plebeios. *a* nam alterum genus erat turba popularis, apud quam de virtute conciones habebat. alterum sibi legerat genus impensa cura discipulorum, sociorum, amicorum, quibus per gradus, ordinesque quosdam statutos arcana sua comitteret. Ac primum omnium quisquis societatem pythagoream peteret, in ingenium petitoris, in mores, in vitam inquirebat fastidiosius, quem saepe repudiabat. at quem se dignum duceret Pythagoras, in numerum suorum familiarium, quos appellabat *κοινοβίους*, voce christianis deinceps recepta, cooptabat. Horum vero familiarium duplex erat ratio. nam recens in coenobium receptos, vocabat *ἀκουστικοὺς*, exotericos, pythagoristas: qui nondum sacris pythagoreis initiati, duo illa verba loqui possent, *ipse dixit*. qui vero *res didicerant rerum omnium difficillimas, tacere, audireque, hi dicebantur eo tempore μαθηματικοὶ*, esoterici, *b* & pythagorei. quos omnes ad bonorum communionem adigebat.

PROP. I. *Discipuli Pythagorae exoterici, & esoterici.*

Hae porro exercitationes erant acusticis propriae. primum, ut moderate discerent, graviterque loqui, *ἐχεμυθίαν* imperabat: hoc est certum tempus tacere: *non omnes idem, sed aliud aliis tempus pro aestimato captu solertiae.* Deinde *c* novitii illi philosophi non audire coram, sed interposito velo *d* docentem Pythagoram solebant. ac ne audire quidem persaepe licebat, cum ab uno aliquo esotericorum loco Pythagorae erudirentur. Tum *neque percontari, si parum intellexerat, neque commentari, quae audierat, fas erat* novo candidato; *e* sed ad illud insulsum acroama opotebat confugere, *αὐτὸς ἔφα.* Hos iubebat, in mensa dubia & saliari pythagoreos oculos pascere, manum abstinere. eosdem & somno brevi, & veste corporis vili, & durissimis aerumnis, & contemptu diu macerabat. At qui saltem biennio tacuissent, hi omnes genuini convictores, *f* & mathematici, & familiares, fortasse etiam *viri* appellati *g*, coram & videbant, & audiebant Pythagoram; quibus verba facere potestas erat. ex quibus alii dicebantur *physici*, qui de natura disserebant. alii *τελέιοι θεωρητικοὶ*, & *σεβαστικοὶ*, contemplatores perfecti, ac religiosi, qui in diviniore philosophia versabantur; alii nomothetici, qui leges civitatibus ferebant; alii oeconomici & politici, qui curatores erant bonorum communium. Faeminas quoque pythagoreas, quae *μαθήτριαι* dicerentur, memorant veteres. *h*

II. *Acusticorum silentium, praeiudicata opinio, & vitae severitas. Mathematicorum studia, & ius sententiae dicendae.*

Ad doctrinam veniamus. Pythagoras de moribus aperte praecepisse dicitur. *i* de natura vero dogmata sua ne acusticis quidem, quos alia docebat *μαθήματα*, nedum alienis aperiebat, apud quos aegyptio more aenigmatis, symbolis, signis omnia obvolvebat. quae symbola non initiatis *ridicula, anilia, nugisque & gerris plena* viderentur; initiatis vero pythagoreis, quibus significatio sensusque patebat, *k* profundam philosophiam exhibebant. Non licet autem arcana Pyrhagorae dogmata distincte vulgare. nam quae reliqua sunt illius societatis commentaria, vel-

III. *Methodus symbolica a pythagoreis adhibita in doctrina, cuius dubiae reliquiae manent.*

uti

a *Iamblic. Iustin. Porph.* b *Gel. I. 9. Iamblic. Orig. Philos. c. 2.* c *Gellius loc. cit.* d *Iamblic.* e *Gell. l. c.* f *Clem. Alex. Strom. V. Citati.* g *Iamblic. XXXVI.* h *Menag. Hist. M. Phil. n. 76. Citati.* i *Iamblic. Porph.* k *Iamblic. cap. 22.*

uti Penthei membra, ab Henrico Stephano, *l* a Thoma Galaeo, *m* a Iacobo Spondano, *n* a Petro Victorio, qui versuram omnes fecerunt ab Stobaeo, *o* in unum veluti corpus efficta, non valde videri solent genuina, sed omnino, aut maiore ex parte supposita a novis post C. N. pythagoreis. *p*

IV. *Successio ducentos annos pythagorei collegii manet, e quo collegae uno de nomine noti.*

Itaque heic relicta doctrina, quam alio loco indicabimus, ad Pythagorae successores, discipulosque veniamus. Collegium pythagoricum in varia fortuna ducentos annos tenuit. *q* quod invidia societatis & veluti coniurationis philosophicae, simul disciplinae arcanae ratio, fama etiam & gloria socraticae sapientiae delevere. Mortuo Pythagora, curam collegii, familiaeque pythagoreae suscepit Aristaeus crotoniata, omnium sociorum facile in ea disciplina princeps. *r* Ab Aristaeo proximus collegio praefuit an Mnesarchus, an Telauges, uterque Pythagorae filius. *s* His successit Bulagoras, Bulagorae Tydas, sive ut alii vocant, Gortydas crotoniata, *t* moerore ob patriam direptam oppressus. Gortydae Aresas lucanus, qui in collegium prope exinanitum recepit Diodorum Aspendium. Diodoro Archytas Tarentinus. quo tempore dispersi multis in locis pythagorei societatem dissolvisse videntur, maxime cum arcana doctrinae Platoni Archytas tradiderit. Iam ex Stobaeo habemus reliquias laceras commentariorum pythagoreorum sodalium Hipparchi, Critonis, Euriphami, Hippodami, Metopi, Theagis, Callicratidae, Charondae, Diotogenis, quibus ex Cicerone erit, qui Aeschylum saepe pythagorizantem adiiciat. *u* quos veluti capite censos recitasse satis existimo.

V. *Ecphantus & Hippon Rheginus pythagorei.*

At nobilis est habitus Ecphantus, qui Theodoreto videtur dici Diaphantus. *x* fuit ille quidem Empedocli gemellus in doctrina, cuius ob eam rem vel magister, vel discipulus fuisse videtur. Alius a Pythagora philosophus Hippon, qui vulgo *Rheginus*, Censorino *Pythagoreus*, Iamblico *Samius*, unus & idem dicitur. *y* Aristoteles hominem, quem inter ionicos numerat, *z* minimi facit. Multis visus cum Diagora Melio sentire, & atheus est appellatus. *a* quo illum crimine absolvit Clemens Alexandrinus, *b* testatus & honeste Hipponem vixisse, & idcirco habitum impium fuisse, quod superstitionem & deos non probaret ethnicos.

VI. *Empedocles genere & philosophia nobilis pythagoreus.*

Micat autem inter omnes pythagoreos Empedocles, velut inter ignes luna minores, agrigentinus nobilissimus, natus patre Metone, *c* discipulus non illius quidem Pythagorae, qui nimio antiquior fuit, sed vel Pythagorae Aliptae, vel certe unius alicuius pythagoreorum. *d* non enim liquet satis de eius praeceptore. Neque status in civitate certior Empedoclis, quem alienissimum ab honorum, & imperii ambitione facit Ari-

l Ad calcem *Laertii.* *m* Cantabrigiae 1671.

n *Spondanus* fecit latina. *Petrus Victorius* commentariis illustravit, & adiecit Politicis *Aristotelis Basileae* 1589. o *Stobaeus* ea fragmenta servavit & moralia, & politica.

p *Vid. Fabric.* qui pro illis pugnat reliquis *B.G. l.* II. *c.* 13. *V.*I. *p.*513.

*q Laert.*VIII. *s.*46. r *Iamb. Porphy. Fabric. B.G. V.I. p.*486. s *Anonymus apud Phot.* t *Kusterus ad Iamblic.* u *T.Q.*II. x *De Cur.Gr. Affect. s.*4. y *Fab.B.G. V.*I. *p.*777. z *Met.* I.3. a *Eusthathius Od.*V. *Aelian.* II. *Arnob.* IV. b *Adhor.ad Gent.* c *Laert.*VIII. *s.*51. Historia omnis incerta. d *Conf. Menag. ad Laert.*

Ariſtoteles, *e* & iuris aequi in rep. auctorem; alii mortuo Metone faciunt regem. Iam de virtute Empedoclis mira omnia narrant antiqui. quot, quamque magna miracula? quibus hunc colorem quaeſierim. *f* Empedoclem ſive magum, multa moviſſe tartarea vi; *g* ſive medicum, *h* naſcente arte ſalutari, admirationi fuiſſe; ſive phyſicum abdita naturae detexiſſe, crediderim. Certe & *De Natura* verſu hexametro, & *De Luſtrationibus*, & fortaſſe τὰ ἔπη χρύσεα *Aurea Carmina* ſcripſit. *i* Nihilo habet minus mors fabularum, quam vita. evanuit coeleſti lumine e convivio vocatus: logi. in ignem Aetnae, dum deus vult haberi, ſe dat: fabulae. e curru lapſus, fracta coxa, perit; gerrae germanae. periiſſe utcumque ditur anno LX. vel LXXVII. vel etiam ſenior.

VII. *Epicharmus acutus pythagoreus, & comicus vafer. Ocellus Lucanus auctor libri de Universo. Timaeus Locrus.*

Vafer ille Epicharmus, Ciceroni *k* ſiculus, Laertio cous, *l* aliis ſamius, aliis megarenſis civis fuit. *m* Hic fit pythagoreus interioris utique admiſsionis. Egregius eſt habitus comicus, qui ſaepe, dolentibus pythagoreis, arcana dogmata in theatro vulgaret; *n* nec minore in laude philopſophus, *o* cuius libri, auctore *p* Tiraquello, in bibliotheca ſervantur vaticana inediti. Epicharmi binas ſententias nobis prodidit Cicero: *q nervos atque artus eſſe ſapientiae, non temere credere*. rurſus *r*

Emori nolo, ſed me eſſe mortuum nihili aeſtimo.

De alio pythagoreo, Ocello Lucano, haec ſcripta ſunt in iis litteris, *ſ* quas miſit ad Platonem Archytas Tarentinus, Archytam accepiſſe a nepotibus Ocelli eum librum, qui nobis eſt reliquus, quem ille *De Univerſi Generatione* inſcripſerat, qui olim dorice, nunc attice loquitur, qui tam ſimilis, ac prope par eſt libro Ariſtotelis *De Generatione, & Corruptione*, ut Ariſtoteli Ocellum excriptum fuiſſe, dixerit Syrianus. *t* Timaeus Locrus, qui titulum, & argumentum, & orationem dedit illi *De Rerum Univerſitate* u Platonis dialogo, nobiliſsimus eſt habitus pythagoreus, *x* ad quem audiendum acceſsit Plato. *y* & fuit ille dignus a Platone audiri, ut qui eſſet naturae conſultiſsimus. *z* In civitate Locrorum, cui praefuit, dicitur a Syneſio conſenuiſſe. Proclus nobis ſervavit Timaei libellum *De Anima Mundi*, *a* quem ſaepe Plato excriptum prope totidem verbis illuſtrat, ſaepe contra, cum a Timaei ſimplicitate, narrandis Aegypti fabulis, recedit, obſcurat. Conſulendus Sebaſtianus Foxius *b* in Platonis Timaeum, qui res Timaei Locri perſequitur.

VIII. *Archytas Tarentinus octavus a Pythagora ſcholae*

Archytas ille Tarentinus, cui nec quicquam profuit, *c* lugente romanae fidicine lyrae,

Aereas tentaſſe domos, animoque rotundum
Percurriſſe polum morituro.

eximius fuit, & italicus philoſophus, & mathematicus, & civis. Patriam Tarentum, patrem habuit an Mneſagoram, an Heſtiaeum. *d* Pytha-

e *Loc.c.* f *Citati.* g *Plut.de Pla.* IV.16. h *Cleric.Hiſt.Med.P.I.l.II.5.* i *Fab.B.G.V.I.p.*466. k *T.Q.l.I.* & I.*Ep.ad Att.* l L.VIII. 78. m *Suid. in Epicharm.* n *Fab.V.I. p.*645. *conſ.* o *Laert.l.c.* p *De Nobilitate c.* 31. q *Ep.I.ad Attic.De Pet.conſ.* r *T.Q.I.* ſ *Apud Laer.*VIII.*ſ.*80. t *In Metaph. Ariſt.* u Sic convertit Cic. x *Proc. in Timaeum* III. y *Cic.de Fin.* V. *B. Hieronv. Cont.Ruf.* z *Plato in Timaeo. Chalcid. in Timaeum.* a *Fab.V.*III. *p.* 21. b *Baſileae p.*3. c *Hor.*I.*Ode* 28. d *Suid.in Archytas. Laert.*VIII.*ſ.*79.

thagoram non ille audierit, quantumvis negligens veritatis Iamblichus id iuret e iureiurando pythagorico: f

italicae moderator.

Per qui nostrae animae numerum dedit esse quaternum.

cum enim fuerit octavus collegii pythagorei moderator, g non potuit non fuisse multo iunior Pythagora. Ipse quidem docuit Philolaum, Eudoxum, Platonem. h Empedoclem non videtur docuisse seniorem. i Primus comprehensiones mechanicae ordine cum digessisset, k eas effecit machinas, columbam volantem, crepitaculum, sive πλαταγὴν, proverbio celebratum. cochleas dicitur, trochleasque invenisse. Civis omni virtute conspicuus, septimum patriae praefectus, imperator invictus fuit. l Platonem domi hospitem excepit. in naufragio periit. Illi in acceptis referimus librum *De Universi Natura*, m in quo decem rerum classes, sive categorias ante Aristotelem descripsit. ut non iniuria litem Aristoteli moveat de possessione *Categoriarum* Ludovicus Vives. n

IX.

Alcmaeon medicus anatomiae repertor, Hippasus, Philolaus, pythagorei.

Auditor ipsius Pythagorae Alcmaeon, o Perithi crotoniatae filius, magnam ab arte medica famam sibi comparavit. quippe qui repertor exsectionis si non in corpore humano, in belluis certe habeatur. Isidoro etiam Hispalensi p fabularum dicitur inventor. De Hippaso haec paucula accepimus, fuisse patria crotoniatam, q philosophia pythagoricum, Pythagorae calumniatorem in eo libro, quem *Mysticum sermonem* inscripsit, scholam scholae pythagoreae opposuisse, arithmeticae doctrinae lucem attulisse, r in mari ut impium periisse, si fides Iamblicho detur, f eo quod arcana pythagorea vulgasset. Multo vero magis mysteria pythagoreorum nudavit Philolaus Archytae discipulus, Crotone natus. t inopia Philolaum, vel Philolai viduam coëgit, ut libros pythagoreos venderet Platoni carissime, u qui utrum Philolai essent scriptoris, an domini, non liquet satis. Ipse quidem multis voluminibus obscure de natura dissertavit. x

X.

Eudoxus pythagoreus insignis astrologus.

Eudoxus superest pythagoraeus, patria y cnidius, Archytae discipulus. Doctrinae causa in Aegyptum non una cum Platone, quod habet Strabo, z peregrinatus, cum ibi annum, & eo amplius esset moratus, octo annorum cyclum descripsit. ff Platoni se dedit erudiendum Athenis. Multis in locis astrologiam, geometriam, alias artes graviores publice docuit, quarum reliquit heredem Aristagoram filium eruditissimum. Multa in astrologia invenit, quae litteris mandata hodie non manent. Aratus Eudoxum in phaenomenis secutus carmine scripsit, quae ille soluto, & obscurissimo sermone ediderat.

Atque hi omnes sunt habiti pythagorei, qui nunc sequuntur, a pytha-

e *C.* 23. f *Macrob. Som. l.*I. 6. g *Conf. Menag.* h *Int. Laert.* i *Suid. id affirmat.* k *Laert. Vitruv.* IX. *Gell.* IX. 12. l *Menag. ad Laer.* m *Fab. B.G.V.I.*822. n *De Cauf. Cor. Art.* III. o *Arist. Metaph.* I. 5. *Laert.* VIII. *f.*83. *Chalcidius p.* 363. *Cleric. Hist. Medic.* p *Orig.* I. 39. q *Laer.* VIII. *Iamb. Int. in Nicomach.* r *Theon. Smyrnaeus. De Music. c.*12. f *De Vit. Phy.* XVIII. t *Plut. de Genio Socr. itidem. Cic. de Orat.* III. *Iamb.* XXXVI. u *Menag. Gell.* III. 17. x *Claudi. Mamertus De Statu animae c.*2. y *Laert.* VIII, *ibique Menag.* cum choro veterum, quem more ducit suo. z *L.* XVII. ff *Conf. Petav. de Doc. Temp. lib.* II. *cap.* 4.

CAP. XVIII. *ONTOLOGIA eleaticorum.*

thagoreis instituti, cum sententiam, tum vero nomen penitus mutavere. Fuit in Italia, sive in magna Graecia, praeter pythagoreos, nobilis schola quaedam, quam vocarunt *Eleaticam.* cuius conditor Xenophanes, alumni clariores Parmenides, Melissus, & Zeno Eleates. quos ideo dicemus *metaphysicos*, quod de natura parum, de *Uno* contra, de *Ente*, de Deo aut nimis, aut certe multum disputaverint. His vero qui successere, Leucippus, Democritus, Protagoras, Diagoras, & Anaxarchus, cum diligentius de rebus physicis tractarint, a nobis *physici eleatici* nominabuntur. Et illi quidem omnes ab Elea, sive Velia, in quod oppidum phocaeenses coloniam deduxere, *a* dicti *eleatici* propterea sunt, quod Parmenides, Zeno, & Leucippus patria essent eleatae.

PROP. I. *Duplex Eleaticorum classis.*

II. *Xenophanes colophonius eleaticorum conditor.*

Xenophanes patria colophonius, patre Dexio natus *b* Olymp. LVI. a nonnullis Botonem atheniensem, nescio quem, ab aliis Archelaum ionicum, ab aliis nullum audisse omnino magistrum dicitur, sed fuisse αὐτοδίδακτος. *c* Telaugae, filio Pythagorae, cum dicatur in Italia in tradenda philosophia successisse Xenophanes, non temere quis suspiceretur, hunc illius fuisse discipulum: maxime cum pythagorei *d* saepe numero sint nominati a Xenophane philosophi. Patria pulsus, fortasse & Italia, in illa pythagoreorum adversa fortuna, se ad Siciliam contulit. heic & in aula Hieronis remedium ad tolerandam paupertatem quaesivit, & canendis publice carminibus, quod erat eo tempore non inhoneste a multis factitari solitum, inopiae subvenit. Eleganti vir eruditione & carmina, & patriae historiam, & *De Natura* librum edidit doctrinae novae & inauditae, *e* qua Thaletis, & Pythagorae dogmata oppugnavit. Hostis iuratus Homeri, & Hesiodi fuisse, ex Timone sillographo videtur, quod absurdas eorum de diis non ferret opiniones. *f* Epimenidi quoque expiatori non pepercit Xenophanes, qui obiit centenarius, aut etiam natu maior. De vi divina quid senserit, alio dicetur loco.

III. *Parmenides e politico philosophus pythagoreus.*

Parmenides alius est heros scholae eleaticae, ipse eleates, Pyretis filius, domi nobilis, qui tanta esset apud suos cives auctoritate, ut iureiurando quotannis eas illi leges sciscerent, quas Parmenides patriae tulisset. A repub. sese removit, ut pythagoreos Ameiniam, & Diochetam sequeretur, *g* qua de re habitus est pythagoreus. *h* Audiit Anaximandrum, deinde Xenophanem. *i* In illo *Parmenide*, Platonis dialogo, cum Socrate loquitur Parmenides, quocum per aetatem colloqui non licuit. *k* notus enim est mos dialogorum. Nobiles habuit discipulos Empedoclem, Hermogenem, a quo Plato doctus est parmenideam philosophiam, *l* Zenonem utique. Parmenidis philosophiam poëticam collegit Henricus Stephanus, quae de *Uno* monstra loquitur.

IV. *Metaphysicator Melissus*

Melissus tertius est ex eleatica disciplina metaphysicator, si ita loqui licet. In insula Samo natus, Ithagine patre vir fuit imperatoria laude conspicuus, qui navali praelio athenienses vicerit. *m* In philosophiae

a *Menag.ad Laert.IX.* ʃ.28. b *Clem. Alex.Strom.l.I. Laert.* VIII. ʃ.18. *Euseb. in Chron.ibiq.Scalig.* c *Menag.l.c.* d *Strab. VI.* e *Fab.B.G.V.I.p.*557.

f *Menag.l.c.* g *Laert.IX.* h *Iamblic. Vit.Pyth.XIX.*& *Porph.de Antr.Nymph.* i *Laert.l.c.* k *Athenaeus XI.* l *Laer. VIII.*55. & *III.*6. m *Men.ad Lae.IX.*

consentit Parmenidi de uno

phiae studiis Heraclito, & Parmenidi maxime operam dedit, ut tradit Laertius. *De Ente*, & *Natura* ex sententia Parmenidis librum vulgavit: qui quamvis hodie sit nullus, *n* tamen atheismi reum auctorem apud Buddeum facit; *o* nec mirum: est enim in eadem navi Melissus, in qua fluctuat Parmenides.

V. *Zeno Eleates Parmenidis discipulus.*

Eleaticorum quartus fuit Zeno, patria eleates, cui in re metaphysica palmam decerno lemniscatam. Illi natura patrem dedit Teleutagoram, amor fortasse nimius Parmenidem, a quo est adoptatus *p* in filium discipulus. De Zenone facinus maioris abollae alius aliter narrat, *q* coniurasse contra tyrannum agrigentinum, &, ut is obrutus periret lapidibus, effecisse. Multa hominis periere scripta. at recitata aliis manent dogmata. *r* Illud Zenonis inventum nobilissimum iactari solet, *Dialectica*, *s* qua rudi & informata essent sine dubio usi & priores alii philosophi, & maxime metaphysicatores eleatici. itaque Zeno dicitur reperisse, ut sit, quod expolivit artificium ratiocinii, dialogi, & altercationis eristicae; a quo megarici valentes dialectici videntur armati ad eristicam fuisse. *t* Hoc addidero, decreta scholae eleaticorum dubia, & incerta cum sint, si tu postules, *u*

Ratione certa facere, nihilo plus agas,
Quam si des operam, ut cum ratione insanias.

CAP. XIX. *PHYSIOLOGIA Eleaticorum.*

At cum iam schola eleatica eo acuminis, ac subtilitatis venisset, ut nihil sensibus consentaneum probaret, omnia formulis quibusdam metaphysicis metiretur; exortus est Leucippus, qui invidiam, dum in alia omnia manibus pedibusque iret, ab schola depelleret. Omnino nihil summum perpetuum. ut iam ego cogitatione praecipiam, brevi admodum fore, ut, quod scholae eleaticae antiquitus, quod academiae pariensi non ita pridem contigit, ut a rebus & tenebris metaphysicis ad phaenomena, lucemque naturae sese transtulerint; hoc ipsum hispanicis accidat gymnasiis.

PROP. I. *Leucippus Zenonis auditor physicen eleaticam reperit.*

Ergo Leucippus *a* an eleates, an abderites, an melius, discipulus Melissi, & Zenonis utique, multa cum scripsisset, novam condidit sectam eleaticorum physicorum. Nam apud Leucippum nihil non atomorum turba conficit. qui valere iussis numeris, ideis, harmoniis, qualitatibus, formis, aliisque philosophorum vocibus, (quae hodie a multis vocantur (iure, an iniuria, heic non disputo) ignorantiae asyla) se totum ad corpuscula convertit, quae simplicem haberent philosophandi rationem.

II. *Democriti nobile genus & opulenta domus, & erudita peregrinatio.*

Leucippo equis albis in stadio philosophico praecessit Democritus, non Mileti, sed Abderae in Thracia natus patre Hegesistrato, *b* nihilo minus nobili, quam opulento, & copioso. Democritus eodem vixit tempore, quo Anaxagoras, Archelaus, Socrates, Parmenides, ac Zeno eleates: tempore belli peloponnesiaci ad ann. V. C. si Plinio credimus, *c* CCCXXIII. si Eusebio *d* ad Olymp. LXX. Valerius Maximus auctor est

n *Fab.B.G.V.I.p.718.* o *Thes. De Atheis.cap.1.* p *Laer. IX. 25. Suid.* q *Laer.IX.Tertull.in Apologetico.Amm. Marcellin. XIV. Val.Max.* r *Arist. De Xenoph. Zenone.cet.c.3.* s *Gassend.* ex auct. veterum- *De Orig.Logicae. Walchius Hist.Logic. I.2.* t *Cic.A.Q.l.IV.* u *Moshemius ad Cudw.c.4.* a *Laert. IX.* b *Laert. VIII. Mela lib.II. c.2.* c *L.XXX. 1.* d *In Chronic. Menag.*

est; tantas fuisse divitias *e* Democriti parenti, ut *Xerxis exercitui epulum dare facile potuerit*. est qui Valerio facile non credat, velitque mendacium ex eo natum, quod abderitae convivio redeuntem Xerxem e Graecia exceperint. *g* Inflammatus amore sapientiae, cuius primam veluti institutionem acceperat Democritus ab iis magis, qui comites Xerxis in Thraciam venerant; *n* amplissimo viatico instructus, facile aegyptios primo sacerdotes, deinde aethiopes gymnosophistas, post magos babylonios, postremo adiit indos philosophos. Non constat satis, Anaxagoram magistrum fuisse Democriti, a Democrito Athenis visum fuisse Socratem. hoc verosimilius, sive Arimnestum, sive Philolaum Democriti magistrum fuisse, Leucippum quidem certe.

III. *Reditus Democriti, praedictiones, caecitas.*

Redeuntem Democritum pecuniae inanem, sapientiae divitem domi benigne excepit Damasis frater. heic populo recitavit optimum librorum suorum *Diacosmum Magnum*, cuius praelectione magnam certe aliquam pecuniae summam corrogavit. Praedictiones valde abderitis Democritum commendavere, non tam quod ille vates, quam quod ipsi essent abderitae ingenio crassi, & stupidi. Democritus abdebat se monumentis, ubi seclusus dies noctesque scriberet. quo tempore dicitur oculis se privasse, ut quam minime animus a cogitationibus abduceretur. credo, qui lucem publicam fugeret, & loca quaereret sola Democritus, se oculis dictus est privasse. *p*

IV. *Risus Democriti, chemia, furor, magia, mors.*

De risu autem assiduo, sine quo nunquam in publico visus fuisset Democritus, vereor, ne non satis risum tenere critici queant, *r* qui facile dabunt, populares saepe a Democrito, homine petulanti splene cachinno, irrisos fuisse. *s* Borrichius *t* facit Democritum insignem chemicum. quasi hoc restaret unum, ut irrisor Democritus esset omnino deridiculus. Nimis ornata narratio in epistolis, quibus abderitae vocant Hippocratem, qui medicinam faciat furioso Democrito, pro fabula habetur a multis. Ad haec inter magos non sine colore veri numeratus est a Plinio Democritus. *z* at a multis tamen non modo doctrina Democriti, quae infinita scripta peperit, *a* quorum nullum habemus non suspectum, & accusatum τῆς νοθείας; sed etiam vita, laudatur. Morti proximus, ne luctu non posset eius soror vel Cerealia, vel Tesmophoria obire, vitam dies aliquot admovendis naribus pane calido protraxit. Leucippi physiologiam retractavit Democritus limae amicissimus, qui senex recognovit scripta sua.

V. *Protagoras sophista Democriti asseclа.*

Protagoras nobilior sophista, quam philosophus, sed philosophus tamen, *d* patria abderites, non teius, patre Meandrio natus, discipulus unus omnium, quos Democritus habuit plurimos, fuit nobilissimus. *f* Quem Democritus cum vidisset baiulum cum genere oneris quodam facile atque expedite incedentem; ex positura ligni scite facta miratus animi aciem, solertiamque hominis non docti; abduxit statim, secumque habuit, & sumptum ministravit, & philosophias docuit. Fuit autem postea insincerus philosophus, & acerrimus sophistarum. qui *cum* g *in principio libri sic posuisset* : De diis neque ut sint, neque ut non sint, habeo dicere: *athenienfium iussu urbe atque agro est exterminatus, librique eius*

g *Herod.* VIII. n *Laert.l.c.* p *Fab. B.G.V.I.* r *Bruck.T.I.p.*1181. s *Aelia.Var.H.*IV.20. t *Fab.l.c. Men. ad Laert.* z XXVI 17. a *Fab.B.G. V.I.* d Negat *Cudwort.Syst.Int.cap.*1. f *Gell.* IV. 3. g *Loc. cit.*

eius in concione combusti. Primus pacta grandi mercede, minis centum, *h* *pollicebatur*, i *se id docere*, k *quanam verborum industria causa infirmior fieret fortior. quam rem graece ita dicebat*, τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιεῖν.

VI.
Diagoras Melius democriticus impius.

Schola & atomus Democriti peperit alium discipulum, Diagoram Melium, in insula Melo natum, cuius egregiam indolem ille miratus, eum captum redemit, *l* docuitque philosophari. Diagoras cum vidisset, eum, qui sibi non surripuisse pëana peierasset, non modo sine praesenti Numinis vindicta, sed etiam cum magna laudis accessione illum deinde evulgasse; illico furiis actus nullam vim esse deorum conclusit. Sacra omnia ludibrio habuit, eos, qui vellent initiari, a proposito abduxit, *n* Herculis statuam, ne rapis coquendis ligna deessent, dissecuit: publicis denique scriptis impium se professus, ob eam causam Athenis proscriptus vertit solum, Corinthique vivere desiit. *o*

VII.
Anaxarchus democriticus Alexandri parasitus.

Ad extremum Anaxarchus abderites non ignobilis in schola fuit democritica, discipulus Diomenis Smyrnaei. *q* Comes Alexandri, regiae mensae parasitus, magno in pretio habitus a rege fuit. De Anaxarcho democritico, quod habent Cicero, & Philo Iudaeus, quodque eruditissimi scholasticorum omnium Conimbricensis recitant, *u* qui eruditas id temporis habebant scholas; non admodum cadere in philosophum eudaemonicum, & parasitum videtur; eum, cum in manus Cyprii Nicocreontis regis incidisset; nullum genus supplicii deprecatum, cum in mortarium saxeum coniectus ferreis malleis contunderetur, saepe dixisse, *tunde Anaxarchi follem, Anaxarchum enim non tundis.*

CAP. XX.
EPICUREA *philosophia.*

PROP. I.
Studia partium in narrandis rebus Epicuri.

Atque hi democritici obscuri sunt admodum, si cum Epicuro, eorum hominum herede insaniae, conferantur. Lucretio enim, aliisque multis de grege *a* eodem *deus ille fuit*, deus Epicurus. Hic unus est philosophus, de quo cum multa, & olim, & restitutis in Europa litteris sint scripta; *b* nihil tamen sine studio partium scriptum mihi videatur. Altera pars Epicurum laudibus in astra tollit, in qua fuere antiquitus illi beati delicatique homines; post restitutas graecas litteras hi, qui vellent eruditi, & critici haberi. Altera vero pars, in qua numeres gravissimos quosque, sanctissimosque viros, Epicurum manes ducunt ad imos, voluptatis servum, & omnium hostem religionum, atque virtutum. Est modus etiam in rebus Epicuri narrandis.

II.
Genus, institutio puerilis, & studium philosophiae Epicuri.

Epicurus anno III. Olymp. CIX. natus est atheniensis civis. Parentes habuit nobiles Neoclem, & Chaerestratam, tenui fortuna. Puer una cum parente, misso in samum colono, eo traductus, partim Sami, partim Tei posuit prima litterarum rudimenta. Sami coepit ideo philosophari, quod, quid chaos esset in Hesiodo, gramatici nescivissent a se rogati. itaque ad annum XIV. audiit Pamphilum platonicum, Nausiphanem Pyrrhonis auditorem. Regressus Athenas anno aetatis XVIII. iam initiatus philosophus, audiit, credo, vel Xenocratem academiae, vel Theophrastum Lycei antistitem, vel utrumque. Quod si Epicurus se αὐτοδίδακτον diceret, valde quoque Pamphilum, Nausiphanemque, magistros suos, solitus esset contemnere; id, credo, faciebat, quod non indicaret, quic-

h *Menag. l.c.* i *Quinct.* III. 1. k *Gel. l.c.* l *Suid. in Diag.* n *Suid.* o *Suid.* *alii.* q *Laert.* IX. 58. u *In Lib. II. De Anim. c. 1. Q.* VI. a *L.* V. b *Gass.*

quicquam debere se facere doctorum suorum causa. Certe mortuorum scripta Anaxagorae, Archelai, Democriti, & Metrodori Chii cum evolvisset, visus est iis omnem surripuisse philosophiam.

III. *Epicurus scholas in hortis instituit habere magna studii contentione.*

Alienis exuviis indutus, cum annum ageret XXXII. scholam aperuit magister industrius: qui cum omnes artes admoveret, nec verborum parceret lenocinio; greges discipulorum, quos plures in hospitio domi haberet, ad se vocavit. Tota schola iuventuti gratissima. doctor humanissimus. exedrae in hortis urbanis, minis LXXX. emptis. hortulis inscriptum, *Hospes heic bene manebis, heic summum bonum voluptas est.* Epicurus tamen docendi, scribendique patientia & industria Chrysippum superavit, cum CCC. haberet sine syllaba aliena a se confecta volumina. oratione nativa usus est sine ullo ornatu, quod genus familiare iis, qui multa malunt, quam multum scribere. In epistolis pro salute χαίρειν, instituit εὐπράττειν, καὶ σπουδαίως ζῆν. Vix quicquam reliquum est e tot scriptis, si κυρίας δόξας, & epistolas paucas, & fragmenta exipias.

IV. *Summa epicureorum erga magistrum observantia.*

Epicurus est a suis ad immortalitatem & memoriae, & religionis consecratus. ei dies festos agere, notissimas *Icadas*: eius imaginem in annulis circumferre: scripta memoriter discere, maxime ratas sententias: scholam summa consensione fovere: quae quisquam eius contubernii locutus esset, omnia unius ductu, & auspiciis dicta videri: dogmata Epicuri, ut leges Lycurgi habere: ab eo dissentire, vel quippiam innovare, flagitium ducere. Quae si vere prodita sunt a Cicerone, Seneca, Athenaeo, aliisque multis; non miror, tamdiu scholam constitisse Epicuri.

V. *Epicuri contubernales.*

Familiares, quos Epicurus plures una in domo consentientes tenuit, videamus. Metrodorus an lampsacenus, an atheniensis, alter pene Epicurus, editis libris in sophistas, in dialecticos, in Democritum nobilis, fortior verbis, quam factis erat: *m* qui omne bonum ventre metiretur. Metrodorus vidit hortorum desertorem Timocratem fatrem suum, qui cum fratre, contubernium Epicuri calumniatus, ex scripto multa certavit. Addo contubernales Epicuri Polyaenum, Leonteum, Colotem a Plutarcho oppugnatum: faeminas Leontium, Themistam, & Philaenida.

VI. *Perdita ac proiecta epicureorum non sine culpa Epicuri licentia*

Atque epicurei ab Epicuro fortasse non impulsi *luxuriabantur*, *o sed vitiis dediti ... eo concurrebant*, *ubi audiebant laudari voluptatem.* In quo nullane Epicuri culpa? nulla, inquiunt: *sobria*, *&* *sicca* erat voluptas Epicuri. Quam vero sicca, & sobria? qui cum os perfricuisset, scribebat, *nec equidem habeo*, p *quod intelligam bonum illud*, *detrahens eas voluptates*, *quae sapore*, *quae auditu*, *&* *cantibus percipiuntur*: *eas etiam*, *quae ex formis percipiuntur oculis suaves motiones*, *sive quae aliae voluptates in toto homine gignuntur.* Haec Cicero ex eo libro, qui continet omnem disciplinam Epicuri, functus interpretis munere excribebat.

CAP. XXI. *HERACLITEA philosophia.*

Nos ad Heraclitum, relicto Epicuro, transimus, qui non dico philosophos, sed ne deditos quidem cives voluptati ferebat. Multa de Heraclito scripta commentaria nihilo magis effecere, *a* ne in eius scriptis, quae frustratim lacerata manent, opus sit delio natatore. Heraclitus Ephesi Blysone natus, adolescens ingeniosus, cum habuisset magistros Xenophanem, & Hippasum, in disciplinae suae formulam eorum decre-

ta

m *Cic.T.Q.V.* o *Senec.De Vit.Beata.* 12. p *T.Q.*III. a *Men.ad Laert.*IX.

PROP. I. *Patria, domus, studia Heracliti.*

ta transtulit. auctor est etiam Proclus, in Atlanticum montem iter suscepisse Heraclitum. *d* Hic reversus in patriam ab his erroribus suis eruditis, aegerrime passus, ephesios igni & aqua interdixisse Hermodoro suo, viro iuris legumque consultissimo, ipsorum uti noluit beneficio, cum regnum, summum scilicet magistratum, sibi deferrent. *f*

II. *Heracliti vita solitaria, inhumanitas, mors.*

Idem & Darium invitantem, ad se ut veniret, & athenienses sui despexit studiosos. Morbum in solitudine cum contraxisset, redditus Ephesum medicinae causa, periit. vixit ann. LX. in foro sepultus est. Ad Olyp. LXIX. florebat. Fletum assiduum, quoties in publicum prodiret, Heracliti, ab antiquis bene multis memoriae proditum, *g* ridet Lucianus, cui ludibrium omnes debuere philosophi, ridet etiam Iuvenalis. *i* In eius vero libris, *De Natura*, *De Universo*, *De Republica*, *De Theologia* tanta erat obscuritas, ut σκοτεινὸς, tenebrosus sit a veteribus nuncupatus. libros neque grammaticis, neque philosophis satis intellectos, Euripides ab adytis Dianae extractos memoriter enarrabat. Quos vero non tulisset vivus Heraclitus, hostis hominum, discipulos, eos habuit mortuus *heraclitistas*, posteaquam in manus hominum eius scripta pervenere.

CAP. XXII. PHILOSOPHIA pyrrhonia.

PROP. I. *Ex amore odium philosophiae per Pyrrhonem inductum Graeciae.*

Atque has vidit in magna ingeniorum, quibus abundavit, copia philosophorum sectas, & scholas dogmaticas, sive sectarias Graecia. quas mox Pyrrhonis exemplo, qui nullius in verba magistri non modo iurabat, sed ne magistrum quidem ullum, neque scientiae quicquam esse posse, sentiebat; magnam partem mature plena dogmatum, decretorum reliquit.

Quid placet, aut odio est, quod non mutabile credas?

Ergo, ut dicere institui, Pyrrho Eleus patrem infimae plebis Plistarchum habuit. is ab arte pictoria ad philosophiam transfuga, *b* primum in scripta incidit Democriti; deinde Drysonem Clinomachi discipulum, Stilponis filium, ex illa acerrima dialecticorum megaricorum disciplina audisse dicitur. post adhaesisse Anaxarcho Metrodori Chii discipulo, postremo comes Alexandri brachmanas, & gymnosophistas adiisse. *c*

II. *Nomen multiplex & ratio sectae pyrrhonicae.*

Reversus in Graeciam ante conditam Academiam novam, aggressus est, docere, eos, qui vellent sapere, nihil scire oportere. quam ad ἀταραξίαν, statum animi quietum, philosophiam referebat Pyrrho, cui dogmatici fabulas affinxere complures. *d* Secta pyrrhonia raro, saepe sceptica, nonnumquam ephectica, zetetica, aporetica est appellata. *f* Iam vis omnis scepticae doctrinae non in certis quibusdam dogmatis, sed in memoria quadam sita erat earum rerum, quae quoquomodo sensus afficerent, quibus illi ita uterentur ducibus, ut scirent quidem se sentire, & affici; nescirent, quis demum sensus, quaeve esset affectio.

III. *Pyrrhonis asseclae, maxime Eurylochus, & Pyrrho atheniensis.*

Qui in schola pyrrhonia, pauci memorantur philosophi, sunt Eurylochus Pyrrhonis auditor, *g* iuratus dialecticorum hostis, quos in angustias redactus, abiecto pallio, sese alpheo immergens, dicitur fugisse. At Pyrrho Atheniensis, alter prope Pyrrho, meditationi & secessui deditus, lites non curavit dialecticas. Nausiphanes Teius, doctor Epicuri, captus dialectica peritia, Pyrrhoni valentissimo dialectico nomen dedit. *h*

BAR-

d *Ad Ti.* f *Sui.Lae.* g *Men.* i *Sat.X.* | d *Sext. Empir. lib.* I. *Pyrrhon. Hypotheseon.* f *Menagius.* g *Laert. l.* IX.
b *Laertius. Pausanias.* c *Menagius.*

BARTHOLOMAEI POVII E SOCIETATE IESU INSTITUTIONUM HISTORIAE PHILOSOPHICAE

LIB. V.

DE PHILOSOPHIA ROMANA.

CAP. I. *ORIGO Romanae philosophiae.*

PROP. I. *Romana mihi est in imperio romano philosophia.*

UBi romanos rerum dominos philosophia, verbis potius, quam factis ambitionis inimica, vidit; reliquas vero gentes, olim rerum potitas, populo romano subditas: veluti victricia arma secuta, Romae, ubi otium cum dignitate, & bonorum omnium copia beata suppeteret, sibi novum domicilium constituit. Itaque philosophia, non inimica honoris, aequo feret animo, si nomine paulo augustiore romanam philosophiam eam omnem appellavero, quae in imperio floruerit romano; sive Romae, sive Athenis, sive Alexandriae, sive quo alio in emporio antiquae sapientiae floruerit.

II. *Aegre recepta Romae philosophia.*

Gens illa quidem romana, quae omnia ad belli gloriam, imperiumque referret, ante tempora extrema VI. ab V. C. sec. otium non tulit philosophiae. *a* Postea vero quam ab atheniensibus legati philosophi romanis lucem sapientiae ostendere coeperunt; cum alios eius gentis, tum egregie praeter caeteros Laelium, Furium, & Scipionem adolescentes nobilissimos ad amorem, studiumque philosophiae excitavere. *b* At Cato ille maior, vir si non rustici, at asperi procul dubio animi, & ab otiosa sapientia alieni; ne Roma pro Marte Minervam colat, dat operam, ut philosophi quam brevissime domum remittantur. qui fortasse etiam curarit, ut S. C. fieret de philosophis, & rhetoribus latinis, uti Romae ne essent. *c*

T   Etsi

a *Con. Paganinus Gaudentius De Philosophia Romanorum.* b *Gel.* VIII. *cap.* 14. c *Idem lib.* XI. *cap.* 2. *Plutarch. in Catone.*

III. *Cato Censorius, & Ennius inchoati philosophi.*

Etsi enim ille ipse Cato admodum iuvenis, usus hospitio Nearchi cuiusdam pythagorei, quo tempore Fab. Maximus Tarentum recepit, eam philosophiam primoribus labris degustaverit; tamen non valde captus fuerit, opinor, amore graecae sapientiae, *d* vir graece indoctus, qui senex graecas litteras ab Ennio didicerit. Neque valde pythagoreum Ennium fuisse credo; at fuisse tamen, de quo Persius scripserit, *e*

Cor iubet hoc Ennî, postquam destertuit esse
Maeonides Quintus pavone ex pythagoreo.

ad quam metempsychosin animae Homeri in Q. Ennium alludit Cicero, *f* qui Ennii recitat somnium: *visus Homerus adesse poeta. Historia vero Evemeri De Diis*, quam latinam Ennius fecit, Ennium prope facit iustum philosophum. *g*

IV. *Semina philosophiae in Laelio, Furio, Scipione, Tuberone, Scaevola.*

Iam paulo post ea tempora Ennii illi ipsi, quos adolescentes nobiles veluti lactaverat sapientia legatorum philosophorum, cum viri remp. gererent, domi graecam philosophiam hospitem habuere. Laelius enim Diogenem stoicum, post etiam Panaetium audiit. *h* Lucius Furius secum eruditissimos homines ex Graecia palam semper habuit. *i* Scipio Africanus cum Polybium, Panaetiumque, praecellentes ingenio viros, domi militiaeque secum haberet; illum socraticum Xenophontem numquam e manibus deponebat. *k* Illi denique romani iuris antistites Q. Tubero, Q. Mucius Scaevola, aliique nonnulli sunt a Panaetio stoicam docti philosophiam. *l*

V. *Lucullus, & Sylla inducunt Romae philosophiam.*

Et iacuit tamen usque ad Ciceronis aetatem Romae philosophia, a magnis viris probata potius, quam culta, & propagata. *m* ex eo vero tempore opera cum Luculli, qui ipse in Asia philosophatus impense, cum domum rediisset, instructa bibliotheca, hospitio exceptis e Graecia philosophis, philosophiae studia in suis civibus promovit; *n* tum L. Cornelii Syllae, qui libros Aristotelis Romam allatos, per Tyrannionem, sive Andronicum Rhodium evulgandos curavit, *o* factum est, ut Romae ferveret opus philosophiae.

CAP. II. *ROMANOrum libera philosophia.*

PROP. I. *Romani vix philosophi sectarii.*

In universum autem omnis haec romanorum philosophia imperiosa dici potest, & libera; non uni mancipata, & vendita magistro. romani enim supercilio quodam, & arrogantia cum imperio coniuncta, non modo philosophis, sed ipsi etiam philosophiae iura velle dare videbantur; & assueti delectum militum habere, eumdem in dogmatis doctrinae, velle retinere. itaque vix unus aliquis memoriae proditus est ex ea gente philosophus, qui liberrimam non adhibuerit iudicandi rationem, quique cognitis multorum placitis non esse mallet philologus, quam sectarius, & iuratus unius scholae philosophus. Neque aliud fieri vel romanus animus erectus, & excelsus patiebatur, qui philosophicarum partium studia, inanesque graeculorum pugnas ridebat; neque finis romano sapienti propositus, qui artibus sapientiae in senatu vellet, in concionibus, iudiciisque regnare.

Iam

d *Plutarc. l.c.* e *Sat. IV.* f *T. Q. IV.* g *Lactantius l. I. 2.* h *Cic. De Fin. II.* i *Id. De Or. II. & pro Muraena.* k *Patercul. I. 13. Cic. T. Q. II.* l *Id. De Ora. II. Pro Muraen.* m *Id. T. Q. I.* n *Cic. in Lucullo. Plutarch. Vi. Lucul.* o *Idem Vit. Syllae.*

Iam hoc ego loco non vereor id, quod Cicero inducendis principibus romanae civitatis viris, qui de re disputarent philosophica, verebatur, ne in eo talium personarum cum amplificare vellet, minueret gloriam; *p* sed illud potius miror, quî fieri potuerit, ut tam multi olim tanto in imperio paruerint Platoni, cum tam pauci hodie pareant, monenti, tum fore beatas resp. *si aut docti & sapientes homines eas regere coepissent; aut, qui regerent, omne suum studium in doctrina ac sapientia collocassent.* q

II. *Romani proceres plures philosophi.*

Itaque hos, non ita paucos, veluti patricios in libera philosophia cives recensebo, qui bono modo tantum, quantum ipsis videretur, & Academiae, & Collegio pythagoreo, & Stoae parerent. Luc. ille Lucullus, de quo paulo ante dicebamus, ex testimonio amplissimo Ciceronis, *r* omni litterarum generi deditus, maxime probabat Anthiochum Ascalonitam familiarem suum, qui ita esset platonicus, ut in concordiam discrepantes philosophorum scholas redigere vellet, ex quibus aliis alia, quae sibi viderentur, deligeret. ut iure academicus sui iuris sit Lucullus habendus.

III. *Lucullus academicus.*

Eiusdem Antiochi discipulus *s* M. Terentius Varro, Romae natus ann. V. C. DCXXXVIII. Pompeii causam secutus, a Caesare in gratiam restitutus: deinde vero a IIIvir. proscriptus, &, facta bibliothecae, scriptorumque suorum iactura, redditus Romae, in otio vixit erudito, aliis visus scepticus, *t* aliis stoicus, *u* aliis academicus medius: *x* certe platonicus liberior omnibus videndus. Ciceronianus Varro *y* in Menippeis suis multa fuisse, ait, ex intima philosophia, multa dicta dialectice. Varro praecepta sapientiae latinis versibus tradidisse, *z* librum De Philosophia scripsisse dicitur. *a*

IV. *Varro academicus.*

Multo vero magis libertatem philosophandi mihi videtur secutus ille M. Brutus, Romae summo loco natus, non ille quidem stoicus, in quo labitur Baelius, *b* sed liberrimus academicus, qui nullum praeteriit, quem non audiret philosophum, nullam, quam non cognosceret, sectam. *c* Ex praeceptis philosophiae vitam instituit. domi Aristonem moribus, quam scientia philosophum praestantiorem habuit. multa de re philosophica, studio nimiae cuiusdam brevitatis parum probata, scripsit. *d*

V. *M. Brutus academicus.*

Qui vero omnium romanorum in omni genere doctrinae tenuit principatum, eum etiam in libertate philosophandi M. Tul. Cicero retinuit. is cum in maxima puer esset omnium admiratione, optimis quibusque graecis eloquentiae magistris in Italia usus; *e* deinde principi Academiae novae Philoni, qui Romam venisset, *totum se tradidit, admirabili quodam studio philosophiae concitatus*: cum *f* ante puer Phaedrum epicureum valde, ut philosophum, probasset; post, audito Philone, ut suavem, & officiosum, & virum bonum diligeret. *g* Diodorum etiam stoicum a pue-

VI. *M. T. Cicero liberrimus academicus.*

p *Ac. Q. II.* q *Brucker. conf. T. II. p. 32.* r *Cic. Ac. Q. II. Plutarc. in Lucullo.* s *Cic. I. Ac. Q.* t *Huet. De la foib. I. 14.* u *Cozzand. De Mag. Antiq. Phil. l.* III. x *Huet. l. c.* y *Cic. l. c.* z *Quinctil. Instit. Orat. I. 14.* a *B. Aug. De Civ. Dei* XII. 4. b *In Brut.* c *Plutar. in Bruto.* d *Vid. Fab. B. L. T. III. Cic. Paterculus. Florus. Dio. alii.* e *Fran. Fabricius in Vita M. T. Ciceronis.* f *Loc. cit.* g *Cic. Ep. Fam.* XIII. *ep. I.*

puero audiit, quem domi usque ad eius mortem aluit. *h* Athenis, quo metu Syllae venerat, quem in caussa Roscii offenderat, dedit operam cum aliis multis eloquentiae doctoribus, tum etiam Antiocho, quem parum tamen probavit, *i* philosopho.

VII. *Ciceronis scripta philosophica.*

Deinde diu valere iussit philosophiam. at quae iuvenis decreta omnium philosophorum cognoverat Cicero, seni solatio fuere, cum occupata a Caesare rep. in otio civili, ne nihil ageret, philosophabatur. Multos illi libros debemus philosophicos. utinam nullos invida nobis abstulisset vetustas! En unquam erit, cum philosophi verbis tullianis philosophabuntur! Sed ad propositum redeo. in philosophia Cicero tam fuit liber, ut ab omnibus academicus, a multis scepticus, a nonnullis etiam atheus sit habitus.

VIII. *Principes viri philosophiae sine servitute dediti.*

Neque illi in imperii maiestate philosophi non fuisse valde liberi sunt existimandi. Augustus quidem & puer didicit philosophiam, & *Adhortationes ad philosophiam* scripsit. *a* Tiberius vestigia pressit Augusti in fovendis philosophis. Traianus philosophiam ante a Domitiano male habitam recreavit. Hadrianus multus in philosophis & fovendis fuit, & praeter maiestatem imperii refutandis. Antonini, Athenis restitutis, publica philosophis praebuere salaria. *b* Alexander Mammeae filius a philosophis est eruditus. Alexander vero Severus nimius in philosophia ornanda erat, qui Apollonium Tyanaeum inseruisset larario. *c* Gordianus senior Platonem, Aristotelemque legebat assiduo. *d* iunior secum in bello adversus persas habuit Plotinum. *e* His iungendus Mecoenas non a philosophia alienus: *f* Tacitus, qui alibi stoici personam, alibi epicurei, quod frequentius facit, *g* sustinet: Livius, qui scripsit, auctore Seneca, *h* & Dialogos, & *ex professo philosophiam continentes libros*: Strabo denique, quem videas & peripateticum fieri, & stoicum. *i*

CAP. III. POESIS *philosophica Romanorum.*

PROP. I. *Virgilius pro re & loco aliam adhibet philosophiam.*

Huc poëtae prope ad unum sunt omnes vocandi. P. Virgilium Maronem epicureum facit Servius; *k* discipulum Sironis, *l* quem ipse se quoque facit *m* Virgilius. At Donatus contendit, eum fuisse academicum: *n* in quo ad animum provocat, & studium erga Platonem. melius, si nullius philosophi dictis audientem iudicasset. nam ex Epicuri sententia *o* cosmogoniam describit Silenus virgilianus:

Namque canebat, uti magnum per INANE coacta
SEMINA terrarumque, animaeque, marisque fuissent,
Et liquidi simul ignis: ut his exordia PRIMIS
Omnia, & ipse tener mundi concreverit orbis.

Virgilius ipse providentiam, religionem, deorumque metum tollebat audax: *p*

Felix, qui potuit rerum cognoscere causas,
Atque metus omnes, & inexorabile fatum
Subiecit pedibus, strepitumque Acherontis avari.

Ille

h *Id.Ac.Q.II.* i *Plutarc. in Cicerone.* a *Suetonius in Augusto.* b *Capitolinus in Antonin.* c *Lamprid. in Alexandro.* d *Idem in Gordiano.* e *Porphyr. Vit. Plotini.* f *Gaudent. l.c.* g *Ann.* VI. *Vit. Agricolae.* h *Ep.C.* i *Fab.B.G.* V.III.*p.*3. k *Ad Eclog.*VI. l *Cicero lib.* II. *de finibus meminit Sironis.* m *In Ciri.* n *Eclog.*VI. o *Ibidem.* p *Georg.* II. *v.* 490.

Ille ipſe vatum antiſtes latinorum, annum Platonis ſignificat: *q*

Ultima Cumaei venit iam carminis aetas;
MAGNUS ab integro ſeclorum naſcitur ORDO.

Ad extremum magnifica fundit carmina ex formula Stoae *r* de mundi anima deo, de animis divinae aurae particulis.

Iam Q. Horatius Flaccus Athenis eo tempore dedit operam Academiae, cum ei honorarius philoſophorum arbiter, qui omnia concordaret, praeſſet Antiochus. ſcribit enim *ſ*

II.
Horatius nullo duce certo philoſophatur.

Adiecere bonae paulo plus artis Athenae,
Scilicet ut poſſem curvo dignoſcere rectum,
Atque inter ſilvas ACADEMI quaerere verum.

Et Horatius tamen aperte ſe profitetur epicureum, cui nulla eſſet religio. *t* ſcribit enim per iocum: *u*

Me pinguem, & nitidum bene curata cute viſes,
Cum ridere voles, Epicuri de grege porcum.

Horatius iterum ſe dicit fieri velle ſtoicum, credo, cum vela retrorſum dare cogitur, & iterare curſus relictos, *x* cum illi *y*

Ad ſummam ſapiens uno minor eſt Iove, dives,
Liber, honoratus, pulcher, rex denique regum.

Quid verbis opus eſt? ipſe indicabit ſe Horatius omnis ſcholae aſſeclam liberrimum. *z*

Quid verum, atque decens curo, & rogo, & omnis in hoc ſum,
Ac ne forte roges, quo me duce, quo lare tuter;
Nullius addictus iurare in verba magiſtri,
Quo me cumque rapit tempeſtas, deferor hoſpes.

Quae cum ita ſint, non male ſane iudicaſſet Heinſius, *a* Horatium in eclecticis a Potamone diſcipulis habendum; ſi modo natus iam tum fuiſſet ille Potamon alexandrinus.

Tertius ille P. Ovidius Naſo eo poëta dulcior, quo legibus unius ſectae philoſophicae ſolutior, modo theogoniam, modo coſmogoniam, modo pythagoream metempſychoſin, modo empedocleam rerum geneſin ſequebatur. *b*

III.
Ovidius omnibus velificatur philoſophis.

Ante mare, & terras, & quod tegit omnia coelum,
Unus erat toto naturae vultus in orbe,
Quem dixere chaos, rudis, indigeſtaque moles.

Hoc eſt ſcilicet omnium antiquorum chaos mythologorum; haec etiam omnium aeterna philoſophorum ethnicorum materia. Praeterea de primo hominis ſatu dubitans velificari & Platoni, & Epicuro, & Zenoni voluiſſe videtur;

Natus homo eſt. ſive hunc divino ſemine fecit
Ille Opifex rerum, mundi melioris origo:
Sive recens tellus, ſeductaque nuper ab alto
Aethere, cognati retinebat ſemina coeli.

Quod vero attinet ad animi naturam, eam cum deſcriberet Ovidius, credo,

q *Eclog.* IV. r *Georg.* IV. *v.* 220. & *Aeneid.* VI. *v.* 724. ſ *L.* II. *ep.* 2. t *Scr. l.* I. *ſat.* IX. u *Lib.* I. *ep.* IV.
x *L.* I. *od.* 34. y *L.* I. *ep.* I. z *Loc. cit.* a *De Satyr. Horatit.* b *Metamorph. lib.* I.

credo, ne parum esset sui iuris poëta, metempsychosin Pythagorae cum metemsomatosi Zenonis commiscuit: *c*

O genus attonitum gelidae formidine mortis,
Quid Styga, quid tenebras, quid nomina vana timetis?
Morte carent animae, semperque priore relicta
Sede, novis domibus habitant, vivuntque receptae.

Mitto caetera, quae, quod dixi, efficiunt. Quid loquar de perenni fluxu, lapsuque pythagoreo? Quid de assidua commutatione elementorum Empedocli probata? Ipse loquatur iterum, atque iterum Ovidius: *d*

Cuncta fluunt, omnisque vagans formatur imago.
Haec quoque non perstant, quae nos elementa vocamus.
Quae quamquam spatio distent, tamen omnia fiunt
Ex ipsis, & in ipsa cadunt, resolutaque tellus
In liquidas rarescit aquas, tenuatus in auras,
Aëraque humor abit, dempto quoque pondere, rursus
In superos aër tenuissimus emicat ignes.

CAP. IV. *PYTHAGOREI Liberi.*

Iam quo tempore Roma philosophabatur arbitratu suo, etsi *pythagorica illa invidiosae turbae schola praeceptorem a non inveniret*; tamen visi sunt pythagorei, non in collegio sive ὁμακόιω, quod libera non tulisset Roma, congregati; sed deleto collegio ita ex intervallo apparuere, uti fracto maioris formae navigio,

Apparent rari nantes in gurgite vasto.

PROP. I. *P. Nigidius disciplinae restitutor pythagoreae.*

qui tamen non genuini essent, sed insinceri, mixtique pythagorei. Horum omnium princeps ille fuit P. Nigidius, *acer investigator ac diligens earum rerum, quae a natura involutae viderentur*: quique post illos nobiles pythagoreos unus extiterit, qui illorum disciplinam renovaret. *b* Multa ille quidem scripsit, *c* ob *obscuritatem, subtilitatemque parum utilem* derelicta. quod ipsum si hodie valeret iudicium, essent prope omnia scholasticorum scripta derelinquenda. Nigidius habitus a nonnullis magus. *d* Senator, & praetor cum partes pompeianas esset secutus, obiit in exilio. *e*

II. *Anaxilaus, Q. Sextius, Sotion pythagorei.*

Paulo post Anaxilaus Larissaeus, latentis naturae consultissimus pythagoreus *f* habitus est. qui cum ob praestigias, de quibus librum scripsit, cui παίγνια titulum fecit, *g* magus haberi vellet, ab Augusto missus est in exilium. Sed hic graecus in imperio romano pythagoreus. at Q. Sextius romanus nobilis, iam Christo nato, decrevit homo severis, verbis quidem graecis, sed moribus romanis philosophari, philosophia nova, & romani roboris instituta. *h* De hac nova Sextii philosophia, de qua non convenit satis, qualis esset, inter eruditos, Fabricius placet arbiter honorarius, qui ex aequo, & bono Sextium fecit medium Pythagorae, & Zenonis philosophum. *i* De *Sententiis* Sextii Pythagorei mitto causam agere, actam acriter & a Sibero, *k* qui *Sententias* eripit

c *Metam.* XV. d *Idem.* a *Senec. Q. N.* VII. 22. b *Cic. De Univers.* c *Gel.* XIX. 14. d *Apuleius in Apologia.* e *Cic. Ep. Fam.* IV. *Ep.* 13. *alii.* f *Cleric. Hi. Med. P.* III. *l.* I. *c.* 1. g *Plinius. l.* XIX. *c.* 1. *alib. Irenaeus. Eusebius,* h *Epiphan. Haeres.* 34. *T. I. Senec. Ep.* 58. *Plin.* XVIII. 28. i *Bib. Graec.* V. XIII. k *Con. Bruck. T. II. p.* 90.

ripit Sextio; & a Fabricio, qui eas Sextio adiudicat. Secutus est quoque philosophiam ex stoica & pythagorica commixtam, cum imperio praefuere Augustus, & Tiberius, Sotion Alexandrinus, L. Annaei Senecae magister. de quo alia fecere alii eruditi viri iudicia. *l*

Ut autem praeteream illos illius aetatis pythagoreos, vix de nomine cognitos, Alexicratem, *m* Euxenum Apollonii Tyanaei doctorem, *n* Areum, qui Augustum discipulum habuit in contubernio suo: *o* Moderatum Gaditanum non possum non dicere egregium pythagoreum. is imperatore Nerone, Gadibus natus, *p* & optime de Pythagora meritus, scripsit *Lib. XI. De Placitis Sectae suae. V.* praeterea *Scholarum Pythagoricarum.* Vir *q* eloquentissimus, nec totus pythagoreus, eam dedit Platoni operam, ut dignus videretur, quem diligenter legerent, philosophis *Scholae Alexandrinae.*

III. Moderatus Gaditanus pythagoreus.

Ea aetate alter visus est in terris Pythagoras, quasi vera esset metempsychosis, in Apollonio Tyanaeo, plano, mago, circulatore, mentitoque theurgo. *r* de quo quis non hodie scribit? Ego vero istam fabulam milesiam, sive, ut nunc loquimur, romanensem non ago valde magno apparatu. haec duo statuo, malum daemonem sibi emissarium Apollonium omnibus suis artibus, quas habet mille nocendi, instruxisse, quem Iesu Christo opponeret. alterum, eo Philostratum respexisse in ornanda fabula, ut parem Apollonium christianis referret pro pari Servatore, quo illis aegre faceret. *f* De Apollonio aliter est ab aliis iudicatum; quem hi deum, illi philosophum severum, alii magum & praestigiatorem maximum. *t* De Dami vero, & Philostrato Apollonii laudatoribus, iamdiu constat, insignes fuisse fabulatores. *u*

IV. De Apollonio pythagoreo fabula milesia.

Hic ad summam est Apollonius, natus Tyanae in Cappadocia, Tarsi, & Aegis doctus & rhetoricen, & philosophiam, maxime epicuream ab Euxeno. Deinde Ephesi, & Antiochiae moratus, iter in Orientem ad magos, gymnosophistas, brachmanas cum suscepisset, illa omnia in itinere vidit poëtarum monstra, quae in poëtis legisset fabularum amicissimus Philostratus. Reversus ab Oriente Ioniam, & Graeciam peragravit circulator Apollonius. e Graecia Romam, inde Hispaniam, inde Africam, inde Siciliam, inde rursus Graeciam, Aegyptumque adiit. quibus in itineribus Philostratus plura mendacia, quam Apollonius vestigia impressa, reliquit. Nondum consistit heic Apollonius, quem volentem, nolentem ducit in Aetiopiam ad fontes Nili, Hierosolymas ad Titum, Romam ad Domitianum Philostratus: Roma per aëra vehit Puteolos, deluso Domitiano. rursus in Graeciam, Ephesumque cum rediisset, mortemque Domitiani absens eo tempore cognovisset, quo eum coniurati confecere, incerto genere exitii periit. *a* Haud scio satis, an Apollonius magis sit peregrinatus, an Philostratus magis sit mentitus.

V. Summa rerum Apollonii

l *Vid. Sene. Ep. 108. Stob. Ser. XCVIII. Fab. B. G. V. II. alii.* m *Plut. in Convi.* n *Philos. Vit. Apollo. c. 8.* o *Sueton. in Augusto.* p *Plutar. in Convivio. Nicola. Antonius.* q *Porphyr. Vit. Pythag. Suid. in. Origenes. Longinus de Fine. alii.*

r *Vita Apollonii consul. cum notis Olearii.* f Comparatio rerum mirabilium Christi, & Apollonii hoc clamat scilicet. t *Vid. Fab. B. G. V. IV. Fleuryus. Tillemontius. alii.* u *Olear. l. c. citati.* a *Philostrat. Vita Apollonii.*

CAP. V. *STOICI Liberi.*

Ad stoicos, etiam liberos Romae philosophos, quos Roma simul vidit, simul probavit; accedamus. Panaetius ille bono modo stoicus, cum stoica vitae praecepta romanis iureconsultis dedisset; id stoica Romae philosophia assecuta est, quod hodie obtinet doctrina peripatetica in rep. christiana, ut quodammodo fieret publicis rebus necessaria. Leges, legum interpretationes, iureconsultorum responsa, formulae iuris Stoae accommodatae non potuere non aeque necessariam efficere illam philosophiam, atque est facta necessaria Lycei doctrina, postquam in rem theologicam inducta sunt placita peripatetica de formis, de qualitatibus, de modis, de eductione, de emanatione, deque sexcentis aliis rebus.

PROP. I. *Iurisprudentia accommodata Stoae.*

II. *Iureconsulti stoici.*

Atque ut natura solet, e parvis profecta initiis, ingentia rerum pandere miracula; sic mihi saepe videri solet philosophia stoica, uni stoico Catoni formando prius in Q. Tuberone, stoicae doctrinae sectatore, *b* in Q. Mucio Scaevola, *c* Panaetii discipulis; in Q. Lucilio Balbo, *d* cum excellentibus graecis stoicis comparando in eo genere, prolusisse. Ergo qua parte noster est Cato (nam alii res Catonis in magistratibus, & rep. gestas persequentur) natus in amplissima familia romana, qui proavum Catonem illum *Censorium*, avum M. Catonem iuris scriptorem, patrem editis orationibus haberet nobilem, maiores omnes magistratibus ornatos; puer tardo ingenio, sed memoria firmissima, audiit magistrum Antipatrum Tyrium, stoicum vita, quam doctrina meliorem. *e*

III. *Cato iunior acerrimus stoicorum.*

Relictis in Macedonia castris tempore belli civilis, Pergamum se contulit, unde secum deduceret familiarem Athenodorum Cordylionem, qui, repudiata regum familiaritate, senex stoicus domi latere decreverat, quem Cato laetior adduxit secum, quam Caesarem duxisset in triumphum. In stoico Catone multa notavit per iocum Cicero in iudicio Muraenae: *f* alii illa serio reprehendebant, quod cum stoicis suis domi differens, usque ad auroram saepe potaret; quod se non crederet Iove minorem; quod sibi violentas manus intulisset. *g* Illud constat, fuisse Catonem philosophiae platonicae amicissimum.

IV. *Principes viri stoici.*

Exemplo adducti & sanctitate philosophica Catonis, multi visi sunt Romae deinceps stoici viri principes. Thraseas Paetus, a Iunio Rustico vir sanctissimus appellatus: *h* Canius Iulus mori a Caligula iussus, & ex stoica virtute mortem forti animo passus, & immortalitatis animorum se facturum periculum, & deinde amicos circuiturum pollicitus: *i* Helvidius Priscus stoice doctus, exilium magno animo pati. Iunius Rusticus Thraseae, & Helvidii laudum scriptor, eo nomine capite damnatus: *k* Herennius Senecio eiusdem fortunae Rustico socius: *l* matronae etiam nobilissimae Arria, & Fannia virorum in stoica morte comites voluntariae. *m*

Poëtae

b *Gel. XV.* c *Cic. Pro Muraena.* d *Id. II. De Orat.* e *Fab. B. Lat. T. I. Plutarc. in Catone Iun.* f *Pro Muraena.* g *Plutarc. Cicero passim, Fabric. alii.* h *Tacitus Ann. XV. 20. Plinius VIII. Ep. 22.* i *Seneca De Tranquillitate 14.* k *Suetonius in Domiti.* l *Plin. IX. Ep. 13.* m *Menag. Hist. Mul. Phil. 75.*

V.
Poetae stoici Manilius, Lucanus, Persius, Seneca tragoedus.

Poëtae etiam fortia verba stoicorum secuti Romae fuere. In his M. Manilius, eiurato Epicuro, cui primo crediderat, *n* cum ad Augustum Astronomicon scriberet, non modo stoicus, *o* sed ante Spinosam visus est spinosianus. *p* scribit enim,

> *Ac mihi tam praesens ratio non ulla videtur,*
> *Qua pateat, mundum divino numine verti,*
> *Atque IPSUM esse DEUM.*

Mar. Annaeus Lucanus cum Manilio funem duxit, poëta grandiloquus, cum Virgilio tamen omnino non conferendus: acutus, ut hispanus ex familia annaea, sed pingue quiddam ac peregrinum sonans. *q* qui de *Exustione Stoica* mundi canebat, *r* cum

> *Secula tot mundi suprema coëgerit hora,*
> *Antiquum repetent chaos omnia.*

qui inducit loquentem Catonem suum, tanquam pantheistam *f* aliquem,

> *Iuppiter est, quodcumque vides, quocumque moveris.*

Aulus itidem Persius Cornuti discipulus, Lucani condiscipulus satyras suas stoico sale condivit. *t* Seneca denique tragoedus, *u* quisquis ille sit, nihil nisi stoicum dicas inclamare.

VI.
Senecae institutio philosophica.

L. Annaeus Seneca, fama super aethera notus, in primis stoicus, gente hispanus, *a* patria corduvensis, equestri loco natus est extremo Augusti principatu. Senecae familia, quam pater transtulit Romam, sapientiam veluti habuit hereditariam. Hic noster dedit operam primo Sotioni pythagoreo, cuius tamen eiuravit doctrinam; deinde Attalo stoico, tum Papirio Fabiano, post Demetrio cynico, postremo omnibus omnium sectarum commentariis. Magister Domitio Neroni datus est ob claritudinem studiorum; quod narrat Tacitus. *b* Quae res primum Senecae, bene, ac prudenter Neronem momenti, discipuli amorem; deinde magnam & honoris, & pecuniae accessionem, postremo tyranni, omnes verecundiae fines transeuntis, odium, & necem attulit.

VII.
Accusatio vitae, & philosophiae Senecae.

Iam vero inter omnes constat, ingenium fuisse Annaeo eximium, ac prope divinum. Illud primum non constat, stoicusne, an eclecticus sit habendus ille philosophus. Ipse *c* enim *non me*, inquit, *cuiquam mancipavi, nullius nomen fero.* At si doctrinam de mundi anima deo, de fato, deque mundo ingenti animali, rationis praedito, respicere velimus; *d* dubitare desinemus, quin fuerit stoicus. Deinde violatae Stoae crimen amplissimis divitiis siquis dilui satis putet, quod animo, non fortuna totus ex stoica disciplina aptus esset Seneca, *e* qui modice, vel etiam intra modum fortunae bonis uteretur; is, per me licet, Senecam moribus existimet stoicum: quem certe ego verbis existimabo. Quae denique de virtute, de consuetudine, & litteris Senecae, quas ad B. Paulum scripsisse dicitur stoicus ille ex aula Neronis christianus; liberum sit cuique iudicium. Ego, si nihil aliud, hoc certe libere dixero, mihi non liquere satis. *f*

n *Astron.l.I. v.142.* o *L.II.v.62.* p *Tolland.Orig.Iud.p.*106. q *M.Ant. Muret.Praef.Catulli.* r *L.I.v.* 483. f *L.IX.* t *Satyr.*III. u *Vid.Nic. Anton. B.Hisp. V.* a *Vid.Lipsius. And. Schottus e Soc.Ies. Nicol.Ant.* b *Ann.* XII. 8. c *Ep.* 45. *De Vit. Beat.* 3. d *Epist.*65. & 89. & 97. *De Provid.* 5. *alibi.* e *Tacit.Ann.*XIV.*Lipsius l.c.* f *Fabric. B. L. T. III.*

Quid? qualis habenda Senecae eloquentia, qualis philosophia? alii me acutiores laudabunt. ego ex Persio, *crimina rasis* g

VIII. *Vitiosa eloquentia Senecae.*

Librat in antithetis, doctas posuisse figuras
Laudatur. Bellum hoc. hoc bellum?

Censeo iustam Quinctiliani censoris notam, Senecae iniustam. *h* At hoc amplius censeo, cavendum nostris civibus, ne iure dixisse videatur Ioannes Barclaius, *i* (quamquam ipse iudex minime in hac caussa bonus) *In hispanica gente pompa verborum non ascititia, aut extorta; sed veluti ex naturae praecepto intumescit.*

IX. *Musonius Rufus stoicus.*

Eodem tempore commendatissimus vitae, philosophiaeque stoicae gloria vixit C. Musonius Rufus, Capitonis filius, patria tuscus, *k* equestri loco natus, & in republica publicis munitionibus praefectus. Ubique stoica praecepta suadebat, ex quibus cum recalcitrantem Neronem corrigeret, primo prope occisus, deinde in exilium missus est. Apud Domitianum, restitutus patriae, adeo gratiosus fuit, ut in expulsione omnium philosophorum ab illo edicta, eximius haberetur, qui privilegio Romae maneret. Nobis praecepta Musonii, ex libro *De Exercitatione*, Stobaeus asservavit aurea. *l* Solymis dirutis aratrum Musonius impressit. discipulus Apollonii, & Hermogenis fuit. quod extremum non habet gravem satis auctoritatem testimonii. *m*

X. *Stoicus Imperator M. Aurelius Antoninus.*

Ad extremum ea dicamus de M. Aurelio Antonino, quae sint philosophi potius, quam imperatoris romani. *n* ad ann. reparatae salutis CXXI. natus est Annius Verus, qui adoptione est deinde dictus M. Aurelius Antoninus. mortuo parente, iussus est ab Hadriano vocari Annius Verissimus, quod esset servantissimus veritatis. Nihil fieri potuit melius, quam quomodo est ille e puero institutus; quo nomine diis ipse & magnas agit, & maiores habet gratias. *o* Dedit operam Sexto Chaeroneo, Iunio Rustico, Claudio Maximo, Cinnae Catullo, clarissimis stoicorum: *p* quibus deinde additus vocatu Antonini Pii Apollonius chalcidensis. Neque vero semper in Porticu; etiam in Lyceo ambulavit Antoninus, unde audiit Claudium sive Verum, sive Severum: etiam in Academia, e qua doctorem habuit Alexandrum Pelopleton. *q*

CAP. VI. STOICI graeci in Imp. Rom.

PROP. I. *Bini Athenodori stoici. Cornutus stoicus.*

Heic bini Athenodori digni sunt, qui primi in Stoam legantur, ambo tarsenses. alter senior ille Athenodorus Cordylio, quem ad se domum adduxit Cato Uticensis: alter Athenodorus Sandonis filius, quem praeceptorem, & consiliarium habuit Augustus, cuique Claudium, *a* postea imperatorem, dedit contubernalem, cuius ingenium, moresque conformaret. Legendus heic quoque Annaeus Cornutus afer, qui patria leptines, contubernium adolescentum nobilium Romae habuit, *b* more multorum philosophorum, *c* in quo erant & Lucanus, & Persius, & alii doctis-

g *Saty. I.* h *Inst. Orat.* X. 1. i *Icone Anim c.* 7. k *Tacit. Ann.* XIV. 60. *Historiar.* IV. 10. *Philostrat.* l *Serm.* CXVIII. m *Suidas in Hermogenes.* n *Idem in Sextus.* o *De Se Ipso I.* 9. p *Capitolin. In Marco.* q *Suid. l.c.* a *Fab. B. G. V.* II. b *Vid. Suid. in Lachares. Auct. Vitae*, multis Suetonius. c Moris erat rhetoribus & philosophis habere domi contubernia adolescentum: quae recte instituta solent esse saluti civitatibus: pecuniae caussa comparata, & odio sunt, & dedecori.

doctiſsimi viri. Huic Perſius, codicillis, ad matrem ſcriptis, grandem legavit pecuniam. qua repudiata, libros dumtaxat Cornutus accepit. A Nerone iuſſus eſt ire in exilium. Eſt, qui hunc velit eſſe illum, cuius *d* Gellius meminit, *haud ſane indoctum, & ignobilem* grammaticum. Qui liber *De Natura Deorum* Phurnuto tribuebatur, hodie iam eſt Cornuto ſtoico reſtitutus. *e*

II. Euphrates aegyptius ſtoicus

Dubiam cauſam de vita, moribuſque dicit apud criticorum conſilium Euphrates ſtoicus, quem ego legitima cera abſolvo. Is Alexandriae Aegypti natus, ſeſe philoſophiae mancipio, nexuque dedit. Ac diu quidem vita philoſophus, non docendi munere fuit. *f* docuit deinde ſtoicam ſapientiam, in qua Plinium nactus eſt non magis doctum, quam memorem, gratumque diſcipulum. *g* Hadriano imperatori iucundus, a quo liberam obtinuit miſsionem e vita, quam finivit per ſtoicam inſaniam, epoto veneno. *h* Iam quod ante ſignificabam, ſi Philoſtrato credimus, Euphrates miris modis eſt Apollonium calumniatus. ſin Epictetum, Plinium iuniorem ſequimur auctores, Euphrates incorruptus ſtoicus, mala Apollonii facta, & artes perditas acriter eſt inſectatus.

III. Dio Chryſoſtomus inſignis ſtoicus.

Amicum Euphrates habuit Dionem etiam ſtoicum. Dio Pruſaeus, quem ab eloquentia Chryſoſtomum, a gratia apud Nervam Cocceium, appellavere Cocceianum, *i* natus eſt in Bithynia. aſſecutus eſt tantam & ingenio, & ſtudio eloquentiam, quantam in eius orationibus admiramur. itinere in Aegyptum ſuſcepto, philoſophiam ſtoicam amplexus eſt; cuius magnifica praecepta in orationibus ſuis veluti diſſeminavit. Saepe ab Apollonio amico caſtigata eſt eloquentia Dionis copioſa, & redundans. *k* Dio ſtoicus cynico propior vicatim omnes arripuiſſe, ac ne Domitiano quidem adulari voluiſſe, dicitur. Quae homini virtus philoſophica caro ſtetit, quippe qui fines imperii relinquere metu Domitiani coactus, vitam ſervilem apud getas, thracas, myſoſque vixerit. *l* ſublato Domitiano, in ara ſublimi pannoſus, in caſtris orationem habuit, in qua latuiſſe ſe Dionem ſub attrito pallio indicavit. Ex quo tempore Nerva, & deinde Traianus, ſummo illum in honore, cum in aureum currum etiam aſſumerent, habuere. *m*

IV. Epicteti ſtoici vita.

Poſt Zenonem non alium habuit Porticus Epicteto magis ſtoicum, *n* is patria hieropolitanus in Phrygia loco infimo, & pauperrimo natus, ſervitutem iuvenis ſerviit. Inſigne diſtichum tribuit Gellius *o* Epicteto.

Δῦλος Επίκτητος γενόμην κατὰ σωμ᾽ ἀνάπηρος,
Καὶ πενίην Ιρος, καὶ φίλος ἀθανάτοις.

Praeceptorem habuit Rufum, a quo didicit grave quoddam victricis eloquentiae genus. *p* Domo, cum ſacculus plenus eſſet aranearum, non neceſſaria clavis. nihil ibi praeter culcitram. In illa Domitiani invidia, quae Roma pepulit philoſophos, exulatum abiit Nicopolin Epictetus, ubi omnes ad philoſophiam adhortatus, omnibus vixit diu chariſsimus. *q*

Quan-

d *II.* 6. IX. 10. e *Fab. B. G. V.* II. f *Arrian.* IV. 8. g *Philoſt. Vit. Apol. Plin. Ep.* I. 10. h *Gaudentius c.* 100. i *Phot. Cod.* CCIX. *Suid.* k *Philoſt. V. Apoll.* 31. l *Ipſe Or.* XII. m *Philoſt. l. c.* n *Vid. Trivoltiana Excerpta an.* 1701. o *Apud Macrob. Saturn.* I. 2. p *Simpl. Com. in Epictet.* q *Arrian.* IV. *Suet.* XV. 2.

Quandiu vixerit, non ſatis inter eruditos conſtat. *r* Themiſtius illi vitam a Nerone ad Antoninos prorogat, quam alii maiore ſpecie veri contrahunt multo magis. Si non calumniatur, ut ſolet, Lucianus, *ſ* Epiɕteti lucerna fiɕtilis vendita eſt tribus drachmarum millibus. Nihil omnino ſcripſit Epiɕtetus, cuius Enchiridion colleɕtum eſt vel ex illius diɕtatis; vel diſcipulorum, quos habuit plurimos, Arrianum, Iunium Ruſticum, Favorinum, *t* excerptis. itaque *Altercatio Hadriani cum Epicteto* genuina non eſt habenda.

V. *Epiɕteti lucerna.*

VI. *Flavius Arrianus politicus ſtoicus.*

Epiɕteti diſcipulus Flavius Arrianus, in *u* Bithynia natus Nicomediae, vir eruditione conſpicuus, quam & Roma, & Athenae civitate ſunt remuneratae, verſatus eſt omnem aetatem in ſtudiis litterarum. *x* Apud Hadrianum gratioſus, Cappadociae praefeɕtus eſt, & ſenator, & conſul creatus. *y* Quae multa ſcripſit ad Epiɕteti doɕtrinam explicandam, ea numerat Fabricius.

VII. *Sextus chaeronenſis ſtoicus.*

Sextus Chaeronenſis, natus Chaeroneae in Boeotia, ex ſorore Plutarchi nepos, *z* M. Aurelio datus ab Antonino Pio magiſter, magiſtrum habuit ſtoicum Herodotum Philadelphium, alium ab Herodoto Tarſeſi, praeceptore Sexti Empirici. *a* M. Aurelius hominem ſummo habuit in honore, ad cuius aedes accedebat auditor. *Diſputationes Antiſcepticas*, quas habemus, *b* fortaſſe ſint huiuſce Sexti. Cavendus ille eruditorum hominum error, eumdem eſſe Sextum Chaeronenſem, atque Sextum Empiricum. *c* qui non modo duo, ſed valde etiam diverſi fuere.

CAP. VII. *PLATONICI in Imp. Rom.*

PROP. I. *Thraſylus Mendeſius, & Theon Smyrnaeus, platonici.*

Plato veluti iure poſtliminii multorum animos, & ſtudia rurſus occupavit, qui & eſſe, & dici vellent platonici, cum ad aetatem Ciceronis vocati eſſent academici. In his ponendus ſane ille Thraſylus Mendeſius *a* ex teſtimonio Porphyrii. Thraſylus iam ante profeſſus artes alias ſcientiarum, deinde dedit ſe platonicae doɕtrinae, doɕtor Tiberii, deinde imperatoris aſtrologus in contubernium admiſſus. *b* Dialogos Platonis, & Democriti ſcripta in tetralogias diviſit. *c* Thraſylo iunior platonicus *Theon Smyrnaeus*, cui *d* nomen Smyrna dedit, ubi erat natus. Symbolam ſuam contulit, ut eſſet de ſchola platonica, cum Platonis doɕtrinam editis libris, quorum reliqua pars exigua, *e* illuſtravit. Mathematicus eſt habitus inſignis. vixiſſe videtur poſt annum C. N. XX.

II. *Alcinous, & Favorinus, platonici.*

Neque vero certior eſt aetas Alcinoi, quem ſolent in initia II. Eccleſiae ſeculi coniicere. *f* de quo nihil eſt non obſcurum. platonicus, aut apprime in Platone verſatus, videtur fuiſſe, quippe qui introduɕtionem in Platonis doɕtrinam ſcripſerit, hodie dum ſuperſtitem, in qua ſummam philoſophiae dedit platonicae. Ille eunuchus *g* Favorinus, patria arelatenſis, profeſsione doɕtrinae ſimul ſophiſtes, ſimul etiam philoſophus, doɕtores habuit philoſophiae ſtoicae Epiɕtetum, cynicum etiam Demetrium: *h* amicos habuit doɕtiſsimos viros, & Plutarchum, cui

librum

r *Bruc.T.*II.*p.*522. ſ *Adv.Indoc.lib. contemp.* t *Photius.Arrian. Simplicius. Fab.B.G.* XVII. 14. u *Fab. loc.cit.* x *Lucian. in Pſeudom.* y *Suidas.* z *Idem.* a *De ſe ipſo* I.9. b *Fab.B.G.V.*XII. c *Suid.Bruc.* a *In Vit.Plotini.* b *Sueton.in Tiberio. Tacit. An.* VI.2. c *Laert.*III.56. d *Proclus in Timaeo.* e *Proclus l.c.* f *Fab.B.G.V.*VI. g *Lucian. in Eunuc. Suidas.* h *Gell.* XVII. 19. *Philoſtrat. alii.*

librum inscripsit, eodem beneficio, & honore illum remuneratus, qui Favorino commentarium de primo frigido inscripserat; *i* & Herodem Atticum nobiliorem sophistica, quam laude philosophica. Charus fuit Hadriano, quocum de eloquentia cum certaret, pepercit viribus, ne victor caderet, irato imperatore, qui professores omnium artium semper, ut doctior, & ridebat, & obterebat. *k* Platonem valde Favorinus cum amaret, non ausus est tamen Academiae acatalepsiam penitus probare. *l*

III. *Apuleius platonicus, & magus.*

Apuleius, natus patre Theseo Madaurae, *m* quae colonia erat romana, imperantibus Antoninis, rudimenta litteraturae, & philosophiae platonicae Carthagine posuit: *n* deinde Athenis omni doctrinae genere est expolitus. Romae coepit discere latine: nunquam autem perdidicit. Obivit omnia sacerdotum collegia, alter prope Apollonius, magus quidem certe. *o* Adolescens non nimis castus, vetulam divitem duxit domum; vel a dotata, & opulenta potius uxore in domum, & possessiones ductus est amplissimas. *p* Scripsit *De Dogmate* Platonis libros tres, in quorum postremo se praebet dialecticum: *Fabularum Milesiarum* libros XI. sive *Asinum Aureum*, *Apologiam*, *Florida*, alia. *q*

IV. *Calvisius Taurus, & Atticus, platonici.*

Imperatore Antonino Pio, Calvisius Taurus patria berytius, docuit Athenis & Aulum Gellium, & Herodem Sophistam. *r* Libros hodie deperditos scripserat, *De Differentia Dogmatum Platonicorum Ab Aristotelecis*, & *De Dissensu Platonicorum Ab Stoicis*. *s* ut alia taceamus scripta, quibus lucem Platoni attulerat, a Fabricio cognoscenda. Calvisio Tauro similis in finibus philosophiae platonicae, & aristoteleae regundis, atque discernendis, fuit Atticus platonicus, qui M. Aurelio Antonino imperatore, vixit. *t*

V. *Numenius platonicus Platone melior.*

Antoninorum tempora *u* tulere Numenium, qui princeps disciplinae platonicae multa Platone melius dicitur *x* disseruisse, quemque & Plotinus compilavit, & Amelius didicit memoriter. *y* Multa nobis fragmenta Numenii servavit Eusebius. Origenes est etiam auctor, *z* legisse scripta sacrae paginae, neque contempsisse Numenium, qui Mosen *atticissantem* vocaverit Platonem, quod multa in utroque affinia esse existimaret. Numenio comes eat Maximus Tyrius, qui, imperante Antonino Pio, decenti usus libertate, Platonem secutus est. *ss*

CAP. VIII. *PERIPATETici in Imp. Rom.*

PROP. I. *Andronicus Rhodius editor Aristotelis*

Nunc accingamur altius, ut peripateticos romanos sequamur. Andronicus gente rhodius, in peripatetica praefectura Lycei ab Aristotele undecimus, *a* vulgavit quidem, & illustravit, & fortasse vitiavit Aristotelem; at magnam non satis famam, certe parum lucis, conciliavit heroi suo. nam Trebatius ea tempestate iure consultus neque ipse intellexit, neque rhetor ab eo consultus, Topica Aristotelis, inter romanos obscuri. Cicero enim minime mirabatur, *eum philosophum rhetori non*

i *Galen.T.I.p.*6. k *Spartianus in Hadriano.* l *Galen. De Optima Discipli.* m *Apul. in Apolog.* n *Ips. in Floridis.* o *In Apolog.* p *Loc.c.* q *Fabric. alii.* r *Suid. Philostrat. Gellius.* s *Gellius* XII. t *Fab.B.G.V.* II. *Syncellus.* u *Ionsius De S.H.Ph.P.*III.*c.*7. x *Orig.Cont.Cel.*IV. y *Porphyr.in Vit.Plotini.* z *Loc.c.* ss *Ipse Diss.* XI. a *Ammon. in Categor.*

non esse cognitum, qui ab ipsis philosophis, praeter admodum PAUCOS, *IGNORETUR.* b

II. *Cratippus micat inter minores peripateticos.*

Et vero, extremis illis reipublicae romanae temporibus, pauci admodum memorati sunt peripatetici, Demetrius apud Catonem, Alexander Antiochenus apud Crassum, *c* Antiochus apud Pisonem, auditus a Cicerone in *eo gymnasio, quod Ptolomaeium* d *vocabatur*, apud eumdem Staseas Neapolitanus. Quo etiam tempore Cratippus, patria mitylenaeus, docuit primo Mitylenis, postea apud athenienses. *e* quem convenit Brutus tum, cum in Graecia ducebat exercitum: *f* quem Cicero pater civitate romana donandum a Caesare curavit, decretoque Areopagi rogandum, ut vellet Athenis domicilium doctrinae suae ad urbis honorem constituere: cuius Cicero filius, qui in illius esset a patre disciplinam traditus, non tam se discipulum, quam filium dicebat. *g* Qui non extat hodie, librum *De Divinatione Ex Somniis*, composuit. *h* ex quo a Cicerone adducto, conficit Baelius, probasse Cratippum intellectum illum universalem, ab Averroe receptum.

III. *Boethus, & Sosigenes peripatetici.*

Post Cratippi tempora primus in genuinis peripateticis est habendus Boëthus, gente sidonius, Andronici discipulus. *i* habitus est peripateticus insignis, quem platonici alexandrini θαυμάσιον appellavere. Boëtho fama nobilior peripateticus Sosigenes, qui in libros Aristotelis *De Coelo* commentaria fecit, *k* patria aegyptius, mathematicarum rerum peritissimus fuit, quippe quo sit usus C. Iulius Caesar ad tempora, fastosque corrigendos. *l*

IV. *Nicolaus Damascenus, peripateticus egregius.*

Nicolaus quidem Damascenus, in Syria Damasci natus, *m* vir ingenio, & studio sapientiae summus, in philosophiae cum platonicae, tum vero aristoteleae cognitione illustris, amicitia & Augusti, & Herodis senioris, quae hominem opibus auxit, valde commendatus; *n* quam singulis peripatus ingenerasset unquam virtutem, & honestatem, ipse unus universam paulo sibi tribuit insolentius. Quae hodie non dubiae possessionis supersunt scripta, ea sunt Excerpta Peirescii *e Vita Nicolai Damasceni, e Vita Augusti, e Libro De Variarum Gentium Moribus*, quae habet Stobaeus, quaeque solent adiici *Politicis* Aristotelis.

V. *Pedarii peripatetici Athenaeus, Xenarchus, Alexander Aegeus.*

Athenaeus Seleuciensis *o* Muraenae amicus, cum Muraenae patuissent insidiae in Augustum, peripateticus iudicatus innocens, dimissusque est. Est vero paulo notior Xenarchus Athenaei civis, Strabonis praeceptor, *p* Caesari Augusto ab Areo commendatus. Hic bono modo tantum, quantum sibi videretur, philosophus erat peripateticus, qui quintam Aristotelis naturam, e qua sint mentes, negavit. *q* Non multo post in schola aristotelica floruit Alexander quidam Aegeus, quem Neronis institutioni praefectum, & in ea re negligentiae accusatum, quod, quae doceri virtus posset, eam ille minus docuisset Neronem, scriptum

b *Praef.Topicor.* c *Plutarc. In Cat. & Crasso.* d *De Fin. V.* e *Plut. in Cic.* f *Idem in Brut.* g *Cic.Epist. Fam.XVI. 21.* h *Cic. De Divin.* I. *Tertul. De Ani.29.* i *Loc.c.* k *Simplic.F.Patricius.* l *Conf.Petav.Doc. Temp.T.IV. l.* X.50. m *Athenaeus* VI. *Phot.Cod.* CLXXXIX. n *Excerpta Peiresciam.ibique Valesius p.*414. o *Strabo* XIV. p *Idem loc. cit.* q *Simplic. De Coelo* I. *Iulia. Imp. Orat. De Matre Deum.*

tum Suidas reliquit. *r* Commentarium *In Libros Meteorologicos Aristotelis* *ſ* Alexandri Aegei, non Aphrodisienſis eſſe iudico; quippe quod ſit ea ſimplicitate, quam ſubtilitas, & ratio maxime ſcholaſtica non ferat Aphrodiſaei.

VI.
Adraſtus, Ariſtocles, Alexander Aphrodiſienſis, ariſtotelici.

Proditus eſt etiam memoriae Adraſtus, in Caria civis aphrodiſaeus, illuſtris philoſophus ſcriptis commentariis de philoſophia peripatetica. *a* Ariſtocles id etiam temporis genuinus peripateticus floruit, *b* patria meſſenius, qui & Ariſtotelem interpretatus ſuis eſt commentariis, & hiſtoriam philoſophiae complexus eſt. cuius reliquias nobis ſervavit Euſebius. *c* Idem docuit Alexandrum Aphrodiſaeum, *d* carem, Ariſtotelis illum τὸν ἐξηγητὴν: quem imperatores Septimius Severus, & Antoninus Caracalla *Ariſtotelis philoſophiae profeſſorem, & magiſtrum publicum* ob doctrinae famam creavere. *e* Servus Ariſtotelis Aphrodiſaeus de binis hominum animis, de mortalitate animorum neſcio quid molitus eſt. *f* ut iure merito, quaſi Deum ſuſtuliſſet, ſit extremae impietatis accuſatus.

VII.
Ammonius peripateticus ſyncreticus.

Sed hi genuini peripatetici. Ammonius primus poſt Antiochum Aſcalonitam illud tentavit, quod L. Gellius, *g* qui, cum proconſul ex praetura in Graeciam veniſſet, convocatis unum in locum philoſophis, valde iliis, interpoſita imperii poteſtate, auctor fuit, ut nollent aetatem in litibus conterere, aliquando controverſiarum aliquem facerent modum. Sic ioculare iſtud, & a multis ſaepe deriſum, velle pugnantes frontibus adverſis componere philoſophos, Ammonius aggreſſus eſt, patria aegyptius, Plutarchi magiſter. *h* Is, Imperatore Nerone, permixtam docuit philoſophiam. *i* Eſt autem cavenda Ammoniorum nihilo minus perturbata hiſtoria, quam per Ammonios philoſophia. Hic noſter pacificator alius eſt ab Ammonio Hermeae filio: *m* alius ab Ammonio peripatetico Longini: *n* alius denique ab Ammonio Sacca.

VIII.
Alexander Damaſcenus, Aſpaſius, Eudemus, Herminus, Dexippus, Olympiodorus.

Ut autem praeteream peripateticos minores, Alexandrum Damaſcenum, Ariſtoteli, quam Platoni in doctrina fideliorem; Aſpaſium quemdam, cuius extant in Ariſtotelem commentaria; *p* Eudemum Alexandri Damaſceni diſcipulum; *q* Herminum denique, *r* qui docuit Aphrodiſaeum: memorandus eſt obiter Dexippus, Iamblichi diſcipulus, qui obiectiones diluit Plotini in Categorias ariſtoteleas. *ſ* Eccleſiae ſeculo V. vixit Olympiodorus flatu nominis clarus, docendi celeritate, & gravitate obſcurus, homonymia confuſus, atque turbatus. Auctore Marino, *t* docuit Alexandriae in ſchola peripatetica Anatolii. cuius diſcipulus Proclus alios ſubdocebat magna magiſtri voluntate diſcipulos. Non ſunt lucubrationes huius noſtri, qui feruntur *Commentarii In Ariſtotelis Libros Meteorologicos*. u

Simplicius extremus eſt, qui prope fecit exequias graecae Ariſtotelis

r *Suid. in Alex. Aegeus.* ſ *F. B. G. V.* II. a *Fab. B. G. V.* II. *Suidas.* b *Idem V.* VIII. *Suid.* c *Praep. Evang.* XIV. & XV. d *Simpl. De Coelo* I. e *Ipſe De Fato.* f *Lib.* II. & *ſaepe alibi.* g *Cic.* I. *De Leg.* h *Eunap. Prooe. Vit. Sophiſ.* i *Plut. De* ει *Inſcrip. Delphis.* k *Suid.* & *ibi Kuſter.* m *Fab. B. G. V.* IV. n *Ap. Porphy. Vit. Plot.* 20. p *Maxim. Comment. Graec. In Nicomac.* q *Galen. l. c.* r *Lucian. in Demonact.* ſ *Simplic. In Categor.* t *Vit. Procl.* 9. *Suid.* u *Fab. Bibl. Graec. V.* VI. & IX.

IX. *Simplicius prope ultimus antiquorum peripatetico-rum.*

telis doctrinae, natione cilix, discipulus Ammonii Hermeae, & Damascii. *x* cuius commentarios habemus in Aristotelem reliquos. Hoc seculo VI. Eccl. quo vixit Simplicius, invadentibus barbaris Graeciam, & imperii provincias, penitus cecidit philosophia.

CAP. IX. *EPICUREI in Imp. Rom.*

PROP. I. *Lucretius epicureus in primis.*

Epicuri philosophiam in patriam suam si non primus, at certe cum primis, romanis auribus admovit Lucretius. Epicureos, opinor, fuisse illos, de quibus Varro ciceronianus, *a* dicebat, non posse se Amafanii, aut Rabirii similem esse, qui, nulla arte adhibita, de rebus ante oculos positis vulgari sermone disputarent. Sed hi & vita, & libris obscuri; T. Lucretius Carus parum vita cognitus, doctrina impia famosus, *b* vixit ad an. DCLIX. ab V. C. *c* Athenis didicit Epicurum. poculo amatorio in furorem adactus, cum per intervalla saevire desisteret amor, carmina, quae deinde limam passa sint a Cicerone, scripsit. violentas denique sibi manus intulit. Quem exitum ipsum nostra memoria tulisse dicitur, Thomas Creechius, editor, & illustrator Lucretii. *e* qui ob perditos amores suspendit se novus e Britannia Lucretius, quem cum in praefatione legas, tibi videbere virum legere sanctissimum.

II. *Diodorus, & Aufidius, epicurei.*

At in Graecia non interrupta successio scholae epicureae, *caeteris fere omnibus deficientibus, sola perstitit.* f Et tamen, quod epicurei nollent editis libris sincerum vas incrustare, mallent potius ratas Epicuri sententias, veluti Lycurgi leges, habere; *g* ob hanc rem factum, opinor, ut vix possimus, tres epicureos nobiles hoc loco proferre. Seneca nobis narrat Diodorum Epicureum, qui contra decretum Epicuri finem vitae suae manu sua imposuit. Bassum item Aufidium *h* senem, qui *eo animo, vultuque finem suum spectavit, quo alienum spectare, nimis securi quis esse putaret.*

III. *Celsus epicureus.*

Solet e graecis Epicuri de grege haberi Celsus, quocum bella gessit Origenes, imperatore Commodo. *i* Est tamen, qui stoicum, *k* est qui platonicum *l* faciat. Certe si Origeni credimus, qui duos scribit fuisse Celsos, *m* utrumque epicureum, alterum seniorem, dum Nero rerum potiretur; alterum iuniorem: nos una plaga exolvemus. Mihi quidem epicureus Celsus, & ille idem esse videtur, ad quem Lucianus, (pares enim cum paribus facile congregantur) scripsit *De Alexandro Impostore.* n

IV. *Plinius Epicuro fidus.*

Plinium quidem seniorem inter epicureos legendum, multi opinantur. qui certe quocumque liber vocaret, quem in manibus haberet, eo deferebatur hospes. scepticus, *o* pythagoreus, *p* stoicus, *q* epicureus, quod saepius audet, *r* multa de mundo, de natura, de anima universi, de harmonia orbium coelestium, de providentia Numinis constituit. Novocomensem faciunt Plinium & *Scriptor Vitarum*, quae tribui Suetonio

x *Ipse lib.* I. *&* IV. *Physic.* a *Cic. Ac. Qq.* I. *&* II. b *Editores Lucretii.* c *Fabric. B. Lat. T.* I. e *Iac. Bernardi Novel. Reip. Litt.* 1700. *p.* 331. f *Laer.* X. g *Themist. Or.* IV. h *Ep.* 30. *&* *De Vit. Bea.* 19. i *Bruck. T.* II. *p.* 608. *vid.* k *Hornius. P.* I. *l.* V. 4. l *Cudworth. Syst. Intell.* IV. m *L.* I. *adv. Cels.* n *Fab. B.Gr.V.*II. o *L.*II.*C.*7. p *L.*II.... q *L.*II.7. r II.5.7.*Fab.con.B.L.T.*I.

tonio solent, & inscriptiones geminae. *s* Supra fidem videri posset, quam multa legerit, excerpserit, scripserit, nisi Plinius iunior auctor esset, avunculum ab studio tempus nullum sibi vacuum, exiguum curando corpori, dedisse. *t* Iniuriosa dies, quae omnia imminuit, cum multa scripta pliniana nobis invidit, tum vero Plinio gloriam in *Historiae Mundi Libris XXXVII.* Nimis haec nostra est fastidiosae criticae aetas, quae in Plinio non compensat mala plurima non paucioribus bonis: quae non audit ab ipso Plinio, *etiam non assecutis voluisse abunde pulcrum, atque magnificum* u *est.* Ego, post correctorem Plinii Ioan. Harduinum, & illustratorem, summum labori utriusque pretium statuo. Vesuvii tempestate oppressus, quam propius aspicere curiosus voluerat, quasi poenas repetente vulgatorum natura mysteriorum, periit an. aetatis LVI. *x*

V. *Pretium scriptorum Plinii*

Similis satis Plinio in eruditione, simillimus in libertate philosophica fuit Lucianus dialogistes, patria samosatensis, natus imperatore Traiano, *y* humili loco. statuariae primo, deinde iurisprudentiae, post sophisticae, postremo philosophiae deditus fuit liberrimae. More sophistarum omnes fere provincias peragravit imperii, ubi venderet eloquentiam. Photius hominem in scepticis annumerat: *z* quamquam potiorem Epicuri rationem semper ille habuerit. Homo non impius magis, quam satyricus, & omnes religiones, & maxime christianam, & omnes omnino philosophos, multo sale perfricuit. Pudet diutius iniuriarum agere cum homine, cui omnium uni illud quadret maxime,

VI. *Lucianus Epicuro non ita iniquus.*

Solventur risu tabulae, tu missus abibis.

CAP. X. CYNICI IN Imp. Rom.

PROP. I. *Proles nequissima cynicorum.*

Iam ego hoc loco non philosophiam, sed cynicorum vitam legibus omnibus solutam, sub attrito philosophorum pallio, paucis sequar. Cynici veteres illi Antisthenes, Diogenes, Crates, aliique dum contendunt nimis, disciplinae funiculum ad extremum penitus rupere. prolem enim dedere philosophorum omnium nequissimam. in quibus nihil invenies non propudiosum, & infame. *a* ut iure dixerit Cicero, cynicorum rationem totam, inimicam verecundiae esse eiiciendam. quam romani certe pueri usque adeo contemnebant, ut palam cynicis barbam *b* arriperent.

II. *Musonius Neronis obtrectator, cynicus*

Et vero Romae an philosophatus, an debacchatus *c* est in imperatorem Neronem cynicus ille Musonius Babylonius. Mihi alius Musonius Babylonius, qui cynicus, *d* qui in Graeciam sit inter addictos Isthmo fodiendae deportatus: *e* alius Musonius Tuscus, qui stoicus, *f* qui sit in unam cycladum abire iussus in exilium. *g* Multa scripsit Babylonius cynicus, quae periere. Hominem in carcerem Nero coniecit, ubi cum Apollonio instituit amicitiam.

III. *Demetrius Corinthius cynicus.*

Demetrius, patria corinthius, aetate synchronus Caligulae, Claudio, Neroni, Vespasiano, & Domitiano, *b* ausus est cynicus orationem habere adversus eos, qui balneis uterentur; quo die Nero, gymna-

s *Bruck. T. II. p.* 609. t *Ep.* III. 5. u *Praefat.* x *Plin. Iu.* VI. *Ep.* XVI. y *Suid.* z *Cod.* CXX. VIII. a *Lucian. Iulian. Or.* VII. *Epictet. alii.* b *Pers. Sat. I. Sidonius carm.* 2. c *Philost. Vit. Apol.* IV. 35. d *Eunap. Prooe.* e *Philost. Vit.* 9. f *Fab. B. G. v.* II. g *Philost.* VIII. 16. h *Lae. V. S. . Men. ibi. Olearius in Philost. Vit. Apol.* IV. 26. *alii.*

ſio Romae abſoluto, diem feſtum egiſſet. Roma ob eam rem pulſus Athenas ſe contulit. rurſus mortuo Nerone, Urbem adiit. Roma iterum eiectus a Domitiano, Puteolos ſeceſsit, ubi vidit ad ſe advolantem Apollonium. *i* Seneca veluti virum e coelo miſſum extulit in aſtra Demetrium, *k* quem Thraſeas Paetus mori iuſſus, ſecum inter agendam animam habere voluit, qui ſibi purgatam crebro allatraret aurem morituro. *l*

IV. *Oenomaus & Demonax, cynici.*

Dubius viris eruditis cynicus habetur Oenomaus philoſophus. *m* Is patria Gadarenus, imperatore Hadriano vixiſſe dicitur. Certe de Homeri philoſophia, de oraculorum cavillis, deque cynicorum ſcripſit Oenomaus. Lucianus, quod mirere, nobis Demonactem cyprium amplisſimis verbis commendatum reliquit. *n* quem ipſe optimum ex philoſophis cognoverit. is a puero diligenter eruditus, exemplo Socratis, Diogenis, aliorumque philoſophorum coepit ſine impudentia, ſine maledicentia, ἄνευ τῆς ἀπαῤῥεσίας philoſophari; cynicos etiam traducere impudentiae, oriſque liberioris. Gratiſsimus vivebat athenienſibus, apud quos partem etiam reipublicae ſanctiſsime capeſſere ſolitus, omnem iram in philoſophos faſtuoſos, & inſolentes ſervabat. Impietatis reus factus, magna conſtantia cum cauſam dixiſſet, abſolutus eſt. ampliſsimo funere eſt Athenis elatus.

V. *Creſcens cynicus Iuſtini M. accuſator.*

In Creſcentem vero eiuſdem aetatis philoſophum omnis ſentina confluxit vitiorum. Megalopoli in Arcadia natus, *p* cynicam ἀδιαφορίαν profeſſus, verba quidem fortia, mores vero gibanos ſecutus, *q* in ſanctiſsimam chriſtianorum religionem acriter invectus; Iuſtinum martyrem commovit, qui eum oſtenderet vitae perditae calumniatorem. Iam tum animo Iuſtinus praecepit, fore, ut Creſcens nomen ſuum deferret ad magiſtratus, quod chriſtiana ſacra coleret. eventus martyrem dedit Chriſto Iuſtinum, *r* Creſcentem aeternae devovit infamiae.

VI. *Peregrinus cynicus, ab Eccleſia alienus.*

Lucianus in Peregrino cynico cauſam quaeſivit explendi odii in chriſtianos ſui. nemo antiquorum alius Peregrinum ad Eccleſiae ſacra vocavit, nemo Peregrini chriſtiani libros aſpexit, nemo epiſcopum memoravit, ut fruſtra ſit Ioan. Clericus, qui, ne mendacem credat Lucianum, *ſ* inter catechumenos Peregrinum legit. Quid illa? ὡς θεὸν αὐτὸν ἐκεῖνοι ἐδινζοῦντο; an ſuo ſe prodit ſorex indicio? ecquem chriſtiani mortalem coluere Deum? carcerem effringere conati ſunt chriſtiani, ut Peregrinum eriperent. novum, & inauditum facinus, quod ante Lucianum nullus cognoverat antiquorum.

VII. *Luciani criminationes de Peregrino.*

Quid ſingula mendacia perſequar? tota ſibi non conſtat fabula. De Peregrino ſine mendacii ſuſpicione haec tradita ſunt monumentis, eum philoſophum cynicum, *t* non ſtoicum, quod putat Obſopaeus, *u* acerbis uſum obiurgationibus, Athenis vixiſſe, ubi viſus eſt a Gellio; *x* & ſponte ſua in maximo Graeciae conventu flammis vivum, videntemque periiſſe. Caetera de infami adoleſcentia, de parricidio, de exilio, de

pere-

i *Phil.* k *Ep.20.alib.* l *Tac.An.*XV. *c.ult.* m *Fab.B.G.V.*II.*Suid.Euſ.Hiſ. Ecc.V.* 21. n *In Demonac.* p *Tatian.Or.ad Graecos.* q *B.Iuſtin.Apol.*I. r *Valeſius ad Hiſt.Ecc.Socrat.* ſ *Hiſt. Sec.*II.*p.*699. t *Tatian.Ora. ad Graecos. Philoſt.alii.* u *In Lucian.* x *Gellius lib.* VIII. 3. & XII. 2.

peregrinationibus, de poenis Peregrini sunt omnia cum pulvisculo a Luciano.

VIII. *Sallustius cynicorum postremus.*

Postremum omnium Sallustium cynica occupavit scabies. Is Emesae natus in Syria, iurisprudentiam adolescens coluit. illos atticos veteres, maxime Demosthenem, cuius orationes memoriter didicit, sibi exprimendos cum proposuisset, non est illis habitus inferior. *y* se erudiendum Proclo dedit, qui scholae platonicae magna cum laude Athenis praeerat. a quo per Zenonem subductus, cynicam philosophandi rationem, immortali odio in philosophos concepto, amplexus est. Reversus Alexandriam multa & dixit, & cynice fecit. quae in eam opinionem homines adduxerint, non credidisse Sallustium deos esse. *ss* Vixisse dicitur seculo exeunte IV. Ecclesiae, & V. ineunte.

CAP. X. *PHILOSOPHIAE Histor. in Imp. Rom.*

PROP. I. *Plutarchus Philos. histor.*

Nunc illud superest, ut historicos philosophiae, ipsos etiam non poenitendos philosophos, qui in Imp. Rom. scripserint, indicemus. Plutarchus Chaeroneae natus, patria potius, quam ingenio boeotus, ad An. C.N.L. praeceptores habuit Ammonium, Ammonio Sacca seculo toto natu maiorem, a quo, credo, didicerit pacificationem philosophorum. multa enim ab aliis philosophis in rem suam derivavit. Lipsius ex vero pronuntiat, *a* Plutarchum fuisse philosophiae doctorem meliorem, quam acutiorem philosophum. mihi potior videri solet historicus philosophiae, quam philosophus. *b*

II. *Galenus, & Aetius Philo. hist.*

Scriptor alius *De Philosophica Historia*, aliis est Galenus, aliis Aëtius. *c* Certe Claudius Galenus Pergami natus an. C. N. CXXXI. doctores audiit Caium, & Albinum, platonicos nescio quos, & stoicum quemdam Philopatoris discipulum. *d* Multa habet a Galeno medico scripta philosophica posteritas. Aëtius autem ille a Theodoreto adductus, *e* ethnicus quidam Aëtius Fabricio fuisse videtur. *f*

III. *Porphyrius, Sext. Empiricus, Stobaeus hist. Philos.*

Eodem Theodoreto auctore novimus, Porphyrium *De Placitis Philosophorum*, qui liber hodie non extat, scripsisse. Habemus autem Sexti Empirici, parum cogniti scriptoris, *g* libros hodie plus nimio a multis cognitos, *Pyrrhoniarum Hypothesewn*, & *Adversus Mathematicos*: quos iure voces historiam philosophiae. Ioannis etiam Stobaei, Stobis in Macedonia nati, aetate Themistii, *h* & a religione christiana alieni, manent hodie *Eclogae Physicae*, & *Ethicae*, quae excerpta sunt dogmatum philosophicorum.

IV. *Laertius, Eusebius, Clem. Alexandrinus*

Reliquus est Diogenes Laertius, qui seculo Ecclesiae III. videtur scripsisse. *i* Omnia de Laertio in controversia sunt posita, nisi quod homini debemus, posse nos utcumque loqui de philosophis antiquis, quos tamen non nimis accurate recensuit. Erit, qui huc addat Eusebium, & Clem. Alexandrinum, apud quos plura supersunt antiquorum monumenta philosophorum. Hoc unum addo, prope maiorem nos historicis philosophiae, quam philosophis debere gratiam.

BAR-

y *Suid. in Zeno. Alex.* ss *Suidas.* a *Fab.B.G.V.*III. b *Bruckerus T. II. p.*191. scripsit Plutarchus De Placitis philosophorum. Vid. Eduard. Corsinius, editor *Placitorum.*

c *Corsinius Plutarchi Vita* p. XVII. d *Vid. Philippus Labbeus e S. I. Vita Galeni.* e *Therap.* II. f *Ad Empirici Hypot.III.*4. g *Vid.Fabric.* h *Fabric. B.G. lib.V.* i *Brucker. T. II. p.* 62.

BARTHOLOMAEI POVII E SOCIETATE IESU INSTITUTIONUM HISTORIAE PHILOSOPHICAE

LIB. VI.

DE PHILOSOPHIA SYNCRETICA.

CAP. I. *PHILOSOphiae syncreticae ortus.*

NOva quaedam facies, multis distincta coloribus, nobis iam apparet philosophiae. philosophia quaedam nobilis, ex omni decretorum genere, quam alii *eclecticam*, nos *syncreticam* nominamus, conflata, paulatim singulas familias dogmaticorum sapientum, quas concordare vellet, evertit. in quam mihi intuenti diligentius, illa videtur una cum antiquissimos Asiae philosophos ad se traxisse, tum sibi graecos sapientes subiecisse, tum vero nonnullis Ecclesiae patribus non prorsus displicuisse. Neque vero eam voco syncreticam philosophiam, quae collecta ex alienis placitis utcumque fuerit: qua certe ratione omnis prope graeca sapientia dicenda esset syncretica, quam ab Aegypto, Asiaque sibi delegere graeci philosophi; *a* sed eam voco syncreticam, quae in Aegypto post Alexandri tempora viguerit, commixta ex placitis Asiae, Europae, atque Africae, in unum veluti systema copulatis.

PROP. I. *Vis, & ratio syncreticae philosoph.*

II. *Alexander portam dat. phil. syncret.*

Hae vero mihi videri solent causae commixtionis, victoriae Alexandri, deductio coloniae alexandrinae, Ptolemaeorum benignitas erga philosophos, ratio denique doctrinae aegyptiorum antiquissimae. Primum enim Alexander, nec ipse non initiatus philosophiae mysteriis, *b* & secum in exercitu multos ducens philosophorum, cum praemiis ad se barbaros, & magos, & indos vocasset philosophos; graecis copiam barbaricae doctrinae faciebat. Deinde in novam Alexandriam ex omnibus Asiae,

a *Plato in Char. Arist. I. Ethi. 4.* b *Plut. in Alex. Ammon. Vit. Arist. I. Curt. VIII. 5.*

Asiae, & Graeciae populis ab Alexandro deducta colonia, in quam suam quisque symbolam conferret sapientiae popularis, c non potuit, quin doctrinae quamdam secum colluviem deduceret.

Praeterea Ptolemaei, cum Alexandriam & locupletissima bibliotheca ornassent, & perfugium, asylumque omnibus ibi philosophis aperuissent, quo & pythagorei, in Italia vexati, & a Graecia philosophi omne genus convenere; d mostrosam quamdam commixtionem, & foeturam philosophiae aluerunt. Postremo cum in Aegypto plures iam ante facies, quam Prometheus, induisset philosophia, e denuo ibi restagnante omnium opinionum, doctrinarumque colluvie, extrema quaedam errorum inundatio Aegyptum occupavit. f

III. *Ptolemaei fovent syncretismum.*

Quamvis vero haec perturbata philosophia maxime in Aegypto subsiderit, tamen inde rivuli quidam in Palaestinam mihi videntur fuisse deducti syncreticae philosophiae. Itaque qualis philosophia haec fuerit hebraica ea tempestate, videamus. quae duplex nobis instituenda est, iudaica, & samaritana, diviso eius gentis in duos populos imperio. Nihil autem de iis viris dicemus divino numine afflatis, qui, restituta iudaeorum civitate, oracula sacra dederint. quibus siquis philosophiam neget, det, oportet, sapientiam philosophia potiorem. qualem profecto extra sortem servant Esdrae eximiam etiam ii, qui non philosophum, sed criticum restitutorem sacrorum librorum fuisse, probant. g Qui vero Esdram semel in senatum inducunt philosophorum iudaeorum, ii ita bene, ac naviter eum faciunt philosophum, ut diebus XL. velint, scripsisse volumina CCIV. h quae aliorum opinione cabbalianam, i aliorum talmudicam philosophiam, k continerent. Sed mihi criticus nescio quis vellit aurem, ne fabulae credam.

CAP. II. *HEBRAICA philosophia in Aegypto.*

PROP. I. *Qualis Esdras philosophus.*

Ita enim accepi, ante Aristobuli tempora domicilium certum, & stabile apud iudaeos, ab exilio reduces, non habuisse philosophiam eam, quae alienam, & exoticam oleret rationem cogitandi. a coloni enim iudaei, ab Alexandro b ducti Alexandriam, a Ptolemaeo Lagida aucti, c primi fuerunt, qui assueti urbi philosophatrici, paulatim philosophari coepere. Quorum, qui primus memoriae proditus est, philosophiae deditus peripateticae, d Aristobulus fuit, praeceptor Ptolemaei, an Philometoris, an Evergetae II. e utique alicuius Ptolemaei regis praeceptor. f Quamquam vero auctor sit Aristeas, g Eleazarem pontificem disputationem instituisse philosophicam cum legatis, ad se missis a Ptolemaeo; tamen malumus Eusebio fidere, qui ab Aristobuli aetate h gentem iudaeorum, scribit, in duas sectas divisam fuisse: alteram multitudinis, quae litteris Moseos inhaereret singulis; alteram eorum, qui ad diviniorem quandam philosophiam assurgerent in sententia legislatoris interpretanda. qui, opinor, primi fuere iudaei alexandrini.

II. *Hebraici post Aristobulum syncretici philosophi.*

In

c *Strabo* XVII. *Ammia. Marcel.* XXII.6. d *Vid.lib.*IV. e *Iamblic. De Myst.Aegyp.* VIII. f *Iamblic.Vit. Porphy.Athenaeus* IV.&VII.*Marce.l.c.* g *Gundling.Hist.Phil.Mor.c.7.* h *Li.* IV.*Esdrae.*XIV.*v.46.* i *Ioan. Pic. Mirand.T.I.p.82.* k *Fabric.cons.Cod. Apoc.N.T.T.*I. a *Euseb. P.E.*VIII.*C.* 110. b *Ioseph.Ant.*XI.8. c *L.c.c.2.* d *Eus.P.E.*VIII.9. e *Fab.B.G.V.II.* f *Mac.*II. 1.*cons.* g *Ap.Eus.*VIII.9. h *Loc. cit. cap.* 10.

III. *Philo syncreticus, quam iudaeus melior.*

In quibus nemo unus omnium fuit cum Philone in ſtudio philoſophiae conferendus, is Alexandriae patre ſacerdote natus, a puero bonis artibus imbutus, in negotiis publicis iudaeorum alexandrinorum Romam bis legatus eſt. Hominis eruditio quidem philoſophica ſumma, ſacra vero vulgo habetur exigua, qui compoſuerit *i* ſententias Moſis ad ingenium Platonis. quamquam non pauca etiam decreta Pythagorae, non pauca zoroaſtreae doctrinae homo electicus doctrinae ſacrae immiſcuit. Huius ſcripta ſuperſunt plurima, in quibus eruditionem potius, & eloquentiam, quam iudicium, & ſanam invenias philoſophiam. *k*

IV. *Philonis therapeutae non ethnici philoſophi.*

Atque hic idem Philo viviſsimis coloribus, & veluti philoſophicis nobis therapeutas aegyptios deſcribit, *l* in ſolitudine, ſeparatis exiguo intervallo domibus, contemplationi legis, & allegoricae de Deo philoſophiae deditos. Sed huius loci non eſt, hiſtoriam therapeutarum perſequi, maxime cum eos non probemus, qui nobis collegium oſtendunt *m* ethnicorum philoſophorum in therapeutis. Si quid noſtri iudicii ſit, cenſemus, therapeutas illos fuiſſe iudaeos, qui, vexatis rebus ſuis publicis, in ſolitudinem ſeceſſerint, ibique multos pannos philoſophiae profanae ſacris dogmatibus *n* aſſuerint.

CAP. III. PHILOS. hebraic. in Palaeſtina.

PROP. I. *Ioſephus philoſophus.*

Iam in Palaeſtina natu maiores iudaei diſenſere ſtudiis profanis, & exemplo trahenti perniciem veniens in aevum. *o* Itaque Iudaea patrios mores publice ſervavit diu, neque unquam exemplo Graeciae tota ſe dedit philoſophiae. Nonnulli tamen iudaeorum etiam in Palaeſtina graece fuere eruditi. Ioſephus enim, qui *Flavius Ioſephus Iudaeus*, poſteaquam Flavius Veſpaſianus eum romana civitate donavit, dictus eſt; in iis principatum tenet. An. C. XXXVIII. natus, ſtudio legis a puero deditus, a Banuno ſolitario inſtitutus, apud phariſaeos nomen profeſſus, graecas artes apprime tenebat. Viam ad Poppeam Romae cum affectaſſet, charus Neroni fuit. In bello Veſpaſianus captum hominem in vinculis tenuit, quoad eventus vaticinium comprobaret, quo ſibi, Titoque portenderat imperium augur politicus. exitus illi libertatem cum reſtituiſſet, in Aegyptum ſe contulit, ubi litteris, & philoſophiae dedit operam diligentem. *p*

II. *Sadducaei quales philoſophi.*

Natae etiam in Palaeſtina ſectae, compilatis eclecticae philoſophiae placitis, fundamenta iecere doctrinae cabbalianae. Quam vero nomen deinde claruit ſectarum, tam eſt obſcura origo. *q* alii rem longius narrabunt. mihi, ut dicam paucis, quod ſentio, initia videntur repetenda a diſcipulis Antigoni Sochaei, qui ante C. N. vivebat ſeculo III. *r* cum enim hic ſuos monuiſſet, ne mercedis, & emolumenti gratia iuſtitiam, ac virtutem colerent, Zadockus, & Baithoſus in eam partem accepere magiſtri ſententiam, ut negarint, animos poſt mortem ſupereſſe, qui praemia ferrent, aut ſupplicia. Haec origo fuit Sadducaeorum. quorum factio

i *Hierony. de Scr. Ecc. Photius. Cod.* CV. k *Critici Fabric. Ionſius.* alii de Philone quaerunt, an platonicus, an chriſtianus, an B. Petro cognitus, an therapeuta, an iudaicae religionis ille fuerit ignarus. l *De Vit. Contemplat.* m *Langius peculiari Diſſert.* 1721. *Hal. Montefalconius. alii.* n *Bruck. T.* II. *p.* 787. o *Ioſeph. con. Apio.* II. *Iuſtin. Tacit.* p *Euſeb. P. E.* VIII. 9. & 10. q *Serarius. e S. I. Sigonius. alii.* r *Baſnag. Hiſt. Iud.* II. 14.

factio viris in rep. gratiosis accepta, regibus probata, populo invisa, virium sibi plurimum comparavit. Spiritus tollebat, animum mortalem faciebat, divinam providentiam labefactabat, instituta maiorum reiiciebat, solam canonicorum librorum sententiam, eamque allegorice redditam, retinebat. *s*

III. *Karaei sectarii.*

Iam vero ab antiquis temporibus alia quaedam secta *Karaeorum* erat, sive *Karaitarum*, qui *textuarii*, sive *scripturarii*, reiecta philosophica sacrarum litterarum interpretatione, fabulis profanis contaminata, corrigerent dogmata Sadducaeorum. *t* Certe VIII. Ecc. sec. vires refecit ea familia, Anano patrono, qui fabulas *talmudicas* vehementer exagitavit, ob eamque rem summo rabbinis odio fuit. Ea secta sine *orali* doctrina spiritus probat, Dei providentiam commendat, concordiam & scientiae, & auxilii divini cum hominis arbitrio tuetur. *u*

IV. *Pharisaeorum philosop.*

De origine vero sectae pharisaicae satius est fateri simpliciter, latere eius fontes, quam non concessa cum Iosepho Scaligero sumere. Certe fuit turbulenta manus, quae specie, ac professione severioris disciplinae cum populum decepisset, saepe in se principum odium traxit, saepe miris vexata modis rursus emersit, effecitque ad extremum, ut, in rabbinianam conversa sectam, una fere hodie inter iudaeos supersit. *i* Erat autem insignis illa pharisaicae doctrinae nota, *legem Oralem k* esse saluti obtinendae necessariam. Et creatorem, & rerum omnium iudicem aequissimum, & moderatorem perpetuum in omni functione esse Deum, qui animis immortalibus, & in dias luminis auras aliquando reversuris, sortem definiret pro meritis, pharisaei docebant.

V. *Esseni iudaei philosophi.*

De Essenis vero omnia, quae aut dicta sunt, aut possunt coniici, sunt in controversiam vocata. Nomen varium. Iosephus *l* Essenos, Philo Essaeos, *m* Epiphanius vocat *Ossenos*. *n* ratio, & causa nominis, multo quam nomen, incertior. *o* Ea familia, vel potius civitas solitaria tum nata videtur, cum assyrii bello iudaeos premebant. *p* quae coniectura est valde ipsa probabilis, strepitum fugisse, vimque armorum plurimos iudaeorum, & in locis desertis habitasse. Est vero, qui velit, eam sodalitatem eremiticam in therapeutas aegyptios, & essenos iudaeos fuisse discissam. quae res divinari potest, sciri non potest.

VI. *Disciplina Essenorum.*

Illa sunt paulo magis comperta, essenos ab occidenti littore asphaltidos vixisse gentem sociam palmarum, *r* sine ulla faemina, sine pecunia. Iam essenos fuisse philosophos ethnicos, non absimiles iis eorum collegiorum, quae fuere in orientis oris plurima, *s* negat conceptis verbis Iosephus, negat Philo. Equidem nihil dubito, quin esseni iudaei fuerint philosophi vita, moribusque severissimi. quos non ausim tamen in Ecclesiam Christi convocare. quamquam non valde repugnem, si quis ex iis christianos, etiam exculpat religiosos. at ab essenis non Pythagoram, sed a Pythagora multa habuisse essenos, existimem. *t*

Sti-

s *Serarius Tribaer. II. alii.*
t *Laudati a Brucker. T. II. p. 734.*
u *Morinius. Vid. Exer. Bilb. II. c. 7.*
i *Wolf. Bib. Heb. P. II.* k *Serarius* l *L. II. De Bel.* m *Quod omnis probus sit liber.* n *Haeres. XIX.* o *Vid. Serarius.*
p *Contra sentiunt Suid. Cedrenus. Serarius. Suarius III. De Religion. l. III.*
r *Plin. V. 17.* s *Langius Dis. De Essaeis. Hal.* 1751. t *Bruck. l. p. c. 779.*

VII. *Sectae minores iudaeorum.*

Scribarum ordo heic esset recensendus, si scholae philosophicae potius, quam synagogae fuisset addictus. *u* Mitto scholas synagogicas Hillelis, *x* inter iudaeos magistri clarissimi, multisque fabulis ornati, qui de natura nihil, de lege mosaica assiduo disserebat. mitto Schamaium, qui ab Hillele praeceptore cum defecisset, magnam nominis celebritatem est assecutus. *y*

CAP. IV. *IUDAEI philosophi in exilio.*

PROP. I. *Scholae.*

Hierosolyma vero aequata solo, postquam victor insolens muris impressit aratrum, sine sede vagata & gens universa, & religio obsoleta, & insaniens cabbala iudaeorum, peperit immensam dissertationum segetem iis eruditis, qui lucem rebus desperatis se ferre posse confidunt. Nobis non licet tam esse otiosis, qui & scholas, & libros classicos, & summam cabbalae iudaicae indicabimus. Prima iudaeorum schola est Iamniae *a* erecta. at quae paulo post Tiberiade congregata est, ubi, si Buxtorfio fides, *b* Masoretharum collegium viguit, *Talmud Hierosolymitanum* composuit. longe nobiliores, Bitterae, Diospoli, Caesareae, Sephoride, aliae academiae. quae omnes suos dedere rabbinos iudaeis.

II. *Libri Talmudis, & Gemarae.*

Iudaeorum libri nobiles fuere volumina & *Talmudis*, & *Gemarae*, quorum controversa est origo. *c* Maimonides certe quidem auctor est, *d* Iehudam annos totos quadraginta insumpsisse in institutis, ritibus, caeremoniis, traditionibus compilandis, & digerendis. quod hominis studium importunum evenisse videtur ad an. C. N. CCXX. *e* At cum obscura esset collectio *Mischnica*, sive *Talmudica*, multi rabbini symbolas suas in ea illustranda contulere, quibus coaluit *Gemara*, (sic enim vocant corpus illud rituale, illustratumque) *Hierosolymitana.* f

III. *Cabbala, Libri creationis, & splendoris.*

Iam ad florem delibatum *cabbalianae* philosophiae veniamus. incerta quidem vocis origine, *g cabbala* dicta est ea pars doctrinae iudaicae, quae de rebus ageret divinis, quasi vel theologiam diceres, vel scholastica voce *metaphysicen rabbinicam.* Cuius origo ab eo tempore repetenda princeps est, cum Iudaea coepit, sacras litteras allegorica, & syncretica sententia exponere. Primis vero Ecclesiae seculis tota allegoriarum collectio comprehensa est duobus libris, veluti pandectis cabbalianis, qui etiam hodie supersunt, *Creationis*, & *Splendoris.* h De quorum & auctoribus, & sententiis impiis, & quisquiliis iudaicis, (me enim pudet, ac piget quisquiliarum iudaicarum) consulet Bruckerum in hac parte se ipso prolixiorem, quisquis eas volet ad unguem sectas, atque divisas. *i*

CAP. V. *SAMARIana philosophia.*

PROP. I. *Ante Simonem non philosophata Samaria.*

Samariana sapientia veluti caput visa est attollere in Simone Mago, illiusque discipulis. quae qualis ante in exilio decem tribuum fuerit, ecqua etiam fuerit, explorari non potest. divinant enim, qui scribunt, exules in Media hebraeos civitatem per se constituisse, in qua institutio quaedam, ac veluti philosophia patria constaret. mentitur autem ille circulator *Menasses Benisrael*, qui fabulam secutus Antonii Montezinii iudaei lusitani scripsit, decem hodie tribus manere in America. *l*

Insaniens enim sapientia *m* samariana est a principe magorum Simone

u *Basnag.l.III.Serarius.* x *Wolf.B.H. P.I.* y *Loc.cit.* a *Wolf.P.II.* b *Com. Masoretico.* c *Wolf.l.c.Morin.Exer.B. II. 6.* d *Praef. ad SADCHASAKA.* e *Wolfius Basnag.* f *Buxtorf. Morin. Wolfius.alii.* g *Cit.* h *Wolf.B.H.p.I.* i *II.p.667.* k *Basnag. l.c.* l *Bruck. l.c.* m *Idem p.667.*

ne repetenda: quem in Aegypto operam litteris dedisse, reversumque in patriam ex disciplina chaldaica errores suos disseminasse, satis est simile vero. se *virtutem* Dei, se magnum humani generis liberatorem *n* esse dicebat. quasi vellet, se primam esse aeona, a Dei plenitudine profectam; sive τὸν λόγον platonicum: Helenam vero suam, scortum impudicissimum, esse Minervam, sive Εννοιαν, quam ipse iniuria affectam, in libertatem asseruisset. mitto caetera placita e philosophia zoroastrea. *o*

II. *Simon magus chaldaicus philosophus.*

Est autem grassata maxime eo tempore natio quaedam, atque adeo haeresis ab Asia, & Oriente profecta, quae non modo ethnicam Graeciae, & Alexandriae sapientiam commacularet; sed Christi etiam doctrinam impie, ac nefarie pollueret, incesta quadam copulatione philosophiae zoroastreae. Eius sequaces B. Paul. Ap. notabat, *p* Simonem, Nicolaum, Menandrum, Basilidem, Saturninum, eosque haereticorum duces, quos gnosticos appellavere. *q* Auctor est quoque Porphyrius, *r* fuisse christianos eo tempore multos, cum alios, tum haereticos ex *ANTIQUA PHILOSOPHIA*, Adelphii, Aquilinique sectatores. Auctor Theodotus valentinianus, *ſ* viguisse eo tempore doctrinam orientalem.

III. *Zoroastrea philosop. initio Ecclesiae.*

CAP. VI. *ECLECTICA Potamonis philosophia.*

PROP. I. *Aetas Potamonis.*

Iam ad ipsos graecos alexandrinae commixtionis auctores veniamus. Potamo dictus est *e* conditor novae philosophiae, conciliatricis omnium dissensionum philosophicarum. Ne quaere plura, nisi libeat immensas ingredi lites de aetate Potamonis. *f* qui, ut rudi dicam Minerva, videtur initio seculi Ecclesiae III. magnae pacificationi manum admovisse. At brevi Potamonis schola desiit, nisi velimus Ammonium Saccam, qui fere eodem tempore eidem sese accinxit foederi philosophico, in rem suam transtulisse inventa Potamonis. *g*

II. *Ammonius Sacca succedit Potamoni reformatori.*

Ammonius ergo patria alexandrinus, cognomine *Sacca*, *h* ab eo viliore officio, quod faciebant saccarii, *vir* θεοδίδακτος, praecipuis quibusque, & maxime necessariis dogmatibus concordem esse Platonis, & Aristotelis philosophiam demonstravit; sicque philosophiam a contentionibus liberam suis discipulis tradidit. Hoc testimonium Hieroclis. *i* At quem dicat Ammonium? Porphyrius *k* vult, illum arbitrum pacis philosophicae fuisse e religione Christi transfugam ad cultum deorum.

III. *Ammonii dubia religio.*

Eusebius, *l* aliique patrum una cum catholicis compluribus mendacii accusant Porphyrium: Ammonium eclecticae sapientiae auctorem numquam ab Ecclesia, aiunt, defecisse. Isti eruditi homines e Septentrionibus seiungunt Ammonium Saccam, quem & Christi desertorem, & philosophorum conciliatorem faciunt, ab Ammonio illo Eusebii, qui Μονατέσσαρον, concordiam scripsit Evangelistarum. *m* Vellem sane, Franciscus Baltus Vir e Soc.Ies.Clar.potuisset, hos eruditos in ammoniana discordia *n* facere ec-

n *Act.Ap.*VIII.*Iustin.Ap.*II. o *Beausob.Hist.Manic.Cudwrt. Syst. Int.ibique Moshemius.* p *Ad Tim.*I.6.*Ad Colos.* II.8. q *Philastrius Haer.*XXXI. *Irenaeus.Epipha.* r *Vita Plotin.*16.*Eunapius.in Aed.* ſ *Apud Fab.Vol.*V.*p.*135. e *Laert.* I. 21. *Suid. in Haeresis. in Potamon.* f *Bruck.* II. *p.* 149.

g *Porphy.Vit.Plotini.Theodor.* h *Suid. Vales.ad Am.Marcel.* XXII. *Fab.B.G.* *V.*III.*Photius.Cod.*CCIV.
i *Photius.l.c.* k *Eus.Hist.Ecc.*VI.19. *Nicephor.V.*3. l *Loc.c. Hieron.de Scrip. Ecc.*55. m *Vid. Fab. B. G. V.* IV.
n *Defens. des. SS. Peres.* I. 3.

lecticos. ego in media caufa eclecticae philofophiae cogito τὴν ἀποχήν.

IV. *Longinus Ammonii difcipulus.*

Itaque & hac controverfia relicta, & illa, quo vel propofito animi, vel bono ea fit inftituta concordia, Ammonius cum ad an. C. N. CCXLIII. vitae finem impofuiffet, clarifsimos reliquit difcipulos, eofque plures. *o* In his Longinus erat, incertum, utrum philologus praeftantior, qui dictus eft ἡ βιβλιοθήκη ἔμψυχος; *p* an philofophus, qui nullum praetermifit fapientiae laude clarum, quem non audiret virum. Malchum poftea Porphyrium docuit, Zenobiam item palmyrenorum reginam: quae deinde ab Aureliano Imperatore capta, cum inter confiliarios nominaffet magiftrum Longinum; is iuffus eft duci in fupplicium. *q* Alii fcripta Longini plorent amiffa; fragmenta in aftra ferant fublimia.

V. *Herennius & Origenes proditores arcanorum Ammonii.*

Herennius quidam Ammonii difcipulus arcanam Ammonii philofophiam, contra quam promiferat, vulgavit. Origenes itidem praeceptoris dogmata prodidit. Multa funt difcrimina huius, & Adamantii Origenis, quae non vidit Cafimirus Oudinus. illud maximum: quod hic modo *De Daemonibus*, & illud παράδοξον, ὅτι μόνος ποιητὴς ὁ βασιλεύς. *Quod Rex fit folus Poeta*, fcripfit; At Origenes Adamantius plura reliquit monumenta. *r*

CAP. VII. *ECLECTICA Plotini philofophia.*

PROP. I. *Plotinus Romae habet fcholas.*

Famofus ille Plotinus, heres ex affe phlilofophiae eclecticae, vel platonicae reformatae alexandrinae, in Aegypto natus Lycopoli *f* anno poft Chrift. N. CCV. numquam non modo patriam, fed ne diem quidem natalem, ne feftus fibi mortuo a fuis dicaretur, indicavit. auditis Alexandriae omnibus ex ordine philofophis, tandem ad Ammonium ductus ab amico, *hic eft*, inquit, *ille*, *quem quaerebam*. Imperatori Gordiano comes parthos adiit, animo difcendae philofophiae magorum. multos habuit difcipulos: multa etiam, quae hodie fuperfunt, omnia prope metaphyfica, fcripfit; aut potius informavit, quae Porphyrius lambendo, & limando expolierit. *t* Vita omnis Plotini, ut dicam quod fentio, digna eft magno impoftore, magnoque fanatico. *u*

II. *Amelius Plotini difcipulus*

Nofter hic Hercules non repurgavit quidem, fed ubique foedavit antiquam philofophiam. Amelius Plotini difcipulus Tufcus, *d* prius ftoicum Lyfimachum audierat, quam fe daret Plotino, quocum vixit poftea annos XXIV. inftituendum. quaefitis difcipulorum a Plotino iuffus refpondebat. plagio accufatum magiftrum, velut Numenii compilatorem, edito libro *De Differentia Doctrinae Plotini a Numenii difciplina*, defendit. Multa fcripfit, condifcipulus Porphyrii gemellus. *e*

III. *Porphyrius Plotini fidus Achates.*

Porphyrius autem in ifta reformata Platonis philofophia coriphaeus, tyrius vulgo habetur, *f* Hieronymo, *g* & Chryfoftomo *h* dictus bataneotes, aliis Bataneae, five Bafani in Palaeftina natus, iudaeus; aliis tyrius Bataneae ortus, quo tyria deducta effet colonia. *i* quae dicendae fententiae moderatio mihi fatis placet. Caefareae puer audiffe dicitur Originem Adamantium. Longinum quoque audiit, a quo eft ad omnem eruditionem informatus: *k* Romae Plotinum, cui fidifsimus fuit Achates.

Mor-

o *Citat.* p *Eunapius.* q *Vopifc. in Aurelian. alii.* r *Fabric. Ionfius.* f *Fab. B. G. V. IV. & ad Porphyr. Vit. Plotini.* t *Porphyr. Vit. Plotini C. 4.* u *Bruck. II. p. 227.* d *Suid. Porphyr. Eunap.* e *Citati.* f *Ipfe. Vit. Plot. 8.* g *Praef. ad Galat.* h *Hom. VI. ad I. Corin.* i *Bruck. T. II. p. 240.* k *Vit. Plotin. citati.*

Mortuo praeceptore, Romae philosophiam publice professus est. De religione eiurata a Porphyrio res neque liquet satis, & omnino ad Ecclesiae, non philosophiae pertinet historiam. *l* Quae edidit scripta, si Eunapium audias, praestantissima, tantum non omnia periere. quae vero male supersunt, *m* mihi sane parum probantur, in quibus ingenii satis, sophisticae argutiae plusquam satis, fidei parum, iudicii gravis, atque subacti fere nihil apparet. Quae adversus Christi remp. edidit, scripta hostes Porphyrio auctori Ecclesiae PP. peperere.

IV. Patria, religio, doctrina Porphyrii.

CAP. VIII. *IAMBLICI philosophia eclectica.*

PROP. I. *Iamblici patria, & philosophia theurgica.*

Dignissimum se Iamblicum discipulum habuit Porphyrius, *n* nobili genere Chalcide Coelesyriae natum. Initio usus est Alexandriae Anatolio praeceptore peripatetico, an laodicensi episcopo, an alio iuniore, cuius ipsius sint fragmenta fabriciana de *Sympathiis*, & *Antipathiis*. *p* Furorem, & odium Iamblici in religionem Christi compressit Constantinus ille Magnus, qui Christo cum sacramentum dixisset, philosophos istos theurgos arcte habuit. *q* Iamblicus non docuit Plutarchum Nestorii filium, non Proclum, non Iulianum imperatorem, *r* nimio se iuniores. Multa scripsit, quae fere ab aliis compilavit. *s*

II. Aedesius, Eustathius, Sosipatra, Antoninus a Iamblico philosophi.

Aedesius, Iamblico mortuo, Pergami docuit in contubernio, quas artes mentiendi divinam familiaritatem a Iamblico didicerat. de quo plano, & fanatico plura mendacia, quam verba Eunapius habet. Idem portenta narrat, & de Eustathio cappadoce Iamblici discipulo, aedesianae scholae successore, ad Saporem misso legato, homine apprime mago; quae magus credat aliquis: & de Sosipatra, quam doctam a geniis, sive peregrinis chadaicae theurgiae peritissimis, & digno coniunctam viro Eustathio, & Antonini parentem, miris modis facit: & de Antonino, quem ad ostium canopicum Nili vetitas artes philosophiae chaldaicae adhibentem, *sacris, divinisque sese dantem*, inducit: & de Eusebio Myndio, qui docuit Iulianum apostatam, ab Aedesio ad se missum.

III. Eusebius, Chrysanthius, & Maximus theurgiam docuere Iulianum.

Hic Eusebius, qui ex sententia Plotini tollebat commercium cum spiritibus minoribus, sese parum Iuliano, nato ad omne genus praestigiarum, probavit. qui ad Chrysanthium, atque Maximum, cum ex Iamblici dogmate purgationem anagogicam, & theurgicam illi tenerent, totus abiit. *a* Ergo Maximum Ephesium, *virum ingenti nomine doctrinarum* Iulianus *b* Nicomediae audiit, *c* a quo in christianos odio imbutus est.

IV. Iidem Iuliani Imper. contubernales perniciosi.

Et Maximus quidem, omnium malorum caput, qui Iuliano auctor cum esset, ut bellum persicum susciperet, animam Alexandri Macedonis in Iulianum migrasse, heredem eiusdem gloriae, dicebat; suis consiliis religionem Christi evertendam per apostatam imperatorem curavit. post mortem vero Iuliani omni tormentorum genere vexatus non semel, ad extremum Ephesi obtruncatus est. *d* Aedesii discipulus Priscus, Iuliani contubernalis, patria thesprontius, mortuo apostata theurgiae crimine absolutus, in Graecia diu vixit, servata fide ammonianae scholae. *e* Chrysan-

l *Vid. Socrates* III. 23. *Niceph.* X. 36. *alii.* m *Fabr. B. G. Vol.* IV. n *Suid. Eunap.* o *Vales. Vid. ad Euse.* p. 158. p *Fab. B. G. V.* IV. q *Eunapi.* r *Olearius. De Philosoph. Eclecticis.*

s *Kuster. Praefat. ad Iambl. Vit. Pythag.* a *Eunapius.* b *Amm. Marcel.* XIX. 4. c *Sozomen.* V. 2. *Theodoret.* II. *Eunap.* d *Citati.* e *Eunap.*

ſanthius vero, qui a Iuliano vocatus, vetante oraculo, in regiam venire noluiſſet, Lydiae deorum pontifex ab eo creatus, ſine ſtrepitu, & invidia ſacra deorum reſtituit. Iuliano mortuo, pontificatu exutus, Athenis ad multam ſenectutem, veluti antiquae religionis unicus conſultus habitus eſt. Eunapium inſtituit, ipſe ab Aedeſio inſtitutus.

V. *Iuliani Imperatoris philoſophia theurgica.*

Iam Iulianus imperator Chriſti proditor, unus ſatis ſuperque demonſtravit, quid eclectica poſſet philoſophia. Is, (ut philoſophum, non imperatorem memoremus) Conſtantii cura eductus, doctores chriſtianos habuit. Ne Libanium ſophiſtam audiret Iulianus, *f* cavit Conſtantius. tamen Nicomediae a Maximo *g* ſuperſtitioſus ille adoleſcens totus eſt corruptus. Athenis cum deinde philoſophiae vacaret, nihil vel in doctrina magiae, & veneficii; vel in religionibus, atque initiis fuit ſuperſtitionis, quod animo hianti, ac patulo non ebiberet Iulianus. Creatus Caeſar belli cauſa, quod proſpere in Galliis adminiſtravit, ſtipatus philoſophis, ac magis incedebat. Imperator vero ſalutatus, dici vix poteſt, quanto ſtudio & philoſophiam, & philoſophiae germanam ſuperſtitionem ſit profecutus. Multa ſcripſit, in quibus ſpirat foetor, ac male olens commixtio doctrinae pythagoreae, zoroaſtreae, atque platonicae. *h*

VI. *Eunapius, & Hierocles, eclectici.*

Huc pertinet Eunapius, qui eclecticus platonicus libellum edidit de *Vitiis Sophiſtarum.* Is natus Sardibus nobili loco *i* Chryſanthium a puero audiit, deinde Athenis Proaereſio, philoſopho chriſtiano dedit operam, *k* qui condiſcipulis interdixerat, ne novitium Eunapium ſolitis iam inde a Pythagora dicteriis, quibus hodie etiam locus eſt in academiis, inceſſerent. Athenis omnibus eſt initiatus myſteriis. Ad extremum Hieroclem, patria alexandrinum, qui *l* Alexandriae quoque eclecticam eſt philoſophiam profeſſus; auctor eſt Photius, *n* ad inſaniam adamaſſe concordiam Platonis, Ariſtotelis, aliorumque philoſophorum. Commentarios Hieroclis habemus in *Aurea Carmina* Pythagorae. *o*

CAP. IX.

ECLECTICA philoſop. Procli.

PROP. I. *Athenis coepta doceri philoſophia ammoniana per Chryſanthiū, & Plutarchum.*

Platonem Athenis, ubi vix umbra manebat iam priſtinae philoſophiae, *p* reformatum paucis exponamus. Chryſanthius privata opera primus docuit Athenis alexandrinae philoſophiae concordata myſteria. Plutarchus athenienſis Neſtorio patre natus, Chryſanthii diſcipulus, *q* exeunte Eccleſiae ſeculo IV. publice tradidit Athenis ammonianam, & plotinianam ſive philoſophiam, ſive magis theurgiam. Multos ille cum habuiſſet diſcipulos, in iis *ſ* nemo cum Proclo fuit conferendus. Reliquit filiam Aſclepigeniam, quae ſola Procli tempore ſervabat, per patrem ſibi traditam, orgiorum, univerſaeque diſciplinae theurgicae notitiam. *t*

Plutarchus ſenex ſibi heredem rei platonicae legit Syrianum, Alexandriae natum patre Philoxeno, *u* pacificatorem non modo philoſophorum, ſed poëtarum etiam in libro *De Conſenſu Orphei, Pythagorae, & Platonis*, & in *Commentario in Orphei Theologiam.* x Diſcipulos plurimos *y*

quibus

f *Socrates. Sozomenus. alii.* g *Eunapius.* h *Dionyſius Petavius e So. I. edidit Pariſiis Iulianum notis illuſtratum, anno* 1630. i *Phot. Cod.* LXXVIII. k *Eunap. in Aedeſio.* l *Fabric. Bib. Graec. Vol.* VIII. n *Cod.* CCXIV. o *Baltus.* III. 18. p *Philoſtrat. Vit. Sop.* II. 2. *& ibi Olearius.* q *Marin. Vit. Procli.* 12. *Suidas.* ſ *Syneſ. Ep.* 17. t *Citati.* u *Suid. Marinus.* x *Fab. V. VIII.* y *Photius. Cod.* CCXLI. *Suid.*

quibusdam tirocinii, parvisque mysteriis ad ipsam Platonis duxit sacram disciplinam. z Habemus ab eo *Commentarium in Metaphysicos Aristotelis Libros.* Multa somnia narrantur de Syriano, quae alexandrinus aliquis credat, non ego. *a* Reliquit disciplinae successorem charissimum Proclum, quos duos tanta tenuit vivos amicitiae constantia, quam ne fata quidem ruperint. *l* condi enim Proclus eodem voluit monumento.

II. *Syrianus successor Plutarchi.*

Hic vero Proclus veluti deus habetur aliquis a Marino, *m* qui scripsit eius vitam, ubi plaustrum mendaciorum. Proclus gente lycius, Xanthi natus an. C. CDXII. illustri loco, Alexandriae penitus dedit se philosophiae reformatae, doctore Olympiodoro. Athenas deinde cum venisset, adiit Syrianum, a quo ductus ad Plutarchum Nestorii filium, ab hoc in disciplinam, & amorem receptus est. *n* hunc moriens Plutarchus in manum dedit Syriano. Quid plura? talis, tantusque & ingenio, & doctrina, & moribus erat, ut a Syriano & successor, & heres sit institutus eorum bonorum amplissimorum, quae legaverat Plutarchus scholae atheniensium platonicorum.

III. *Proclus in ea insanienti sapientia princeps.*

Iam dici vix potest, quam is multa fecisse dicatur a Marino, malae fidei laudatore: quae omnia artes, & purgationes, & somnia alexandrina olent. *o* Discipulos habuit complures, Heliodorum, & Ammonium, Hermae filios; Hierium Plutarchi, aliosque. In scriptis suis, quae habemus nonnulla, *p* misere foedavit antiquorum dogmata, dum hermetica, orphica, zoroastrea, aristotelea, platonica, christiana etiam perturbat, atque confundit. obiit senex an. C. CDLXXXV.

IV. *Discipuli Procli.*

Marinus autem, natus in urbe Palaestinae, cui Flavia Neapolis nomen, quaeque olim *Sichem* dicebatur, *q* a samaritano & ethnicus, *r* & Procli discipulus, & successor factus est. plura scripsit, charus Proclo cum primis. Cum *catennam* (sic enim vocabant scholae successionem) Marinus, qui se ea praefectura abrogare cogitaverat, vellet connectere, in locum suum sibi Hegiam suffecit eum, cui olim Proclus oracula chaldaica praelegerat. quo recusante munus, Isidorum scholae praefecit. Isidoro vero Alexandriam obeunti datus successor Zenodotus.

V. *Marinus Proclo successit.*

Vix autem erat, qui volens eam scholam teneret. Isidorus certe Gazaeus, Gazae in Palaestina natus, *s* Alexandriae infandis theurgiae disciplinis initiatus ab Asclepiodoto, deinde in schola Procli ad omnem ἐνθουσιασμὸν eruditus; noluit familiam procleam ducere Athenis. *t* Alexandriam regressus magno in honore habitus est. Hypatiae maritus non fuit. Isidorus cum grege philosophorum transiit ad persas, Iustiniano vetante, ne philosophia Platonis reformata traderetur. At composita pace rediit, facta potestate suo more, modoque philosophandi. socius erat Damascius in Syria natus, perdite platonicus, cuius scripta habemus. *x* Atque heic cursum veluti repressit theurgia platonica, cum deinceps omnia barbaries depopulata fuisset.

VI. *Isidorus Gazaeus abdicat se praefectura scholae atheniens.* *Eclecticae finis scholae.*

BAR-

z *Marin.c.*13.a *Cit.* l *Suid.alii.* m In libro, cui titulum *De Felicitate* fecit. n *Vid.Fab. in Vitam Procli. Amburgi.* 1700. o *Bruck. T. II. a p.* 319. p *Fab.B.G.V.III.* q *Fab.Prolog. Vit. Procl.* r *Suidas.Phot. Cod.*CLXXXI. & CLXXXII. s *Vitam Isidor.a Damascio scriptam habet Photius. Cod.* CCXXXI. & CCXLII. *t Photius. Sui.Bru.II.p.*244. x *Fab.B.G.V.VIII.*

BARTHOLOMAEI POVII E SOCIETATE IESU INSTITUTIONUM HISTORIAE PHILOSOPHICAE

LIB. VII.

DE PHILOSOPHIA CHRISTIANA.

CAP. I.
INVIS A Ecclesiae philosophia.

PROP. I.
Quo iure philosophia dicatur christiana

II.
A[illegible]orum somni[illegible] de educatione Servatoris.

SI quis est, qui forte miretur, id, quod aestate proxime superiore accidit, cum meae Institutiones, iam prope a me confectae, & retractatae in manus cuiusdam scioli venissent, qui saepe abortum curavit novis scriptoribus, semper nova scripta exponenda existimavit, me hanc partem historiae philosophiam dicere christianam: is, si animadverterit, & vitam ex Christi praeceptis, dogmatibusque actam, veram fuisse dictam, germanamque philosophiam ab antiquissimis Ecc. magistris; *a* & eos appellatos philosophos, qui disciplina christiana, *b* praesertim illa severiore *c* usi fuissent; mirari profecto desinet, maxime cum iam inde usque a II. Ecc. sec. graeca philosophia correcta fuerit, & veluti christianis initiata mysteriis.

Et vero dicere mihi licebit, Christum, Christique discipulos, diviniore quadam philosophia ornatos, pro nihilo cum haberent humanam philosophiam verborum divitem, recte factorum inanem, vel philosophos eximios, vel philosophis fuisse sapientiores. Illas quidem divitias sapientiae, quibus Christus afflueret, proferant theologi. ego vero ridebo fabulas *d* de ludo litteratoris Zachaei, quo puer Iesus ventitaret; de altercatione cabbaliana, quam in templo hierosolymitano cum illis doctoribus Christus puer habuerit. ridebo Lucianum, *e* qui fecit Chri-

a *Clem. Alex. Strom. I. Salvianus de Gubernat. Dei IV.* b *Clem. Alex. Strom. II. & IV.* c *Euse. Hist. Ecc. II. 16.*

d *Cod. Aproc. N.T. T.I.p.* 168. *edit. Fab.*
e *In Pereg.*

Christum sophisten: Ioan. Clericum, qui sententias, locutionesque platonicas in Evangelio invenit. *g*

III. *Christi philosophia humana maior.*

Quae cum video, haud equidem assentior Iacobo Bruckero, qui Patris Sapientiam, dum ea in terris versaretur, non dignatur splendore philosophiae, *h* aut certe in ea re nescio quid, maligne quaesita oratione, significat. Quasi vero supra sortem beatissimam, ac divinam Christi animae fuisset rerum philosophicarum cognitio. quam si non didicerat in exedris philosophorum; quem olim Ecc. PP. errorem refutavere: non propterea non acceperat ab ipso sapientiae Spiritu plenissimam. *i*

IV. *Apostoli nulla profana dogmata philosophorum edocti.*

Iam Apostoli, & viri apostolici, & discipuli, antiquissimi illi christianae Reip. doctores, cum a philosophis ipsi habiti sunt imperiti, tum vero ab ipsis philosophi fuere saepe sententia sua notati. *k* Quid? Ergone ignari erant naturae? Imo vero a Deo ipso erant res divinas, & humanas, causasque earum rerum penitus edocti. Non enim insanire lubet, *l* B. Petrum ex Academia sibi sumpsisse supplicium Dei in angelos perfidos. Non illa B. Iacobi verba, *m* τὸν τροχὸν τῆς γενέσεως, *rotam nativitatis nostrae* compilata deliro an e sodalitio pythagoreo, an e porticu Zenonis: quae propagationem, & seclum hominum, non illam ἀνακύκλησιν, & rerum deperditarum circulum, reditumque aliquando futurum significant. Non impie sentio, B. Ioannem Evangelistam, τὸν λόγον, *Verbum*, Trinitatemque a Philone Iudaeo didicisse. *n*

V. *Apostolis florem delibatum philosophiae largitus Deus.*

Heic etiam praetereo eorum sententiam, qui Paulum nondum christianum faciunt insignem philosophum, *o* & Tarsi, ubi viguit Philosophia, & Hierosolymae ad humanam sapientiam eruditum, & assiduo platonico more philosophatum. Illud urgeo, cum ea auspicia a Deo sumpsissent apostoli, quibus bellum inferrent insanienti sapientiae, eos non potuisse non esse sapientissimos. cum de Deo, rebusque humanis essent continenter disputari; cum rerum fabricationem, Dei providentiam, studium solidae, germanaeque virtutis inter homines asserturi; iis profecto artibus ab spiritu divino fuisse erudiendos, quibus omnis contineretur sapientia.

VI. *Apostolici viri profanae philosophiae inimici.*

Viri autem apostolici, qui, quo propius aberant ab ipso Ecclesiae magistro, doctrinam eo magis puram, & illibatam acceperant; abhorruere vehementer a profana philosophia; atque eo vehementius, quo pleniora insanientis doctrinae scripta ab scholis eclecticorum profluere eo tempore videbant. *p* Quo factum est, ut quae supersunt primi seculi christiani legitima monumenta, simplicitatem quandam, remotis phaleris, olere videantur. Et tamen is candor nativus primorum christianorum micabat, ea florebat philosophia, ut multos seculo II. ad se traheret philosophos. maxi-

g *Bib. Univ. X. pag.* 402. h *T.* III. *p.* 255. i *Orig. contra Cels.* VI. k *Act. Ap.* XVII. *Ad Eph.* IV. *Ad Colo.* II. *alibi.* l *Vox B. Petri* Ταρταρώσας. *Epis.* II. *c.* 2. *v.* 6. dicitur a Iac. Vvindeto indicium esse eius plagii. *De Vita functor. statu. Sec.* XIII. Quid aliud est insanire, si hoc non est? m *III.* 6. n *Heic impium se dedit Ioan. Clericus Com. in Evang. Ioan.* o *Horn. H. Phil. V.* 3. p Exempla plura dabit *Pseudohermas.* de quo viden. *Bellarminus De Script. Ecc. p.* 24.

maxime cum iis temporibus profana ſapientia omni errorum colluvie defoedata eſſet, omnique vitiorum genere corrupta. Quam rem plurimum valuiſſe ad philoſophos chriſtianis adiungendos, teſtatur de ſe Antonius quidam philoſophus in eo carmine, quod Paulini nomine primus edidit Lud. Ant. Muratorius *q*

Diſcuſsi, fateor, ſectas Antonius omnes,
Plurima quaeſivi, per ſingula quaeque cucurri,
Sed nihil inveni melius, quam credere Chriſto.

VII. *Nulli non infeſti ſectae philoſophiae primi chriſtiani.*

Iam ii fidiſsimi philoſophiae profanae deſertores, e philoſophis Chriſti milites, nulli philoſophorum familiae bellum non intulere, quo ingentes ediderint ruinas. Non licet ſingulos adducere teſtes, quos ante Franc. Baltus excitavit. *r* Ac ne Platoni quidem pepercere, tantum abſuit ut vellent eſſe, & haberi platonici. Antonius enim ille Muratorii *ſ* canebat:

Sunt & ſectantes incerti dogma Platonis,
Quos quaeſita diu animae ſubſtantia turbat,
Tractantes ſemper, nec definire valentes.
Unde Platonis amant deſcribere librum,
Qui praeter titulum nil certi continet intus.

Cogor heic etiam multa praeterire, quae dabunt Tertullianus, Lactantius, Cyprianus, Prudentius, Auguſtinus, omnium vero copioſiſsime graeci Eccleſiae PP. *t*

VIII. *Eclectica nutrix errorum abalienavit chriſtianos.*

Et vero aliter fieri non poterat, quin inviſa ea eſſet philoſophia, quae Chriſti doctrinam ſaepe turbaſſet commiſtione dogmatum ſuorum. Unus Valentinianus II. Eccleſiae ſeculi haereticus, ſatis ſuperque errorum ex philoſophia & Orientis, & Aegypti, & Cabbalae, & Graeciae peperit, quamobrem Eccleſiae PP. philoſophiam eo tempore praeſtigiarum, & fraudum pleniſsimam inſectarentur, *u* quae graviſsimos quoſque ſcriptores ethnicos etiam infenſos haberet. *x* At, quod nemo non videat, Eccleſia non philoſophiam veram, atque genuinam, quam ſervabant ii, qui e porticu Zenonis, ſcholiſque graecis ad porticum Salomonis, & conventus chriſtianos tranſierant, condemnabat.

CAP. II. CHARA Eccleſiae philoſophia.

PROP. I. *Chriſtiani philoſophiae laudatores.*

Itaque cum non philoſophiae uſus, ſed abuſus fuiſſet in Eccleſia reprehenſus, ſatis cito ſuos habuit Eccleſia philoſophos. Clemens enim Alexandrinus *y* nimius eſſe videtur philoſophus in cumulandis philoſophiae laudibus. Hieronymus vero *z* adductis clariſsimorum in Eccleſia virorum Origenis, Methodii, Euſebii, Apollinarii, Quadrati, Clementis Alexandrini, aliorumque exemplis, non modo patrocinium ſuſcipit philoſophiae, ſed eius cauſam obtinere videtur. Taceo Baſilium, qui adoleſcentes ad philoſophiam hortatus eſt eo ſermone, quem habuit *De utilitate ex libris ethnicorum percipienda.* Taceo Nazianzenum ita de ſe canentem: *a*

Sola

q Eius libri mihi copiam primum Cervariae fecit ὁ πάνυ *Fineſtreſius*, qui de *Paulino* ſcriptore dubitabat. Vid. Murator. T. I. Theſau. Anecd. *r* *L. c. lib. I. & II. & III.* *ſ* *Loc. cit.*

t *Apud Fra. Baltum.* u *Dionyſ. Petav. Proleg. T. I. Baltus, alii paſsim.* x *Sextus Empiricus.* y *Strom. I.* z *Ep. 84.* a *Carmin. I.*

Sola meum ardenti pectus stimulavit amore
Doctrina, argolicae quam gloria gentis Athenas
Quaesivere....

Taceo Gregorium Thaumaturgum, qui Origenem *b* satis laudare non posse videtur, *quod innumeris se, & condiscipulos vocibus ad philosophiam instigaverit.*

Et vero status Ecclesiae seculo II. omnino viros in philosophia versatos requirebat. erat enim cum philosophis contendendum; *c* erat honeste serviendum auribus catechumenorum, qui, more recepto, eloquentia delectabantur; *d* erant denique extorquenda arma ab eorum hostium manibus, qui specie doctrinae, ac philosophiae inflati, simplicitati christianae sapientiae insultabant. *e* Quo factum est, ut, cum scripta seculi I. Ecc. non valde se eloquentia commendassent; quae secutis sunt edita seculis, una cum robore fidei, nitorem quemdam humanae sapientiae ostenderent. *f*

II. *Causae receptae in Ecc. philosophiae.*

At illud intererat inter Ecclesiae philosophos, & profanos, quod hi servirent, illi philosophiae imperarent. nostri enim sapientiam secularem propter eloquii venustatem, & membrorum pulchritudinem de ancilla, atque captiva israëlitidem faciebant. g quam Nazianzenus, Christi *h*

Ante pedes humilem, pronamque iacere, coëgit.

III. *Facta Fidei ancilla philosophia.*

Et vero valde necessaria iis temporibus ea moderatio erat. nutabant enim *i* plurimi, ac maxime, qui litterarum aliquid attigerant. *philosophi,* ait Lactantius, *& oratores, & poëtae perniciosi sunt, quod incautos animos facile irretire possunt suavitate sermonis.* Quo fiebat, ut omnes eius aetatis philosophi non sine delectu, censuraque profanae doctrinae philosopharentur. *k*

Itaque nullius in verba iurati Ecclesiae philosophi, & Platoni litem movere, & Epicurum execrari, *l* & Aristoteli non bene *m* cupere, si non omnes, at non pauci certe erant soliti. At parum est, prae quam criminati sunt nonnulli omne genus sectariae, addictaeque philosophiae, quam *cum maximo malo, & ad hominum perniciem* profectam a maligno aliquo inventore, in vitam venisse, existimarent. *n*

IV. *Sectaria male habita philosophia.*

CAP. III. *ECLECTIca Ecc. philosoph.*

PROP. I. *Causa eclecticae philosoph. probandae.*

Quam ergo, dicat aliquis, christiani illi philosophi servavere rationem sapientiae? non aliam sane, quam delectum quemdam veritatis; quam, ut cum Clemente Alexandrino *o* loquar, ἐκλογήν. nam semina quaedam veritatis, vel traditione quadam profecta a Dei testimoniis, vel interna luce Verbi (τῦ λόγυ) *p* monstrata, per omnes, volebant, esse dispersa philosophorum familias; quae spinis suffocata cupiditatum, non ante laetum inter philosophos fructum ferre potuissent. *Pene universam*, inquit Lactantius, *veritatem per philosophorum sectas esse divisam. totam veritatem, & omne divinae religionis arcanum philosophos attigisse.* Clemens vero, r *philosophiam*, inquit, *non dico stoicam, neque platonicam,*

 aut

b *Panegyr. in Origen.* c *Clem. Alex. Strom. I.* d *Loc. c.* e *Orig. Con. Cel. I.* f *Vid. Photius. Cod. CXXV.* g *Hier. Ep. 84. & 146.* h *L. c.* i *Lact. l. I.* k *Consul. Baltus.* l *Gassen. Vit. Epicur.* m *Vidend. Launoius De Fort. Arist. C. II. Iustinus M. Eversi. cet. Canus De Locis Theol. X. Petavius Prolog. III. Baltus. Pet. Fonseca. Praef. in Metaph. Arist.* n *Cle. Alex. V. & VI.* o *Strom. VI.* p *Ibidem.* q *Loc. cit. VII. 7.* r *Stromat. I.*

aut epicuream , & aristotelicam : sed quaecumque ab his sectis recte dicta sunt . quae docent iustitiam cum pia scientia , hoc totum (τὸ ἐκλεκτικὸν) *delectum , philosophiam appello.* ſ

II. *Causa & laudandae, & vituperandae philosoph.*

Ergo illa duo in PP. mirari desinamus . alterum , quid sit , quare hi laudent , illi reprehendant philosophiam . *t* sparsa ubique elementa veritatis , e quibus unum christianae sapientiae veluti corpus fieret , laudant ; errorum , & cupiditatum copiosam luxuriem , infelix in philosophia lolium , alii vituperant. Alterum , *u* cur tantopere delectum a christiano philosopho requirant . erat enim periculum , ne fabulas , & somnia ethnicorum accommodarent religioni , cum omnia , veluti ab iniustis possessoribus erepta , dogmata christianae philosophiae restituerent.

III. *Iudicium de* PLATONISMO *PP.*

Atque hic ille locus illius nobilissimae *x* controversiae de *Platonismo PP.* cuius status , qui varius induci potest , si ille sit , fuerintne platonici systematis , omnium dogmatum , totiusque concatennationis patroni primi PP. : facillimam habet responsionem , eos tantum ab eo platonismo servili , & constricto abfuisse , ut multa Platonis placita calamo transfixerint inimico. *y* Sin ille fiat , illine plura in Platone , quam in ullo alio philosophorum repererint decreta , quae ab hebraeis surrepta , dicerent , in Ecclesiae philosophiam restituenda ; certe plurimi PP. longe plurima a servitute Academiae veteris in libertatem philosophiae christianae asseruerent. *z*

IV. *Summa philosophiae PP.*

Ego summam iudicii facio , PP. in rebus physicis *a* non fuisse valde anxios , atque curiosos : eorum nonnullos Aristoteli correcto , castigatoque potius , quam Platoni studuisse : *b* plures theologia Platonis repurganda , ethicaque corrigenda , studium maius erga Platonem praestitisse : multos ad leges dialecticae exactam orationem , disputationemque conclusisse . quamquam Lactantium , aliosque paucos non valde fuisse dialecticos ; alios plus iusto fuisse allegoricos ; is nesciat , qui eorum nunquam viderit monumenta . quae maiori tamen emolumento esse christianae reipublicae , vita , moribusque recensendae potius , quam subtilitate dialectica , pronuntio.

CAP. IV. CHRISTIA*ni platonici.*

PROP. I. *Iustini philosophia.*

Iam Ecclesia seculo II. suos vidit philosophos ab exedris profanis ad se transeuntes. in his illum Iustinum Martyrem , *c* qui studio philosophiae ductus , primo ad stoicum sese applicuit , a quo vel imperito doctrinae , vel impiae doctrinae sibi viso magistro , brevi ad peripateticum avarum defecit . ab hoc , avaritiam detestatus , ad pythagoreum transiit, quem , ante initiationem pythagoreorum mysteriorum, longam requirentem praeparationem τῶν μαθημάτων , reliquit ; atque ad platonicum se contulit , qui se τῶν ἀσωμάτων νοήσει recrearet. Quo tempore a sene Polycarpo,

ſ *Conf.Gregor.Thaum.l.c. Iustin. Martyr Dial.Cum Tryph.Aug. De Doct.Chr. II.40. Baltus l.c.* t *Laudat supra modum Min. Felix in Octav.20.* u *Phot. Cod.*CLXX.*citat.* x *Ioa.Bap.Crispus ann.* 1594. fol. *edidit Vol. De Legendo caute Platone. Huetius Dem. Ev. Prop.* IV. docuit , priscis christianis dogmata Platonis placuisse. *Dionysius Petavius Dog.Theo.T.II.l.I.*1. platonicos docuit PP. antiquissimos. *Vid. etiam in Praef.T. II. Franciscus Baltus* contra sensit. *Defense des SS. Peres, cet.* y *Baltus loc.c.* z *Loc.c.* a *Eus. P.E.*XV. b *Infra.* c *Ipse in Dial. cum Tryph.*

po, *d* aut certe uno aliquo viro apostolico, primum ad Evangelii meliorem sapientiam vocatus est.

II. *Excusatus Iustinus in philosophia.*

Iustinum ut faciant platonicum nonnulli critici viri, *e* accusant, parum fuisse orthodoxum. quasi τὸν λόγον, fecerit Patre minorem: quasi eum esse dixerit lucem quamdam, per hominum mentes diffusam; in qua veritatem aspexissent philosophi, e quibus *f* nonnulli διὰ τοῦ λόγου, sint assecuti salutem. Ego ut non negem, nonnulla nondum satis accurata protulisse Iustinum, maxime de angelis; *g* sic quae de Verbo, Christoque docuerit, illa quidem minus ad speciem subacta, & accurata, *h* si ad lucem hanc, qua Deus hodie perfudit Ecclesiam suam, aspiciantur; ea posse tamen omnia ad sensum satis sanum, verumque duci, de vi, ac principiis rationis, a Deo homini tributis, cum Francisco Balto contendo. *i* Cum Bellarmino *Eversiones Aristotelicorum Dogmatum* Iustino vindico.

III. *Tatianus zoroastreus philosophus.*

Tatianus patria syrus, *k* cum philosophando magnam terrae partem peragravisset, *l* & artes arcanas, & inventiones plurimas perdidicisset, atque adeo omnium oculatus testis fuisset; tandem se dedit Iustino discipulum, & martyrii spectatorem. Quo in astra vocato, miser ab Ecclesia defecit, & Encratitarum sectam condidit. *m* In Apologia Tatiani multa sunt, multumque commendata philosophumena. *n* Tatianus tamen doctus eclecticam alexandrinorum insaniam, systema *Emanativum*, & a Zoroastre profectum, & ab alexandrinis receptum, in Apologiam inseruit. *o* quod etsi in bonum trahi posse sensum, *p* nonnulli velint; voluerit vero ipse maxime Tatianus; *q* mihi tamen tota philosophiae illius reiicienda est ratio, christianae, revelataeque philosophiae vel inimica, vel parum fidelis.

IV. *Theophilus Antiochenus, Hermias, Athenagoras, platonici.*

Eodem seculo Ecclesia habuit Theophilum a puero ethnicum, in philosophia versatum, ad Christi remp. deinde se recipientem, & an. CLXVIII. Ecclesiae praefectum Antiochenae. *r* Hic cum scriberet ad Autolycum amicum hominem, quem Christi doceret religionem, nonnunquam non satis Platonis oblitus est. *s* Hermias *t* neque ille Sozomenus, neque alexandrinus; sed certe philosophus christianus, caetera ignotus, cuius hodie extat Libellus aureus, *Irrisio Gentilium Philosophorum*, compendium quoddam graecanicae philosophiae: eodem seculo vixit. Vixit & Athenagoras philosophus atheniensis, *u* sub pallio christianus, fortasse etiam primus catecheticae scholae alexandrinae magister. *x* Athenagorae omnium optima *Pro Christianis Apologia* vix quicquam

d *Eus. Hist. Eccles. II. 3. Photius Cod.* CCXXXIV. *Iustin. Epist. ad Diognet.* e *Cleric. Bib. Univ. T. X. pag.* 403. f *Ipse. Apol. I. c. II.* Quasi docuerit Iustinus in Deo, aut certe in Verbo nos omnia, quaecumque intelligimus, intelligere. quae Malebranchio, & Bertio opinio nostra placuerit memoria. g *Apol. I. Vid. Petav. Dog. T. t. III. 2.* h *Petav. De Trin. I. 3.* i *L. c. II. 3.* k *Fab. B. G. Vo. V.* l *Ipse in Apol.* m *Theodoret. Haeret. Fab. l. 20.* n *Hiron. De Scr. Ec. 29.* o *Petav. l. c. Huet. Orig. II. 2. q. 2. s. 10.* p *Nourrius App. T. II. Dis. II.* q *In Apolog.* r *Praef. editorum Wolfii, Telli. Baronius.* s *Petav. De Trinit. I. 3. Huetius. Orig. I. 2. q. 2.* t *Bellarminus. alii.* u *Bellarm.* x *Excerpta Sidetae a Dodwello edita p. 469.* sed ea parum digna fide.

quam habet, si animum corpoream, & mortalem sponte sua excipias, non aptum ex Evangelio.

V. *Tertullianus & cultor, & osor philosophiae.*

At in Tertulliano eiusdem seculi scriptore sunt multa laudata, multa etiam reprehensa, quae ad philosophiam pertinent. A Vincentio quidem Lirinensi *y* dicitur, *omnem philosophiam, & cunctas philosophorum sectas ::: mira quadam mentis capacitate complexus*; graecanicas utique. nam de cognitione philosophiae orientalis homini lis intentari solet. Ut ut sit, graecos ille philosophos singulatim arreptos acerbe tetigit, *a* maxime Aristotelem. Idem odio platonicae doctrinae de *ideis incorporeis*, & Deum, & spiritus omnes fecerit, opinor, corporeos. *b*

VI. *Irenaeus philosophus eruditus.*

In Irenaeo laudata est rei philosophicae cognitio, *c* non modo graecanicae, sed etiam barbaricae. miseratur tamen non nemo illius ignorantiam dogmatum chaldaicorum, & alexandrinorum. *d* Causam Irenaei egit & pie, & docte Renatus Massuetus. *e* quam, accusatore benevolo, & ingenuo Petavio, non obtinuit *f* tamen. Sunt enim in scriptis Irenaei nonnulla *trinitati alexandrinae* ascribenda. Sunt philosophumena de animae corpore, & figura; deque eiusdem origine, quae hodie nescit purgata Ecclesiae philosophia. *g* Sed Irenaeo nulla unquam posteritas litterata satis magnam referre poterit gratiam.

VII. *Pantaenus primus catechista philosophus.*

Atque ineunte iam III. seculo, certa quaedam veluti sedes condita est christianae philosophiae, quam civem reciperet Alexandria, in schola illa catechetica. Princeps scholae ille Pantaenus, & philosophus, *h* cuius admirationi esset ingenium; & christiani imperii missus propagator ultra garamantas, & indos *a Demetrio* i *Alexandriae episcopo* fuit. Pantaenus aliis siculus, atque in Sicilia ab aliquo viro apostolico Christo aggregatus; *k* aliis contra dicitur atheniensis fuisse. alii praeceptorem Clementis Alexandrini; *l* alii discipulum fuisse volunt. Hieronymo dicitur *stoicae sectae philosophus*: aliis habetur electicus. *m*

VIII. *Clemens Alexandrinus philosophus eximius.*

Nobilior laude philosophica in ea schola fuit Clemens patria Alexandrinus. Praeceptores habuit, *unum ex Graecia ionicum*, *o* qui Baronio *p* videtur fuisse ille doctor egregius Dionysius Corinthius; *q* Sidetae vero nominatur doctor Clementis Athenagoras; *alium* r *ex Coelesyria; alium ex Aegypto; ex Oriente alium assyrium, alium in Palaestina hebraeum.* qui an Theophilus Antiochenus, an Theophilus Caesariensis, an Theodorus, an Tatianus, an denique Bardesanes fuerit. Discipulus ipse quidem Pantaeni fuit, a quo scholae praefectus est, vel cum ad indos, vel cum deinde ad plures abiret.

Bruckerus *f* dat discipulum Clementem Ammonio. quod iniquo animo patitur Baltus: quos ego otiosus video pugnae spectator,

Et cantare pares, & respondere paratos.

Cer-

y *Commonitorii.* 24. a *De Praescripti.* C. VII. b *Adv. Praxeam* 7. *De Anima saepe. Origeniana Huetii* II. 2. c *Hiero Ep.* 83. *Epiph. Haer.* 31. & 33. d *Bruck. T.* III. *p.* 408. e *Dissert. In Irenaeum Diss.* 32. f *De Trin.* II. 34. g *Massuet. l. c.* h *Hier. De Scr. Ec.* 33. & *in C. X. Oseae* i *Id. Ep.* 84. k *Valesf. ad Eu. l. V.* 2. l *Bruck. T.* III. *p.* 417. m *Scriptores Hist. Ecc.* o *Ipse Stro.* I. p *Ad an.* 185. q *Eus. H. Ec.* IV. 23. r *Loc. cit.* f *T.* III. *pag.* 417.

Certe ſcripta hominem oſtendunt nullius ſectae interpretem fidiſsimum; *t* qui omnia in ſervitutem religionis chriſtianae dogmata redigeret. Laus homini danda, quod viam monſtrarit ditandae philoſophiae chriſtianae; venia non neganda, quod bonis pluribus mala pauca contexuerit placita. *u* Ego quoties & Clementem, & Origenem lego, in memoriam illud revoco, *x*

IX.
Lites de philoſobia Clementis.

Suave, mari magno turbantibus aequora ventis,
E terra magnum alterius ſpectare laborem.
Sed nil dulcius eſt, bene quam munita tenere,
Edita doctrina ſapientum templa ſerena.

X.
Origenes ſapientiſsimus philoſophus.

Origenes in ea ſchola Clementis & diſcipulus, & ſucceſſor, a labore Adamantius, *a* natus Leonida patre ſapientiſsimo, & ad humanitatem omnem informatus eſt. Euſebius, contradicente Baronio, *b* Ammonium illum eclecticum dat *c* Origeni magiſtrum. Origenes ſtuduit certe omni generi philoſophorum: magiſter ab ipſa adoleſcentia, in gymnaſium etiam profanos diſcipulos, quos Chriſto initiaret, recepit: genus quoddam mixtum, atque collectaneum philoſophiae graecae, ac barbaricae ſecutus eſt. *d*

XI.
Origenes philoſophiae perturbator.

Et vero vix ullum vidit initio doctiorem Eccleſia, *e* cui etſi abiudicetur ille libellus eruditiſsimus Ὠριγένους φιλοσοφούμενα; tamen ſumma eſt eruditio in ſcriptis origenianis. De his, Deus immortalis! quam graves extitere lites! Baltus *f* ſtudio religioſo, & erudito conatur Origenem defendere ab obiecta philoſophiae perturbatione. cuius magis laudanda pietas, quam canenda victoria. Neque vero mirum, ſi homini, διὰ τοῦ λόγου omnia ubique extitiſſe philoſophorum dogmata ponenti, ſaepe illud acciderit, ut affinia ſacrae paginae oracula chaldaicis oraculis faceret. Nobis de philoſophia chriſtiana optime meritus videtur Huetius, qui ſe Herculem huic Augiae praebuerit, Origenemque omnia perturbantem caſtigaverit. *g*

CAP. V.
POSTERIOres platonici.
PROP. I.
Arnobius ſic ſatis philoſophus.

Ad reliquos philoſophos chriſtianos pergamus, quorum ordine ipſo aetatis primus eſt Arnobius memorandus, natione afer, e rhetore non ſine Numinis prodigio in Eccleſiam allectus. qui habitus Eccleſiae ſimulatus petitor, obſides bonae fidei dedit in vulgus *Libros Adverſus Gentes.* In quibus ſiquando nutat, ſiquando ſcepticum ſapere, *h* ſiquando Platonem loqui *i* videtur; dignus eſt, qui excuſetur, rhetor maxime catechumenus.

II.
Lactantius non ſine venia philoſph.

Eat comes Arnobio Arnobii diſcipulus L. Coelius Lactantius Firmianus, qui in ſcriptis ſuis nihil veri, nihil ſani de moribus praecepiſſe videtur Barbayracio: *k* qui, pius ſcilicet ſcriptor, ſingula PP. detegit ἀσφάλματα. Ego ita cenſeo, ſiquid eſt mei iudicii, quae an pauca, an non pauca peccarit in phyſicis, *l* in dialecticis, *m* in pneumaticis, in prima philoſophia Lactantius; debere condonari vel ſplendori eloquentiae, quam habet tullianam ille Cicero chriſtianus, *n* vel pietati, vel erudi-

t *Origeni.* II. 1. u *Baltus. Ceilierius Apol. des SS. PP. p.* 64. x *Lucr. l.* II. a *Epiph. Haer.* LXIV. *Photius Cod.* CXVIII. b *Ad an.* 234. c *L.* VI. *Hiſt. Ecc.* d *Euſ. l. c. Hieron. Epiphan.* e *Huet. Origenia.* III. f *L. c.* I. 27. g *Origeniana.* III. h *L.* I. 27. i *Lib.* I. 8. & II. 2. *alibi.* k *De la Morale des PP.* 2. l *De Opific. c.* 12. 14. 16. 17. m *Inſtit.* II. 19.

eruditioni, vel diligentiae in providentia Dei vindicanda, in hostibus religionis oppugnandis. Omnino assentior Hieronymo, qui, *Lactantius* ait, *quasi quidam fluvius eloquentiae tullianae, utinam tam nostra confirmare potuisset, quam facile aliena destruxit!* n

III. *Nemesius bonus philosoph. Eusebius eruditus philosop.*

At iure suo, cui nemo negotium facessat, philosophus, eo nomine dignus, fuit Nemesius, is, qui ex philosopho egregio, cuius extat commentarium facile princeps *De Natura hominis*, e quo si tollas προϋπάρξιν animorum, plus nimio platonicam, *o* nihil erit non laudandum; factus sit episcopus Emisenus, *p* IV. Ecclesiae seculo. Eusebius Pamphili, ne de rebus philosophicis taceremus, effecit in *Praeparatione, & Demonstratione Evangelica*, ubi videre licet thesauros philosophiae collectaneae, infinita lectione comparatos. qui refellit etiam Hieroclem Bythiniae praesidem, ausum, Apollonium Tyanaeum cum Christo Servatore componere λόγω φιλαλήθει. *r*

IV. *Augustini institutio philosophica.*

Horum longe philosophus praestantissimus fuit Augustinus, litteris e puero latinis valde eruditus, a graecis alienus, quam rem sibi ipse vitio deinceps vertit: *s* in quo, opinor, multos hodie inveniret, qui eius culpae benigne veniam facerent. Incidit iam adultus & in *Hortensium* Ciceronis, qui pectus amore philosophiae complevit; *t* & annos natus viginti in Categorias Aristotelis, quas sine doctore penitus intellexit, *u* doctus iam tum sine cortice nare. Paulo post *spreta religione, quae ipsi puero a parentibus insita erat*, & fervore *x* aetatis, & celeritate ingenii, & vitae licentia eiusmodi, *De coelo* y *sibi esse inevitabilem causam peccandi*, abripi se passus est manichaeorum insania.

V. *Augustinus academicus.*

At vero cum cognitis alienae philosophiae placitis, & Manetis doctrina displiceret, neque Faustus sectae coriphaeus eius patrocinium Augustino probaret; hic *z* ad extremum scepticus evasit. Iam Romae cum in libros eos platonicos, quos Fabius Marius Victorinus e graecis fecerat latinos, incidisset; ab sceptico factus est platonicus is, *a* quem poenituerit senem *b* eius laudis, qua Platonem, vel platonicos tantum extulisset, quantum impios homines non oportuerit. In scriptis vero libris *De Civitate Dei*, & *Contra Academicos* divitias effudit philosophiae. nam qui liber hodie *Dialecticae* nomine Augustino tribuitur, non ille idem esse videtur, cuius in Retractationibus meminit Augustinus. *c*

VI. *Augustino prae caeteris unus Plato amicus.*

Franciscus ille Baltus negat, Augustinum fuisse *d* platonicum. recte, si Platonis discipulum sectarium dicat; in cuius sane verba Augustinus non iuraverat. secus, si velit, non omnibus ab Augustino Platonem philosophis esse praepositum. *e* quod ita faciebat, ut eclecticum sibi arbitrium servaret. *f* Nec mirum tantopere illi Platonem arrisisse, a quo didicisset, *Dei naturam, atque substantiam incommutabilem omnino, & incorruptibilem cogitare*, qua cogitatione desierit esse manichaeus. *g* Quid illud?

n *Walck. Hieron. Epist. ad Paul.*
o *Launoius De Fort. Arist. P.* 24.
p *Praefat. p.*20. *Pamelius ad Tertul. De Anim.*5. r *Baltus l. c.* s *Conf.*I. 13. t *Cont. Aca.*III. 4. u *L.c.*IV. 16. x *Loc. c.* III.6. y *Conf.* IV. 3.
z *L.c.*V. a *L.c.* VII.10. b *Retr.* I. 1. c *Vossius De Nat. Logicae.* 8. d *L.c.*IV. e *Conf. lib.* VIII. *D.C.D.* f *Loc. cit. l.*II. 40. *passim alibi.* g *Beausob. Hist. Man. T. I. p.* 466.

illud? quantum studium platonicis ab Augustino conciliaret? quod ipse *h* scribit, *in platonicis reperisse se re ipsa, non iisdem quidem verbis, quidquid Ioannes ipse Evangelii sui exordio de Verbi gloria docet?* Quo in loco calumniatus personatus ille Phaereponus, & ille ipse Clericus PP. insectator, *i* Augustinum, quod doctrinam platonicam, & arianam cum christiana de Trinitate confudisset; calumniae poenas cum ludibrio Balbo dedit.

VII. *Dionysius Areopagita non alexandrinus syncreticus.*

Iam Dionysius Areopagita ante Augustinum fuisset recensendus, si esset ille verus Areopagita, antiquior platonicus Augustino. At critici si quid confecere, *k* hoc certe confecere, Dionysium hunc non esse illum Pauli discipulum. Quis vero sub magno lateat nomine, tam est incertum criticis, quam certum, non ipsum latere Areopagitam. Lacrozius opinatur, *l* Synesium more scholae alexandrinae habuisse nomen illustre Dionysii Areopagitae. *m* alii Apollinarium patrem esse personatum Dionysium: alii Apollinarium iuniorem. Sed critici, ad quos ea quaestio iudices pertinet, viderint de Dionysio. illud non ego tacitus feram, iniuriam inferre doctissimo, & optimo anonymo Bruckerum, *n* qui plaustra in Dionysio accusat errorum, superstitionumque, parum ab Ecclesiae praefectis deinceps cautarum. Quasi vero sapientissimi, ac religiosi viri, qui tot seculis Areopagitae honorem habuerint, non habuerint Bruckeri nasum, quo sagaciter commixtionem platonianam, foetoremque olfecissent, si in Dionysio tale quid ebulliret.

VIII. *Aenaeas Gazaeus philosophus.*

His adnumerandus Aeneas Gazaeus, quem coniiciunt eruditi, *o* extremum seculum V. vidisse, Hieroclis discipulum in schola alexandrina, qui seculo illo viveret. *p* E platonico christianus philosophus, platonicos quidem oppugnat, *q* sed non se penitus Platonis probat immemorem. *r* Dialogum ab eo habemus, cui ipse nomen dedit Theophrastum.

CAP. VII. *PERIPATETICI christiani.*

PROP. I. *Peripatetici initio vari.*

At ne quis studium notet, neve fidem a me in historia requirat, quod de peripateticis in Ecclesia reformatis nihil adhuc dixerim; id eo consilio a me factum sciat, ut omnes uno agmine post platonicos in medium producerem, quo conglobati non tam nobis viderentur contempti, quam olim nascenti Ecclesiae visi fuere contemnendi peripatetici. *t* quod si quis putet, a me dictum inclementius, adeat, quaeso, *Iustini Aristotelicorum Quorumdam Dogmatum Eversionem*; *u* adeat Baltum pro Aristotele contra Petavium, contraque Canum dicentem; *x* adeat Tertullianum, qui miserum clamet Aristotelem auctorem dialecticae. *y*

II. *Anatolius peripateticus.*

Ergo primus prodeat Anatolius alexandrinus. *a* qui rogatus, ne fineret in oblivionem ire Aristotelem, eius suscepit patrocinium Alexandriae; nec tamen sincera, & sola dogmata Lycei videtur in

h *Conf.* VII. 9. i *Ad loc. Aug.* k *Labbeus Vid. De Scri. Ecc.* l *Hist. Christia. Aetiop.* I. m Moris erat platonicis alexandrinis, honoris addere epitheta, quem deinde ex intervallo scholastici retulere, doctoribus suis. ibi Longinus *criticus*, Theodorus θαυμάσιος, Iamblicus *divinus*, Amelius *nobilis*, Porphyrius *philosophus*. *Conf. Holstenius De Vit. Porphy.* 6. n *T. III. p.* 507. o *Baltus II.* 1. p *Ipse in Theophrasto. p.* 6. q *L. c. p.* 56. r *P.* 55. t *Launoius loc. cit. c.* 2. u *Fab. B. G. Vol.* V. x *Loc. c. II.* 7. y *De Praescript. Haere.* 7. a *Hier. de Scrip. Ec.*

in illa urbe, quae collectaneam deperibat *b* philosophiam, fuisse professus. *c* Nihil ab eo philosophici scripti habemus, mathematici nonnihil. Huic coniungendus Didymus Alexandrinus, pene e puero caecutiens, & tamen, quod sine oculis vix fieri posse videtur, omni graeca eruditione, etiam mathematica conspicuus. *q* qui non ita erat peripateticus, quod non nemo voluit, ut desineret esse eclecticae philosophiae ab Origene acerrimus patronus, cuius libros περὶ ἀρχῶν aut illustravit, aut defendit commentariis suis.

Didymus alexandrinus peripateticus.

III.
Zacharias Scholasticus peripateticus.

Neque huic valde dissimilis fuit VI. Ecc. sec. Zacharias Scholasticus, non alius fortasse, atque ille rhetor, & scriptor historiae ecclesiasticae. qui cum pietate praestaret, & eruditione creatus est episcopus mitylenaeus. Scripsit Disputationem *De Duobus Principiis Adversus Manichaeos*: Dialogum etiam contra eos, qui *mundum* facerent *aeternum*. qui tamen non oblitus alexandrinam prorsus institutionem, docuit post idearum platonicarum fabricationem, hunc corporeum mundum factum, μετὰ τὴν τῶν ὄντων δημιουργίαν. *f*

IV.
Boethius Aristotelis interpres.

Ille Anicius Manlius Torquatus Severinus Boëthius solet certe inter peripateticos haberi. at iure suo vult esse eclecticus philosophus: quippe qui, si non Proclum Athenis audiit, *d* at certe saepe numero se prodidit Platonis fautorem, ut cum cecinit, *e*

O qui perpetua mundum ratione gubernas,
Terrarum, coelique sator, qui tempus ab aevo
Ire iubes, stabilisque manens, das cuncta moveri:
Quem non externae pepulerunt fingere causae
Materiae fluitantis opus; verum insita summi
Forma boni livore carens: tu cuncta superno
Ducis ab Exemplo, pulchrum pulcherrimus ipse
Mundum mente gerens, similique in imagine formans.

Heic platonicum mundi artificem, platonicas ideas, qui non videat; is nunquam Platonem viderit. *f* tamen constat, Aristoteli lucem attulisse latinam Boëthium. *g*

V.
Philoponus peripateticus bonus. Claudianus Mamertus.

Ioannes vero Philoponus, Ammonii Hermeae discipulus, qui extremo seculo VI. & magnam VII. partem Alexandriae vixit, quam vidit in ditionem venire arabum; *h* ita est inter peripateticos habendus, ut aequam observantiam & Aristoteli praestiterit, & Platoni. nam utrumque commentariis suis illustravit. Contra Proclum, aeternitatis mundi assertorem acerrimum, bellum Philoponus suscepit, quod non sine gloria gesserit. *i* Nonnihil tamen labis attulit religioni, cum nimium peripateticae credidit doctrinae. *k* quos Philoponi labores alii in Ecclesiastica Hist. narrabunt. Neque tacendum reor Claudianum Mamertum sacerdotem viennensem, qui dicitur amico Sidonio *l* populi sui ingeniosissimus, *quique indesinenter salva religione philosopharetur*. fuit ille quidem peripateticus, sed non uno contentus Aristotele. *sentit*, ait Sidonius, *ut*

b *Eus. Hist. Ec.* VII. 32. c *Fab. B.G. V.I.* 16. q *Belarmin.Soc.Histor. Ecc.*IV.23. f *Editus a Barthio p.* 353. d *Holsten. In Vit. Porphyr.*

e *Lib.*IV.4. f *Ipse con.l. III.*2. & II. g *Fab.B.L.T.III.* h *Fab.B.G. V.*IX. i *Suidas in Proclus. alii.* k *Photius Cod.* LV. & CCXV. l IV. *Ep.* 3.

ut in Pythagoras; dividit, ut Socrates; explicat, ut Plato; IMPLICAT, UT ARISTOTELES. ſcripſit *De Statu Animae Libros* III. *n*

CAP. VII. *SEMICHRIſtiani.*

PROP. I. *Macrobius, & Ammia. Marcellinus, philoſophi falſo habiti chriſtiani.*

Ad extremum de philoſophis ſemichriſtianis nonnihil adiiciamus. Primus eſt ille Macrobius conſularis, & ſacro cubiculo praefectus a Theodoſio Iuniore. vir certe eclectica philoſophia clarus, cuius habet ille multa in ſcriptis ſuis argumenta; *o* profanus, qui ſuperſtitionis ſpecimen ſingulis pene litteris praebet; *p* arbitrarius iudicio nonnullorum eruditorum chriſtianus. *q* Mihi certe tam videtur ethnicus, quam qui maxime. Atque huic purpurato iungendus ille miles eruditus Ammianus Marcellinus, *a* non dubius ab Ammonio platonicus: quod ex innumeris eius locis, ex laudibus immodice datis Apollonio, Iuliano, aliiſque huius τοῦ πονηροῦ κόμματος ſatis apparet. *b* at iudicio benigniore *c* Pet. Pythoei chriſtianus.

II. *Chalcidius dubiae religionis philoſoph.*

Difficilior de Chalcidio divinatio, cui in cauſa religionis & patroni nobiles; & accuſatores ſtrenui, & eruditi; & arbiter quidam honorarius, qui neque ethnicum, neque chriſtianum, *d* ſed mediae cuiuſdam religionis, quae Deo, & Mammonae ſerviret, ex aequo, bonoque definit. Certe Chalcidii ſententia, qua utitur in *Commentario In Platonis Timaeum*, nobis reliquo, vix videtur eſſe hominis chriſtiani: quae decernit naturam Soli divinam, rationis participem; quae coeleſte quoddam genus animantum aſtris tribuit. ut alia omittam de trinitate non chriſtiana, ſed alexandrina Chalcidii. At hominis oratio non digna illa quidem, ſed non prorſus indigna, chriſtiano fuiſſe videtur: qui moſaicae legis, *e* qui ſtellae novae Chriſto nato apparentis mentionem facit verbis ſatis honorificis. An Commentarium inſcripſerit Oſio Corduvenſi Chalcidius, incertum. *f*

III. *InſtitutioThemiſtii, chriſtiani male indicati.*

Haec de Chalcidio dixerit etiam is, qui divinationem non probet. plura his non niſi augur eruditus. Themiſtium huc voco, de cuius religione eſt etiam dubitatum. Is in Paphlagonia natus, Eugenium philoſophum nobilem, *g* ſimul patrem, ſimul eloquentiae, philoſophiaeque peripateticae doctorem, qui filio daret praeterea nobiliſſimum quemque in Ponto magiſtrum, habuit. *h* Brevi adoleſcens maximo & ingenio praeditus, & optima uſus inſtitutione, in Ariſtotelem eos ſibi compoſuit commentarios, qui & antiquorum, & novorum peripateticorum ſummum favorem promeriti fuerint. *i*

IV. *Auctoritas, & fama, & doctrina Themiſtii.*

Sapientiae cauſa nonnihil peregrinatus, domicilium Conſtantinopoli poſuit, ubi an. XX. eloquentiam, & philoſophiam publice profeſſus, diſcipulis cum floreret optimis, & chriſtianis, qualis erat Gregorius Nazianzenus; & profanis, qualis Libanius fuit; ne ampliſſimis quidem conditionibus propoſitis, neque imperatoria etiam auctoritate adduci potuit, ut Romae vellet ſapientiam publice docere. Quae tanta ſapientiae, doctrinaeque gloria Themiſtium valde commendavit im-

m *L.cit.* n *Gaſp. Barthius* eum illuſtravit. o *Fab.B.Lat.T.*I. p *Sat.*III. 4.*In Somni.Scip.*I.17. q *Barthius Adverſ.p.*2258. a *Valeſius ad Ammian.* b XXII.16. XXIII.6. XXX.4.

c *Vid.Fab.B.Lat.T.*I. d *Conſ.Bruck.* T.III. e *Cap.*4.& 7.& 13. f *Praef. Com. in Timaeum.* g *Vid. Suid. Phot. Petavius.Harduinus.alii.* h *Orat.*II. i *Orat.* XXIII.

peratoribus Constantio, Iuliano, Ioviano, Valenti, Valentiniano, Gratiano, maxime vero Magno Theodosio, qui illum, benignitate sua ditatum, institutioni Arcadii praefecit. *k* Et senator, & Constantinopoleos bis praefectus, & de rebus multis est ab imperatoribus legatus.

V. *Religio Ethnica Themistii.*

Iam studium pacis, quod in philosophia sociali auxerat, monuit hominem, ut Valenti auctor esset, ne catholicos vexaret studio partium arianarum. quae discordia esset, ut dicebat ipse, exigua, prae quanta fuisset graecorum de diis dissensio. Nec propterea iis est assentiendum, qui sacris christianis volunt Themistium initiatum. *l* Utinam Themistius, inani sapientia inflatus, non in ea fuisset opinione, & Deum amare nesciri a mortalibus, & omnem erga Deum religionem honestam, idoneamque animorum esse saluti. *m* Commentaria Themistii in Platonem *n* periere. Paraphrases in Aristotelem, & illae Orationes, quae nomen iure pepererunt εὐφράδη Themistio, *o* superstites magno bono reip. litt. manent.

VI. *Synesius in Ecclesia episcopus parum christianus.*

Dubia causa Synesii, qui V. Ecclesiae seculo nobili loco Cyrenae natus, nobiliore vero ingenio eloquentiam summam assecutus est. *p* vir fuit sine dubitatione platonicus, discipulusque Hypatiae. Hic cum summam philosophiae famam, & eloquentiae haberet, quantumvis tenax esset Platonis, incudi alexandrinae redditi; tamen & in Ecclesiam est a Theophilo patriarcha alexandrino cooptatus, & petentibus civibus, Ptolemaidis episcopus creatus. *q* Quam vero nollet eam praefecturam, quamque sensibus angeretur intimis, quod episcopus iam non esset publice Platonem locuturus; ipse de se confitetur. Et vero auctore Photio, *simul episcopus creatus est, resurrectionis etiam doctrinam* comprobavit, quam Synesius antea veluti vulgi fabulam habebat. Quod si hymni complures, qui nunc extant, sunt ante episcopatum a Synesio conscripti, quod Baltus opinatur; *r* fides Photio non erit a nobis abneganda.

VII. *Hypatiae philosophia & tragoedia.*

Quoniam vero Synesium semichristianum ob philosophiam eam, quam ab Hypatia didicerat, fuisse diximus; erit fortasse qui Hypatiam novisse vellet, valde in studio philosophiae nobilitatam. *s* Illa Theone doctissimo patre filia doctior, Alexandriae philosophiam professa, singulari & doctrinae, & pudicitiae, quam virgo servavit illaesam, commendatione, oculos urbis ad sese converterat. Quae gloria exitio fuit Hypatiae. mota enim seditione a plebe, quod Hypatia haberetur auctor Oresti urbis praefecto, a quo valde colebatur, eius dissidii, quod ille fovebat adversus Cyrillum patriarcham, virum sanctissimum iuxta, atque acerrimum; cecidit victima irae popularis. quam rem aegre tulit Cyrillus. At ea cura maneat historiae ecclesiasticae scriptores.

BAR-

k *Orat.*XVIII. l *Vid.Harduinus Editor.* m *Or.*XII. n *Phot.Cod.*LXXIV. o *Simp.in* IV.*Phys.* p *Petavi.Annot. ad Synes.De Regno.* q *Suidas.Phot.Co.* XXVI.*Evagrius.l.*15.*Ip.Ep.*105. r *L.* c.II.1. s *Suid. Soc.H.E.*VII.15.*alii.*

BARTHOLOMAEI POVII E SOCIETATE IESU INSTITUTIONUM HISTORIAE PHILOSOPHICAE

LIB. VIII.

DE PHILOSOPHIA MEDIA.

CAP. I.
CAUSAE cadentis philoſophiae.

PROP. I.
Quae Media nobis philoſophia.

HActenus philoſophos fortuna ſecuta, adeo coepit in peius rue- re poſt VI. Ecc. ſec. ut nondum ſit in Oriente recreata; in Occidente vero, cum ad ſeculum XII. iacuiſſet, coepta ſit illa quidem e pulvere excitari ea tempeſtate, cum eſt in coetus ſcholaſticos vocata; ſed ita, ut recto non ſteterit talo uſque eo, dum litterae fuere in Europa reſtitutae ſeculo XVI. Quam nos in tam miſera aetate philoſophiam omnem, in graecam, & latinam diviſam, *mediam philoſophiam* appellabimus eorum exemplo, qui latinitatem mediam ſolent eius aetatis ſermonem nominare.

II.
Horrida Media philoſophia.

Atque in hac tractatione illud Franciſci Vavaſorii politiſsimi e S. I. ſcriptoris, aſsiduo meminerimus, qui, cum *Gloſſarium Mediae, Et Infimae Latinitatis*, a Dufreneo diligenter ſcriptum, vidiſſet; ea ipſa ut neſciret, aetatem ſe laboraſſe, dixiſſe fertur. Nequis ergo nimiam a nobis in hac parte, quam meminiſſe horret animus, & ſqualore refugit, diligentiam requirat. fontes modo ipſos, e quibus barbaries in philoſophiam emanarit, indicabimus potius, quam aperiemus.

III.
Ἔκλεξις ruina philoſophiae.

Primum ipſa concordia, qua res humanae aluntur, exitii mihi videtur principium attuliſſe philoſophiae. Certe poſtquam dogmata, ipſa per ſe inimica, in ſocietatem cogi coepere, vix Graecia vidit iterum eximiis illis philoſophis philoſophos ſimiles. Omnino enim qui univerſa ſequuntur, male ſingula aſſequuntur. quae cauſa hodie reddi ſolet, cur iſti πολυμαθοὶ vix ſint conferendi in eloquentia, in poeſi, in nitore orationis, cum iis ſcriptoribus, quos ſeculum XVI. protulerat, qui

sibi in re litteraria definitam habuerant provinciam. Credo, etiam studium partium, in philosophia eclectica concordique extinctum, studium ipsius extinxerat philosophiae.

IV. *Novum imperium, Christique religio evertit profanam philosophiam.*

Deinde romani Graeciae potiti, captis Athenis, veluti arcem ipsam philosophiae expugnavere. certe ibi, dissipatis usquequaque philosophis, non ita deinceps diligenter tradita est philosophia: quam nisi publicis muneribus, & salariis fugientem tenuissent Antonini, penitus illa e Graecia abiisset. Eo accessit, iustissima causa ethnicae philosophiae coërcendae, Christi religio, quae, cum latere aperto invasit profanos philosophos, impiam prostravit philosophiam. maxime cum eam animus graecorum imperatorum, numini, maiestatique Christi devotus, publica cathedra deposuerit, edicto imperatoris Iustiniani, nequis ethnicam philosophiam palam edoceret. *a* Extremus denique impetus, qui philosophiam affectam iam penitus profligavit, a barbaris nationibus extitit, quae provincias imperii romani vexavere; Aegyptum etiam antiquae eripuere ditioni. Sed haec dicent rei litterariae historici. *b*

CAP. II.

CAUSAE recepti Aristotelis.

PROP. I. *Aristoteles ab hoste socius Ecc. factus.*

Iam quae in honore post C. N. non fuerat philosophia peripatetica, a seculo VII. sola coepit apud graecos βαρβαρίζοντας reviviscere; platonica vero, quae principatum in scholis christianis Alexandriae tenuerat, est de gradu suo deiecta. Dialectica enim Aristotelis pugnax, & spinosa, qua uti erant soliti primis illis temporibus haeretici, primo odium peripateticae doctrinae conciliavit in Ecclesia. cum pugnare non desisterent punctim, atque caesim haeretici sophistae; Ecclesiae praefectis, doctisque viris deinceps visum est faciendum, ut, sicut seculo II. facta erat ancilla fidei platonica philosophia, sic, re ipsa postulante, fieret religionis ministra Aristotelis dialectica.

II. *Laudatus mos exuendi haereticos armis suis.*

Quod ego consilium, si quae mea esset sententiae dicendae auctoritas, iterandum hoc tempore a catholicis censerem, uti istam haereticorum nostrae memoriae eruditam, empiricamque philosophiam nos in scholas nostras induceremus, ne posthac rusticos, & imperitos nos tertio quoque verbo illi creparent. Quod fieri hoc tempore iam coeptum in Hispania, vehementer gaudeo, ab Antonio Zacagninio S. I. nuper physico empirico in Seminario Matritensi, nunc & beneficio, & praemio Principum Hispanae Iuventutis magistro renuntiato a Carolo III. rege amplissimo, & virorum doctorum amantissimo.

III. *Origenia philosophia facta coenobitica.*

Itaque necessitas pugnae cum haereticis conferendae caestus aequavit, & dialecticos ab Aristotele pios commisit cum seditiosis dialecticis. At platonica ob Origene philosophia, quod non esset ita adversus haereticos necessaria, in religiosis graecorum coenobiis recepta, vix in publicum prodiit consecutis temporibus. Quam Aristotelis fortunam etiam arabes nonnihil promovere.

IV. *Ioa. Damascenus scholasti-*

Quin etiam iacentem erexit Aristotelem seculo VII. Ioan. Damascenus, qui inter saracenos, a quibus est Almansor appellatus, senator fuit sanctioris consilii, loco parentis a Califa allectus. vir ab eloquentia, *Chrysorrhoas*: a virtute, ac religione, monachus sanctissimus, relicta regia: a philosophia, peripateticus eximius, editis *Capitulis Philoso-*

a *Procopius. Zonaras. Conringius. Antiq. Acad. Sup.* XVIII. b *Conring. l. c. alii.*

losophicis, quae in argumento dialectico versantur, dissertationibus *De Animae Partibus Tribus*, *Virtutibus Quatuor*, *Facultatibus Quinque*: c a ratione methodoque in rebus divinis, quas plurimas tractavit, a multis vel primus scholasticus, vel primus certe systematicus theologus iure habitus, qui e Lyceo rationes, conclusionesque argumentorum in Porticum transtulerit Salomonis. d

cis peripateticis signum extulit.

CAP. III.
GRAECA phil. sec. IX.
PROP. I.
Leo Isauricus hostis philosophiae.

Ab hoc tempore magis, ac magis ruere coepit in praeceps philosophia graecorum. seculo enim VIII. cum Leo Isauricus bellum imaginibus indixisset, philosophos, qui a divorum cultu deduci non possent, miris modis vexavit. e qui *scholas*, & *piam eruditionem a Constantino Magno huc usque conservatam* extinxit. Zonaras est etiam auctor, f Leonem incendisse & bibliothecam Constantinopolis publicam, & una combusisse collegium duodecim virorum doctissimorum, qui e publico alerentur, quod eos sibi consentientes non habuisset.

II.
Psellus senior philosophiae reparator.

Qui vero imperio praefuit Orientis sec. IX. Bardas, constitutis publicis stipendiis, effecit, ut *litterae reflorescerent.* quo tempore litteris omnibus misero, Michaël Psellus senior, cum diligentem operam philosophiae, etiam alexandrinae, in insula Antro dedisset; multa, si Leoni Allatio, rerum graecarum peritissimo, credimus, h scripsit, *Paraphrases in Aristotelem*, *Operationes* etiam *Daemonum.* Quae Allatii suspicio non caret gravi coniectura, a gravitate maiori orationis, quam Psellus iunior tantam non habet, petita. Psellus accusatus a Constantino discipulo, quod, deserta Christi religione, mysteria illa graecorum (τελετὰς) coleret, ipse sese & carmine quodam purgavit, & senex dedit Photio in doctrina Christi reformandum. i

III.
Leo philosophus thessalonicensis episcopus scholas restituit.

Hic ergo Psellus discipulum habuit insignem *Leonem philosophum*, episcopum thessalonicensem, alium ab imperatore illo sapiente. Psellum Leo in insula Antro audierat; a quo inflammatus potius ad eruditionem, quam eruditus, k deinde *monasteria pervagatus*, *librosque in iis repositos perquirens*, summam doctrinam est affecutus. Antequam Bardas hominem magistris praeficeret, iam ipse scholas aperuerat. Huius discipulus in Califae regia captivus, cum, problemate soluto, luculenter testificatus esset de Leone, movit Califam, ut datis litteris ad se illum vocaret. Leo, ne proditor haberetur, litteras reddidit Theophilo imperatori, qui ea occasione coepit magno in loco habere philosophum. l Est qui *Oracula*, Leoni imperatori tribui solita, huius velit esse philosophi.

IV.
Phothius pene par graecis sapientibus.

Nemo vero vixit eo seculo cum Photio conferendus, m qui tanta sapientia florebat, *ut aevi sui facile princeps haberetur*, *imo & cum veteribus certare posset.* Cuius sapientiae, etiam in re philosophica, argumento sunt luculentissimo illa excerpta e libris philosophicis, quae in Bibliotheca sua nobis asservavit. Photium male acceptum, conversumque ab Andrea Scotto viro eruditissimo e S. I. invidiose criminatur Bruckerus, eo scilicet studio, animoque ingenuo, quo solet res cum Societa- tis,

c *Lequienius Edit. Damasceni Parisiis* 1712. d *Dupinius. Fabricius. Lequienius. alii.* e *Paul. Diaconus* XXI. 19. f *Ann. T.* III. *p.* 123. g *Zonaras. loc. c. p.* 129. h *De Psellis. p.* 2. i *Loc. cit.* k *Allat. loc. c.* l *Zonaras. loc. c. p.* 129. m *Nicetas Vita Ignatii Patriarchae CP.*

tis, tum etiam Ecclesiae Romanae narrare. qui non potuit Photii philosophiam laudare, ut non Ecclesiam romanam eadem opera vituperaret malae fidei historicus.

CAP. IV.
GRAECA philos. sec. X.

PROP. I.
Leo VI. imperator philosophus.

Ex institutione Photii, quem Basilius doctorem filiis dederat, sapientiam hausit suam Leo VI. qui dictus philosophus, n dictusque merito suo sapiens, a Leone philosopho thessalonicensi episcopo est omnino seiungendus. Plus aequo deditus arcanae doctrinae, *quae* p *per incantationes futura divinat*, auctor Leo sapiens habetur illorum *Oraculorum De Futuris Imperatoribus, Patriarchis, Rebusque Cpolitanis*. quibus cum praesignificata iam dicatur mors Theophanis, ante Leonem sapientem occisi; res est incerta de auctore *Oraculorum*. q

II.
David Nicetas philos.

Hoc eodem tempore vixit Nicetas ille David, scriptor *Vitae Ignatii CP. Patriarchae*. Huius haud sunt Nicetae r *Quaestiones In Philosophia*, & *Commentarii In Aristotelis Categorias*, & *Quinque Voces Porphyrii*. nihil enim ille dedit in vulgus philosophiae. tamen ob eximiam in ea cognitionem vulgo est appellatus philosophus. *s*

III.
Constantinus Porphyrogenneta philosophiae patronus.

Atque hoc ipso seculo Ecclesiae X. novum vidit philosophia patronum, Constantinum Porphyrogennetam imperatorem: qui ab Anonymo, cui debet resp. litter. *Geoponicas Eclogas Constantini*, dicitur *t primus philosophiam, & rhetoricam iam deperditas mirabili artificio, & prudentia retraxisse*; ab aliis philosophiae, quae iam fere interciderat, atque ob incuriam, & inscitiam imperatorum perierat, doctores constituisse. *u* Huc referendus ille Michaël Ephesius, notissimus interpres Aristotelis, *x* qui alius fuisse a Michaële Psello; *y* praeterea nihil de eo, dicitur.

IV.
Magentinus, Psellus iunior philosophi.

Locum etiam in hoc seculo X. facimus Magentino, metropolitano mitylenensi. non enim ante vixisse videtur, qui veteres Aristotelis habet interpretes Proclum, & Marinum; quique testem appellat Philoponum. z Est vero Magentinus illustris ἐξηγητὴς Aristotelis, ab alexandrina non imparatus philosophia. Michaël Psellus iunior magnam accendit facem sapientiae graecae. patricia ortus familia Constantinopoli, a puero pene solus sine magistro philosophiam didicisse, ipse de se profitetur. *a* laudat etiam discipulos suos: *b* in quibus Ioannem quemdam Italum instituit, sibi iniurium praeceptori. *c*

V.
Ducas Pselli discipulus.

Datus Michaëli Ducae magister, quem in imperio tam volebat impense philosophum, quam in gymnasio aequum vix fuisset, in invidiam omnium venit, quod philosopharetur otiose imperator; logothetes vero inique imperaret. *d* Cum imperio deiectus fuisset Ducas, principatu philosophorum, quem Psellus obtinuerat, Ioanni Italo adiudicato, quocum hic erat solitus scholasticis rixari clamoribus; Psellus monachus esse iussus est. Huius Pselli iunioris feruntur *Paraphrases in Libros Logicos, & Physicos Aristotelis, Compendium item Quaestionum, & Responsionum, Expositio Oraculorum Chaldaicorum.* e

Ab

n *Zonaras l. c. p.* 141. o *Allatius l. c. nonnihil dissentit.* p *Zonaras p.* 149. q *Fab. B. G. Vol.* VI. r *Id. Vol.* VI. s *Allatius l. c.* t *Bruck. T.* III. *p.* 537. u *Bruck. con. l. c.* x *Fab. B. G. Vol.* IX. y *Allat.* z *Ipse p.* 21. & 24. & 34. & 38. a *In Funere Xiphilini.* b *Orat.* III. c *Anna Comnena Alexiad.* V. d *Zonar. loc. cit. pag.* 127. *Comnena l. c.* e *Fab. B. G. Vol. V.* omnino videndus.

Ab hac celebritate philosophiae, quam ei & Psellus, & Ducas attulerant, factum opinor, ut deinceps Constantinopolis non caruerit philosophis. nam seculo XII. vixit ille Eustratius episcopus nicaenus, quem quidem Anna Comnena sapientiae antiquorum stoicorum, atque academicorum praeposuit. *f* qui si schismatis patronus adversus Chrysolanum mediolanensem episcopum non scripsisset, satis amplam assecutus esset gloriam, fructumque doctrinae iis commentariis, quibus Libros Aristotelis Logicos, & Ethicos interpretatus est. *g*

CAP. V. *GRAECA philos. reliq. sec.* PROP. I. *Eustratius.*

Nicephorus Blemmides, monachus ab omni ambitione remotus, patriarcha CP. a Theodoro Lascare discipulo designatus, quem honorem constanter recusavit, *h* & multis aliis virtutibus, & varia insignis sapientia; se vel in re theologica, vel in re logica, & physica scriptis petitissimum ostendit. *i* Eodem Ecc. Sec. XIII. Georgius Pachymeres patria nicaenus, & philosophiae studiosissimus, *k* cuius studii nobis monumenta reliquit, quae videre lucem: (alia enim plura in bibliothecis anecdota hodie latent) *Epitomen In Philosophiam Aristotelis*, *& Compendium Logicae Aristoteleae* scripsit.

II. *Blemmides, & Pachymeres.*

Plures habuit doctrinae, melioresque alumnos Graecia Sec. XIV. a quibus, Constantinopoli capta, lux est allata omnibus disciplinis in Occidente. Nos hoc loco non possumus Theodorum Metochitam logothetam CP. silentio praeterire, quem Nicephorus Gregoras eius discipulus, Thomas etiam Magister amplissimis laudibus extollunt. *l* Hodie habemus a Metochita *Paraphrasin In Aristotelis Physicorum Lib. VIII. In Libros III. De Anima. In Libros IV. De Coelo.* *m* multa alia scripta etiamnum latent in scriniis.

III. *Theodor. Metochita.*

Iam qui supersunt eius aetatis, plurimos dabit Francis. Patricius. *n* nos duos addimus modo, Georgium Cyprium, qui extremo seculo XIII. floruit atticae elegantiae in sermone studiosissimus, philosophiae vero & platonicae, & peripateticae doctissimus, *o* quem Ephraemius *p musarum sacrarium* nominavit. Floruit etiam in insula Cypro Georgius Lapitha, sermonem doctus utrumque, & syllogismorum iaculator peritissimus in latinos sapientes, quos Cypri regulus habebat domi. *q* Huc advocanda esset historia Barlaami, & Palamae, nisi ea ad theologos potius spectaret. *r*

IV. *Georgius Cyprius, & Georgius Lapitha.*

Haec ad summam dixerimus de philosophia media graecorum, quae multo minus barbara, quam quae apud latinos a sec. VI. tenuit, usque ad litteras in Occidente restitutas, tandem aliquando lucem, & splendorem sapientiae restituit in Italia. Primum omnium invidia, quam, mentito nomine mathematicorum, chaldaei, astrologi, venefici philosophiae peperere, iam inde a sec. Eccl. I. *s* iustissima quidem odii causa, quam eamdem habuit Ecclesia, *t* eorumdem hominum decretis suis saepe notandorum; sensim, ut fit, sapientiae studium apud latinos vel eo etiam nomine, quod mentiti sapientes non probarentur reipublicae, extinxit. Dein-

CAP. VI. *CAUSAE barbarae latinorum philosoph.* PROP. I. *Invidia magiae nocet philosophiae.*

f L.c.p.453. g *Casimirus Oudin. De Script.Ecc.T.II.alii.* h *Gregoras l.III.* i *Fab.Vol.VI.* k *Allatius de Georgiis. alii.* l *Gregoras VII.p.124.* m *Fabr. Vol.X.* n *Disc.Peripat.T.II.l.XX.* o *Allat.l.c.* p *In Chronico.* q *Allat.l.c.* r *Peta.t.I.VI.* s *Gell.I.9.Eutr.Ad Mat. IV.alii.* t *Laodic.Con.can.XXXVI.*

II. *Gothica barbaries barbaram fecit philosophiam.*

Deinde vero Gothica barbaries barbaram fecit philosophiam, quae necessario iacuit, eodem labefactata impetu, quo cecidit romanorum imperium. Barbari enim rerum potiti vetuere, ne liberi sui philosopharentur, veriti, ut satis virtutem, & studium bellicum in philosophorum exedris retinerent. Quam si, re ipsa monente, Heumanus, *u* & Bruckerus *x* reddidissent rationem ruentis in praeceps philosophiae; nunquam Gregorium illum Magnum, caput huic malo fecissent. de quo, *y* invitis etiam suis, illam narrant fabulam, a Sarisberiensi excriptam, *z* incendio dedisse probatae lectionis

Scripta, Palatinus quaecumque tenebat Apollo.

At enim rescripto vetuit Gregorius, multisque minis, *a* ne in posterum doctor christianus traderet grammaticam. Quid tum vero? quasi ea tempestate sacerdotes, nec adeo multi, necdum oblitterata memoria superstitionis profanae, sine nota potuissent & Christi, & Iovis, nondum divinitate satis exuti, laudes eodem ore concinere.

III. *Magistri parum latini nocent philosophiae.*

Neque vero non valuit plurimum ad barbaram philosophiam cum inopia commentariorum in eo genere latinorum; tum ignorantia graeci sermonis ubique dominata, quae hoc etiam tempore non parum nocet Hispaniae philosophanti; tum denique genus ipsum magistrorum. Constat enim multorum testimoniis, multum in manibus fuisse habitos Marcianum Capellam, Boëthium, Casiodorum, Macrobium, Iulium Firmicum, aliosque, si non malos, at certe non valde bonos scriptores rerum philosophicarum. De quibus hic est dicendi locus.

IV. *Capella, & Boethius habiti magistri.*

Marcianus Mineus Felix Capella afer, Madaurae natus sec. VI. dignisimus barbarorum philosophorum magister, scripsit *Satyram Novem Librorum*. b quae insulsa, & male farta, artium ingenuarum praecepta complexa, ita movit salivam illis eruditisimis temporibus, ut *qui Capellam teneret, videretur omnium artium arcana nosse*. c Boëthius habitus & iam dux philosophiae, si non iure suo, at sine iniuria: qui si tam diligens, & limatus fuisset in interpretationibus Aristotelis, quam in *Libro De Consolatione Philosophiae*, tenere potuisset latinas hominum aures: praecepta etiam, quae Athenis attulerat, latinis eleganter communicare. *d*

V. *Casiodorus, Macrobius, Chalcidius, philosophiae duces.*

Casiodorus item, cum *De Septem Disciplinis* scripsisset, tanto est habitus in pretio, ut etiam hodie sint, qui iocosam imaginem laudum referant Casiodoro. *e* Macrobius iure suo placuit iis, quibus & cor, & palatum paulo magis eo tempore saperet. *f* est enim cum eruditus in re philosophica, tum vero satis latinus in *Conviviis Saturnalibus*, & *Somn o Scipionis*. His ipsis etiam adhibitus Chalcidius: adhibitus denique Iulius Firmicus, vetantibus Ecclesiae praefectis; quod de astrologia, de potestate siderum ex aegyptiorum, & babyloniorum doctrina libros VIII. edidisset. *h*

VI. *Hispania dedit in ea aeta-*

His ergo philosophiae magistris, sec. VII. *coacto* i *ab Agathone Romano Pontifice Concilio, in ea primorum capitum frequentia, inventum neminem*

minem

u *Consp.Reip.lit.c.*IV.§.XXV. x *T.* III.*p.*560. y *Barbayrac.De la Moral.* c.17. z *Pelic.*II.26. a *L.c.* b *Fab. B.Lat.Med.T.*I.*alii.* c *Barthius. Advers.*VIII.22. d *Fabric.l.c.Tom.*III. e *Paul. Diac.* VIII. f *Saris.Metalog.* IV. h *Fab.Tom.*III.*Bib.Lat.* i *Ioan. Domin.Musantius e Soc.Ies.Tabul.Gronolog.*

minem vel mediocri doctrina instructum, qui ad Constantinum Pogonatum legari posset, eiusdem Pontificis litterae deplorant. Quo tamen seculo Hispania nostra vidit cum alios viros sapientissimos Leandrum, Fulgentium, Braulionem; tum maxime Isidorum Hispalensem, *k* hominem in rebus philosophicis doctissimum. quam sanctissimi praesulis sapientiam *Originum Libri XX.* sive *Etymologicum*: Liber *De Natura Rerum*, seu *De Mundo*, satis, superque testantur. Testabuntur autem illustrius, si Antonius Zacharia e S. Ies. Vir Clar. Ducis Mutinensis bibliothecarius, non immeritus Lud. Ant. Muratorii in ea praefectura successor; in vulgus emiserit Isidorum suis lucubrationibus, curisque expolitum. Cuius rei memini, mihi spem amplissimis verbis fecisse non ita pridem Antonium Maurinium e S. Ies. theologum, quem honoris causa, virum facile in eruditione, & eloquentia sacra principem, volui nominatum.

te viros doctissimos.

CAP. VII. *LATINA philosoph. sec. VIII.* **PROP. I.** *Hiberniae philosoph.*

Sed ad propositam orationem redeamus. In dies singulos magis, ac magis stupor, ac foeda barbaries Italiam, & Hispaniam occupabat. in quibus non iam philosophi, sed ne homines quidem litteras docti ita multi Sec. VIII. reperiebantur. At hac ipsa aetate Britannia, a barbarorum impetu libera, quales quales habuit antiquae doctrinae reliquias. *l* Hibernia erat Septentrioni doctrinae emporium, *m* quam illinc in Britanniam cum attulissent viri docti, satis visa est florere. certe inde in Galliam paulo post sapientia manavit.

II. *Theodorus Cilix, & Aldhelmus in Britannia philosophi.*

Eo accessit graecus monachus Theodorus Cilix, in Britanniam a Romano Pont. missus, cantuariensis antistes, *n* homo satis a doctrina instructus. Cuius discipulus ineunte seculo VIII. floruit Aldhelmus natione anglus, qui studio sapientia Galliam, & Italiam peregrinatus, domumque reversus, *De Natura Insensibilium*, *De Philosophorum Disciplinis* scripsit. *o*

III. *Beda in ea aetate philosophus insignis.*

Tulit eadem tellus eodem tempore Bedam, qui adolescens audiit abbates duos Benedictum, & Oeolfridum, Ioannem itidem episcopum hagulstadensem. Si quis autem ingenium Bedae maximum, simile iis, quae Britannia alere solet; studium ingenio maius; famam summam, gloriamque sapientiae, ac virtutis detrahat: iniuriarum actionem in eum iure habebunt britanni, qui civem suum in astra ob eas virtutes ferunt. *p* sin autem quis scriptis philosophicis, quae nobis Beda reliquit, eam philosophiae gratiam, & elegantiam dederit, quae in antiquis emicat philosophis; notam criticorum subibit gravissimam.

CAP. VIII. *LATINA philosophia sec. IX.*

Alcuinus, vel Albinus, vel Alchwinus, natione anglus, Egberti archiepiscopi eboracensis discipulus, *q* in omni genere doctrinae, ut in ea aetate media, excellens, qui latine, graece, & hebraice etiam publice doceret, magnum momentum attulit litterariae reip. Nam e-

nolog. VII. *Aeta. Tab.* XXVII. *Romae* MDCCLI. quem addita *Differt. Hist. Critica Ioan.Bapt.Faureus eiusdem Soc.* vindicavit contra Chronologos reformatos, quibus cordi est, castigata nostrorum sociorum volumina, vel etiam, sine *SOCIETE ἄνευ τοῦ Iesu* edenda saepius curare. k *Nic.Ant.B.H.V.* T.I. l *Conring.Antiq.Acad.Supp.XXXI* m *Ericus Autisiodorensis. Vit. S. Germani.* n *Oudinius.T.I.* o *Fab.B.La. Med.T.I.* p *Mabillonius. sec. III. Bened. P. I.* q *Bruckerus conf. T. III.* a *p.* 587.

PROP. I. *Alcuinus anglus promovet in Gallia philosophiam.*

vocatus in Galliam a Carolo Magno imperatore, quem natu maiorem docuit, hunc studio doctrinae reparandae inflammavit. *r* a quo praefectus est *Scholae Palatinae*, quam ille domi instituit. *ſ* Curavit etiam & Parisiis, & in oppidis aliis Galliae, & Germaniae, & in monasteriis non modo ab imperatore, sed etiam ab episcopis scholas constituendas. Scripsit de re philosophica non pauca volumina, quae recenset Fabricius. obiit an. Chr. CCMIV. ut discipulus esse non potuerit Bedae an. DCCXXXI. vita functi.

II. *Scholae eo seculo apertae.*

Itaque seculo Ecclesiae IX. recreata philosophia patrocinio Caroli Magni, eiusque filii Ludovici Pii, deinde etiam Caroli Calvi, fructum tulit in Gallia uberiorem. Multae enim multis in locis conditae scholae *t* philosophos aluere nobiles. erat eo seculo lugdunensis schola, cui Antonius *magnae deditus philosophiae* cum praeesset, *u* magnos instituit discipulos. Erat fuldensis, quam Rabanus Maurus regebat. *x* erat corbeiana, in qua Paschasius Ratbertus, Ratramnus, aliique docti viri philosophiam tradiderunt. *y* mitto scholas alias, quas magna diligentia recenset Ioann. Launoius, ut remensem, ut floriacensem.

III. *Rabanus Maurus, Strabo, Lupus Servatus, aliique philosophi.*

Doctores autem harum scholarum fuere nobiliores, Rabanus Maurus, Moguntiae natus, discipulus Alcuini, praefectus fuldensi scholae. Walafridus Strabo *omnium sui temporis doctissimus*, & in schola fuldensi successor. Lupus Servatus, qui gravi oratione philosophiae neglectum deploravit, *& sapientiam quosdam studiose colere* in iis, quibus vivebat, regionibus, pergratum habuit. *a* Iam alios eius aetatis viros sapientiae fama conspicuos, indicemus potius, quam dicamus: Ansegisum eleganter doctum: Adhelardum Pipini filium: Paulum Winfridum, Carolo Magno a doctrina, ingenioque charissimum: *b* Angilbertum, quem Carolus Magnus Homerum suum appellaret: Clementem Scotum Alcuini socium: Hincmarum remensem archiepiscopum, litteris profanis nulli secundum, & in controversia De Praedestinatinatione nobilem: *d* Herricum Haymonis, & Lupi Servati discipulum, Lotharii in philosophia magistrum: *e* Wandalbertum diaconum: Reginonem abbatem, qui facile inter doctores sui temporis obtinuit principatum, cum prumiensem regeret scholam: *f* Eginhardum ob doctrinae opinionem appellatum sapientem, habitumque philosophum, qui vitam Caroli Magni scriptam reliquit. *g*

IV. *Ioan. Scoti Erigenae res.*

Hi tamen in unum omnes collati philosophi, non sunt cum uno Ioanne Scoto Erigena, alio a Ioanne Dunsio Scoto, conferendi. *h* Patria incerta Erigenae, qui certe ex ea gente fuit, quam hodie dicimus britannicam. incerta etiam schola. est, qui Erigenam ducat Athenas tum, cum atticae musae dudum conticuerant. *i* est, qui doctam Hiberniam det Ioanni magistram, ubi, quod monstri simile ea aetate videatur, graecam, hebraicam, & arabicam linguam didicerit. Carolus Calvus Ioannem ad se vocatum e Britannia, & magna animi voluptate, fructuque exceptum, praefecit scholae palatinae: quam tenuit communi o-

r *Eginhardus. Vit. Caroli Magni* 25. ſ *Launoius. De Scholis Celebrioribus.* t *Loc. cit.* u *Acta SS. t. X. die* 2. *Maii.* x *Laun. l. c.* y *Citati.* a *Trith. D. S. Ec.* 272. *b* *Bruck. III. p.* 626. d *Iac. Sirmondus. e S. I. Diss. Praeli. Opp.* 1646. e *Citati.* f *Trith. alii.* g *Mabillon. sec. IV. P. I.* h *Bruck. l. c.* i *Loc. c.*

omnium plausu. Ibi tutus ab inimicis, quos sibi vel invidia, vel certe iniquior de doctrina parum sana rumor, conciliaverat, Carolo vixit imperatore. quo demum mortuo, vix videtur probabilis eorum opinio, qui Scotum in Angliam reversum, & a discipulis, quos acerbe in schola haberet, graphiis confosum fuisse, scribunt. k

V. *Doctrina famosa Erigenae.*

De doctrina Erigenae famosus ad posteros sermo diditus est. Causa invidiae non ab ea interpretatione Dionysii Areopagitae, tum primum muneri dati Carolo Calvo a Michaële Balbo, quam iussu regis non valde bonam Erigena confecerat, videtur esse repetenda; quamquam nonnihil cum Carolo ea de re expostulaverit Nicolaus Pontif. Rom. l sed potius cum ab eo, quem fovebat, errore, Christum non esse in Eucharistia praesentissimum; *m* tum vero maxime, ab ea philosophia zoroastrea, & alexandrina, quam in illis suis *De Divisione Naturae Libris V.* propugnaverat. qua nihil magis fingi potest pantheisticum. *n*

CAP. IX. *LATINA philos. sec. X.*

PROP. I. *Ferreum seculum fovet dialecticos.*

Sed haec fuere ante X. Ecclesiae sec. at cum Baronio, ut loquar, *p novum nunc inchoatur seculum, quod sui asperitate, ac boni sterilitate ferreum; malique exundantis deformitate plumbeum, atque inopia scriptorum appellari consuevit obscurum.* Neque in eo tamen defuit studium philosophiae, ac theologiae. nam *ea aetate* q *studia ferme nulla nisi philosophiae, ac theologiae fuere.* quae qualia essent in summa sophistarum barbarorum contentione, scriptum reliquit Sarisberiensis, *r* eo tempore fuisse homines *Dialecticae ita studiosos, ut clamarent in compitiis, & in triviis docerent, & in ea, quam solam profiterentur, non decennium aut vicennium, sed totam consumerent aetatem.* Ut non male, in huius ignorantia seculi sparsa fuisse, dicas, scholasticae semina doctrinae.

II. *Schola remensis.*

Gallicae scholae fructum sec. X. non penitus negarunt. in iis educti bini Remigii. quorum alter Remigius Autissiodorensis hereditatem doctrinae alcuinianae adiit, doctus ab Herrico, *a* quem Lupus Servatus Alcuini discipulus edocuerat. Remigius primo Parisiis, deinde Remis, ubi nobiles instituit discipulos, Hildeboldum, & Blidulfum, & ipsos deinde magistros; scholas habuit. Multa scripsit & sacri, & philosophici argumenti. *b* Alter vero Remigius inclinante sec. X. ad D. Luthvvini sapientiam professus, philosophus insignis a Trithemio dicitur.

III. *Schola floriasensis.*

Schola floriacensis dedit Abbonem, a Launoio valde laudatum, *c* quasi, cum vocatus esset in Angliam, pro Alcuino Gallia par pari dedisset hostimentum. Institutus est & Floriaci, & Remis, & Parisiis. Hunc Trithemius *d* in Vasconia Christo martyrem facit. Baluzius exhibet omnia alia in *Epistola quadam Encyclica.* *e* Certe Abbo in dialecticis, & astronomicis nescio quid dicitur fuisse commentatus. Indidem vidit ea aetas Constantinum, & Gerbertum, *f* scholasticos floriacenses philosophiae studiosissimos. Et suos numerat prope multos Germania philosophos sec. X. quorum catalogum dabit Bruckerus.

Extra

k *Conring.Ant.Acad.Sup.*31. l *Mabillon. Ann. Bened. ann.* 883. *alii.* m *Cellotius Histor.Gothescbalci.p.*415. n *Bruckerus.T.III.p.*620. eius specimen exhibet. p *Ad.an.*900. q *Sigonius.de Reg.Ital.*VII. r *Metal.II.*7. a *Mabillon.sec.V.Ben.p.*32. b *Oudin. T.II.* c *C.*26. d *Ann. Hisaug .T.I.* e *T. I. Miscel.* f *Gerbertus.ep.*160.

IV. *Silvester II. egregius philosophus.*

Extra sortem Gerbertus, qui idem fuit Pontifex Rom. Silvester II. est egregie laudandus, aurelianensis, infimo loco natus, *a puero n monachus apud Floriacum.* Is amore sapientiae, vel permissu maiorum suorum, vel fuga usus, an Corduvae, an Hispali ultimam dedit & philosophiae, & mathesi manum. In qua utraque doctrina usque ad miraculum, ut in ea aetate, eruditus est. quem adeo, etiam Pontificem Romanum, veluti magum calumniarentur. credo non secus, atque hodie multi eruditissimum quemque philosophorum, qui non sit de schola, vocant haereticum. tanta esse solet vel insolentia, vel invidia sapientiae non vulgaris. In Ecclesiae praefecturis sese genuinum praestitit philosophum. Multa, eaque meliore digna seculo, scripsit. *o*

CAP. X. *LATINA phil. sec. XI.*

PROP. I. *Fulbertus, Adelmannus, Buchardus, philosophi.*

Philosophia non repressit ruinam sec. XI. quod etiam ferreum vocavit ille annalium Ecclesiae parens Baronius. In ea rusticitate egregie tamen exculta musica. *p* Corpus etiam conformatum Iuris Canonici. *q* Itaque dum musicis, dum decretis ecclesiasticis dant operam; iacet miserum defoedata in modum philosophia. Quae cultores tamen suos, maxime monachos habuit benedictinos. Fulbertum Carnotensem discipulum Gerberti, *r* poëtam clarum, ac dialecticum: Adelmannum *philosophum, & dialecticum famosum*: Buchardum consutorem decretorum: Olbertum, qui Buchardo operam accommodavit in compilandis legibus ecclesiasticis. Angelranum *eo tempore caeteris altius* philosophatum. *t*

II. *Berengarius, Hildebertus, Bruno coloniensis philosop.*

Fulberti vero discipulus, Berengarius multum captiosis interrogationibus in causa impia facessivit negotii bonis illis viris, qui fide patria potius, quam cavillatione dialectica praesentissimum in Eucharistia Christi Domini corpus agnoscebant. *u* Certe Berengarius clarissimos *in philosophia* discipulos aluit plures: in iis Hildebertum cenomanensem, qui, utcumque vixerit, *x* certe ita scripserit in re theologica, ut multum homini debuerit Pet. Lombardus. *y* ille, quod vero mirere, perspicuitate vicit, & brevitate reliquos in eo genere scholasticos doctores.

III. *Lanfrancus, Anselmus cantuariensis, philosophi.*

At copias suas dialecticas Berengario opposuit Lanfrancus italus, beccensis magister philosophiae. *a* Huius discipuli *ubique* b *inflatis buccis dialecticam ructabant, aliosque magnifice de se sentientes initis disputationibus in ruborem dabant.* Ex his fuit non doctrina magis, quam christiana constantia, ac virtute nobilis Anselmus Cantuariensis. *c* cui schola initium aliquod debet in iis libris, quos via, ac ratione de rebus theologicis scripsit. Cartesius vero omnino debet argumentum illud classicum, quo ab IDEA NATURAE SUMMAE petito, summam naturam, sive Deum demonstrare conatus est. *d*

IV. *Hermannus Contractus philosophus μαριδίδακτος.*

Illa aetate Hermannum Contractum, in Suevia nobili loco natum, ob vitium corporis, a quo habuit *Contracti* nomen, puerum ad D. Galli Deo pater dicavit. Hic, auctore Helperico magistro suo, a Diva Christi Paten-

n F. *Pagius Brevi. Pontific. RR. T. II.* o *Oudinus T. II. Fabricius B. Lat. M. T. III. alii.* p *Sigeb. Gemblacensis. D. S. Ecc. c.* 144. q *Fab. B. Lat. M. T. I. & B. G. Vol. XI.* r *Trith. D. S. Ec. cap.* 315. s *Idem l. c. cap.* 320. t *Trithem. Mabillonius. Fab. alii.* u *Baron. ad an.* 1059. x *Trithem. c.* 350. y *Excerpta Trivoltia. an.* 1708. *Iul. ar.* 93. a *Ac. SS. T. VI.* 28. *Maii.* b *Launoius c.* 24. c *Trithem. c.* 351. d *Leibniziana p.* 472.

rente Maria cum malis petiisset opem & corporis, & ingenii, quod non habeat distorto corpore melius; per quietem visus est, secum alloquentem audire Divam, quae optionem sibi faceret, utrum corpore, an ingenio mallet valere. qui sapientiam cum praetulisset, evasit in ea facile princeps. Latina fecit scripta & arabum, & graecorum. e

Hoc ego loco officio, ac religione commonitus non possem, quin nonnihil cum Bruckero expostularem, nunquam pro re nata non insigniter impio; qui cum Divae Mariae visionem enarrasset, patet, f ait, *etiam christianis non defuisse philosophos, & quidem peripateticos, per habitum infusum θεοδιδάκτες. qualem Iockdanidem suum Tophail ostentavit, & de Apollonio Tyanaeo iactavit Philostratus.* Expostularem, inquam, nisi Vir Clar. Iosephus Martinius e Soc. Ies. g ne acerbe agerem cum illo critico, me monuisset.

V. *Notata Bruckeri impietas.*

Trithemius his annumerat Anselmum Laudunensem h scholasticum, Abaelardi magistrum. Franconem scholae leodiensis doctorem. Willeramum in bambergensi schola doctrinae praefectum; quem Parisii prius habuere doctorem philosophiae. Wilhelmum abbatem hirsaugiensem: Lambertum Legianum, ad D. Matthiae apud Treviros monachum, & scholasticum: Conradum episcopum tullensem, deinde Leonem IX. Pontif. Max. Mauricium episcopum rothomagensem, qui contra Berengarium scripsit: Gerardum Laudunensem andagavensis scholae magistrum. de quibus postremis est proditum in *Trivio*, & *Quadrivio* fuisse eruditissimos.

VI. *Anselmus Laudunensis, Franc. Wiler. Legianus Conradus, philosophi.*

Quoniam vero in philosophis mediis nihil est & *Trivio*, & *Quadrivio* frequentius, non possumus, quin ad calcem mediae philosophiae eam rem indicemus. Iam inde ab ultima philosophorum memoria institutum fuit, ut artes quaedam prius perciperentur, quas dixere liberales, quam initia, & mysteria philosophiae candidatis traderentur. A sec. vero VI. sapientia coepit iis septem artibus ingenuis coërceri, quas Marcianus Capella, & Casiodorus, alter altero inficetior, libris suis complexi fuerant. In medio barbariei regno illae tres artes Grammatica, Dialectica, Rhetorica, i ab iis barbaris barbaro carmine indicatae;

VII. *Trivii, & Quadrivii ratio.*

GRAM. loquitur. DIA. vero docet. RRET. verba colorat,

vocatae sunt *Trivium*. Reliquas autem quatuor, quas suo etiam carmine, ruris plenissimo, significavere

MUS. canit. AR. numerat. GEO. ponderat. AST. colit astra.

Musicam, Arithmeticam, Geometriam, Astronomiam, has vocabant *Quadrivium*. Et miramur; cur tam barbara fuerit media ista philosophia? Et multi hodie, pane reperto, ad quercus, & glandes redeunt?

BAR-

e *An. Hirsaugiensium T. I. p.* 148.
f *T. III. p.* 670. g Nihil vero mirum, si V. ille Clar. doctrina insignis, diu & Parisiis, ubi iussu Ferd. VI. Regis Legationis hispanicae curam sustinuit; & Londini a confessionibus Comitis Fontani, praestantissimi e patricia Hispaniae gente Legati, versatus, summam erga omnes humanitatem, in quam ille bonitate fertur naturae, colendam existimet. Cui ego nisi paruissem mecoenati, Patrique meo suavissimo, nullis victimis flagitium expiassem.
h *Launoius C.* 59. *Trithemius. alii.*
i *Capella. Casiodorus. Trithem. Sarisberien. Tzetzes. Chiliade XI. sect.* 377.

BARTHOLOMAEI POVII E SOCIETATE IESU INSTITUTIONUM HISTORIAE PHILOSOPHICAE

LIB. IX.

DE PHILOSOPHIA SCHOLASTICA.

CAP. I. *NATURA scholast. philosophiae.*

PROP. I. *Heic ab hispanis scholasticis speratus favor*

CUm ita simus omnes a natura comparati, ut maiorum domestica facinora avidissime audiamus, quae una ii nesciunt etiam oblivisci homines nobiles, qui omnia alia nesciunt; prolixe in hac parte mihi polliceor de studio, ac benevolentia scholasticorum hispanorum: qui ut alia antiquiora de chaldaeis, graecis, romanis non valde curent; tamen scholasticorum historiam, in qua suos sibi simillimos saepe sint agnituri progenitores, non negligendam, opinor, arbitrabuntur. In qua ita rem exordiar, ut primo iacta philosophiae scholasticae semina cum in arabum imperio; tum in aetate media & Graeciae, & Latii, in qua illa voluit saepe caput efferre, dilucide ostendam; deinde magistros persequar.

II. *Scholastici varia nominis potestas.*

Et quoniam omnis, quae a ratione suscipitur de aliqua re, institutio, debet a definitione proficisci, ut intelligatur, quid sit id, de quo disputetur; nostra haec oratio a definitione *scholastici* proficiscatur. Ea quidem vox, iam antiquitus usurpata apud romanos, saepe discipulum, *a* saepe sophistam, sive rhetorem, *b* saepe oratorem in foro *c* valebat. quae potestas fuit *scholastici*, cum imperium fuit romanum. At in illa aetate media philosophiae, postquam Carolus Magnus sedem stabilem, domiciliumque certum sapientiae erranti, aut etiam fugienti, posuisset; is dictus est *scholasticus*, qui erectis vel prope aedes sacras

a *Petronius Satyr. p. 4. edit. Consalvi de Salas.* b *Quinct. De Caus. Cor. Eloquentiae.* c *Vales. ad Soc. Hist. Ecc.* VI. 6.

ſacras, vel in coenobiis, praeeſſet gymnaſiis. quae vis, ac ratio nominis ad ſeculum C. N. tenuit XII. *d*

III. Vis & notio propria ſcholaſtici.

At poſtquam ex eo ſeculo inſtituta eſt nova quaedam eruditorum hominum civitas, congregatis paſsim academiis; qui philoſophiae, qui theologiae etiam praeerant, hi *ſcholaſtici* & erant, & nominabantur. Quos ego *ſcholaſticos* ita cenſeo finiendos, ut qui Ariſtoteli ſervierint; qui ex formula ariſtotelea, veluti ex edicto perpetuo, in rebus etiam ſacris, ubi non intercederet maior aliqua poteſtas, iudicarint; qui methodo conciſſa, exili, contentioſa docuerint: ii & ſint habiti, & hodie ſint habendi ſcholaſtici. Quam ego definitionem malo in aliorum iudicio ponere, quam in ea per genus, & differentiam, perque τὸ *nego*, perque τὸ *concedo* aſſerenda, & vindicanda, ſcholaſticus videri. de qua memini intercedere mihi per litteras diſputationem cum homine, quem ego habebam eruditum, ipſe & eſſe, & videri ſcholaſticus, ſine me rivali, cupiebat; & erat ille quidem ſcholaſticus. *e*

CAP. II. ORIGO ſcholae in Arabia.

PROP. I. Antiqua philoſophia zabiorum in Arabia.

Itaque ſcholaſticorum hominum cum philoſophiam mihi narrandam ſuſcipio, non poſſum, quin ab ovo, quod aiunt, uſque ad mala narrem. De origine ſcholaſticae philoſophiae ita ſtatuo, eam ab Arabia potiſsimum eſſe repetendam: video enim in Arabia & viguiſſe prius, & ex Arabia in Europam migraviſſe. quam ego totam iam nunc retexo orationem meam, niſi hic liber ſatis, ſuperque eam confirmaverit. itaque cogitemus Arabiam. Arabes, quo tempore ille Mahummedes novas coepit leges de religione ferre, alii ſacra chriſtiana, alii iudaica, alii magica colebant. *f* qui poſtremi in ſe philoſophiam quamdam zabianam, ſive colluviem, & foecem omnium ſuperſtitionum collegerant.

II. Proſcripta in imperio Ommiadarum philoſophia arabica.

Quin ipſe etiam legislator in Corano condendo monſtroſam illam compilationem ex placitis chriſtianis, iudaicis, zabianis, ſive chaldaicis per quoſdam homines, earum religionum peritiſsimos, confecit. *g* Summus ſtupor animi ſaracenos, a Mahummede doctrinae proſcriptore, tenuit, quandiu penes Ommiadas fuit imperium. *h* quo tempore Amrus, cum auſpiciis Omaris Alexandriam in poteſtatem ſaracenorum recepiſſet; rogatuſque a Ioanne Philopono, quo philoſopho valde delectabatur, fuiſſet, ut alexandrinam bibliothecam ſaracenis inutilem ſibi traderet; ex reſcripto Califae balnea per ſemeſtre totum libris calefecit. *i* miſerandum doctae magnificentiae Ptolemaeorum exitum!

III. Habbaſidarum Califa Almanſor arabicae mecoenas philoſoph.

Habbaſidarum, (quae familia Ommiadis in imperio ſucceſſerat) iam ſeculo Eccleſiae VIII. in Arabiam inducendae philoſophiae princeps, & auctor fuiſſe dicitur *k* Califa II. Almanſor, *l* & philoſophiae ipſe, aſtronomiaeque peritus, & doctarum frontium patronus. Eiuſdem familiae princeps V. Haron Raſidus, muſarum amicus, cuius aula plena eſſet doctiſsimis conſiliariis, *m* dignuſque vel eo nomine, qui amicitiam coleret

d *Lib.* VIII. ſaepe. *Conrin. Acad. Antiq. Diſ.* III. *e* Haec res tota paulo poſt ipſa pro ſe clamabit, in ſcholaſticis recenſendis. f *Eduardi. Pocockius in Abulfarai Hiſtoria p.* 136. g *Bruck. T.* III. *p.* 16. h *Abulfaraius p.* 246. i *Id. p.* 116. k *Cit.* l De Imperio Saracenico *Vid. Elmacinus Hiſt. Sarac.* II. 6. m *Idem loc. cit.*

leret cum Carolo Magno muneribus regiis mittendis; *n* mecoenas in Arabia fuit.

IV. *Califa Almamon egregie fovet philosoph. arabum.*

Almamon vero, ineunte iam seculo Eccl. IX. effecit, ut aurea philosophiae secula tum in Arabia currerent, cum aetas ferrea Graeciae, & Latii sapientiam penitus fregisset. quo nec alius abbasidarum eruditior neque praestantior. qui ad se doctis viris advocatis, librisque conquisitis, praesidium, decusque apud se paratum habuit sapientiae. *o* Mitto alios principes arabas, secutis temporibus philosophiae fautores, Haronem Wacicum, *p* Alallam; *q* Murtadirum, & Arradin Billas, *r* Saifuddaulam, *s* Cafurum, *t* aliosque nonnullos: qui effecere, ut philosophia eo usque apud arabas constaret, donec & Tamerlanes res saracenas afflixit sec. XIV. & turcae penitus evertere.

CAP. III. SCHOLAE *Subsidia in Arabia.*

PROP. I. *Gymnasia multa constituta apud Saracenos.*

Sed scholas, quas hodie multi nondum dimisere, arabum, & saracenorum adeamus. Nulla pars fuit imperii, post sedem Bagdadi doctrinae positam a Rasido, & Almamone, quae gymnasiis vacaret. *u* nam & Basorae erat doctorum hominum collegium: & Bocharae scholae. *x* Neque hoc in Oriente solum. Aegyptus enim a saracenorum asiatico imperio distracta, multis ex ordine familiis, quarum clariores fuere saladina, & mameluchiana, subdita deinde; *y* tamen Alexandriae habuit magnificam Aristotelis, & frequentissimam scholam. *z*

II. *In extrema etiam Africa erectae & academiae, & bibliothecae.*

Qui vero Saraceni VIII. Ecc. Sec. oras Africae occiduas, nostram etiam Hispaniam, imperio domuere *a* auspiciis Walidi Califae, quamquam Marti potius, quam Minervae sacrificaverint; tamen non omnino fuere a litteris alieni. In extrema quoque Africa post C. N. sec. XI. *Luntunii*; devictisque Luntuniis sec. XII. *Almohadi*; solutoque *Almohadorum* imperio, ii, qui constituere regna fessanum, telesinum, & tunetanum, litteris honorem habuere, vel bibliothecis parandis, *b* vel academiis marocciana, & fessana, *c* aliis in Hispania, constituendis.

III. *Interpretationes philosophorum graecorum.*

Alia fuere etiam parva subsidia, & initia, e quibus schola in Arabia profecta ad tantum evecta est fastigium, ut iam mole sua laborare videatur. Qui Califa Walidus, *d* sec. Ecc. VIII. iussit, ne quid in posterum christiani scribae graece exciperent: arabice omnia consignarent; cultum sapientiae iuvit imprudens. nam *e* paulo post arabs quidam Theophilus christianus *duos Homeri libros* fecit syriacos. *f* in quo studio iam illi sec. VI. Sergius quidam syrus praeiverat, *g* qui graecos libros plures fecerat syriacos. Almansor item conquisitos undique graecos commentarios arabicos curavit faciendos: post interpretationem in ignem ire iussis graecis exemplaribus. *h*

Sed ars medica fuit, quae in dias luminis auras vocavit arabicam sapientiam. qui enim reliqui erant Alexandriae medici, in regiam Califarum saepe medendi causa vocati, magnam arti suae gratiam ab impe-

rato-

n *Annal. Francor. ad an.* 801. *Eginhardus. alii.* o *Citati.* p *Elmacin.* II. 10. q *Loc. c.* II. r *L. c.* 19. & III. 1. s *Loc. c.* 4. t *Citati.* u *Abulfaraius Dynast.* IX. x *L. c.* y *Eutychius. Annal. T.* II. z *Beniamin Tudelensis in Itinerario p.* 121. a *Rodericus Toletanus Hist. Arabum.* 9. b *Ottinger. ad calcem Bibliot. Ori.* c *Leo Africanus* II. d *Dyn.* IX. *Abulfaraius.* e *Bruck. T.* III. *p.* 22. f *Albufar. l. c.* g *Renaudotius.* h *Abulfar. Africanus. ll. cc.*

ratoribus *i* iniere. Ioannes quidem Meſſues damaſcenus, medicus ex diſciplina graeca eximius, & xenodochio bagdadiano praefectus, primus, aut certe cum primis, inter arabas graecam ſapientiam ſyriace profeſſus, egregie naſcentem ibi philoſophiam fovere viſus eſt. *k*

IV. *Ars medica iuvat in Arabia philoſop.*

Neque vero non ſatagebat rerum etiam ſuarum in imperio saraceno ipſa per ſe philoſophia. quae in mahummedanis, a barbaro legislatore omnem humanitatem initio dedoctis, vicit tandem immanitatem ſuperſtitionis decurſu temporis, & pulchritudine ſua eum amorem ſui, quem inter homines ſolet, excitavit; maxime in Amro, ſermonibus philoſophicis a Ioann. Philopono ad ſtuporem perculſo.

V. *Philoſophia ſui citat amorem in ſaracenis.*

Ad ipſos vero philoſophos in Arabia veniamus. Honaînus Ioannis Meſſuis Bagdadi diſcipulus, religione chriſtianus, patria arabs, male a praeceptore olim acceptus, cum ſeſe ad graecos contuliſſet, eorum doctrina locupletatus, libriſque plurimis conquiſitis, magnum attulit momentum arabicae doctrinae: cui converſos dedit libros complures & medicos, & philoſophicos. *l* Leo item theſſalonicenſis epiſcopus abſens Almamonem in amorem ſapientiae accendit, per diſcipulum apud arabas captivum.

VI. *Honainus, & Meſſues primi doctores arabicae philoſophiae.*

CAP. IV. *SCHOLAſtici arabes.*

PROP. I. *Alkendius.*

Inter arabas autem, qui iure ſuo philoſophus ſolet appellari, Alkendius, *m* Baſrae illuſtri loco natus eſt ſec. Ecc. IX. quem, ab Almanſore plurimi factum, immodicis laudibus arabici ſcriptores aetatis ſuae *phoenicem in notitia ſcientiarum veterum omnium*, appellant. More gentis ſuae & arti medicae, & maxime ſeſe dedit philoſophiae ariſtoteleae. in qua & *De Categoriis*, & *De Interpretatione*, & *Analytica*, & *Praedicamenta* ſcriptis ſuis illuſtravit. Scripſit etiam *Quaeſtiones Logicas*, & *Metaphyſicas*, & *De Interiore Philoſophia*. Magus eſt a nonnullis iudicatus.

II. *Alfarabius.*

Alfarabius, cuius integrum nomen, nequid deſiderent, ſiqui favent arabi, fuit *Abu Nars Muhammed Ebn Tarchan Al-Farabi*, natus IX. Ecc. ſec. nobili genere, & opulento in Aſia minori, *n* commoda, & honores aſpernatus, domo ſe proripuit fugitivus petitor philoſophiae, quam Bagdadi a Ioan. Meſſue una cum medendi arte, & aſtronomia audivit. Patriae reſtitutus obduravit in philoſophia, neglectis, relictiſque rebus omnibus. Inſignis logicus, & metaphyſicus ex diſciplina peripatetica apparuit, editis in ea parte plurimis commentariis.

III. *Thebitius.*

Qui vero ſeculo X. Ecc. vixit longiſsima nomenclatura, *o* Thebitius a nobis dicatur. quem & arabem, nec omnino ariſtotelicum, invenimus fere unum. erat enim *Zabius* philoſophus, ob eam rem dictus etiam *Alſabius*. Nec tamen potuit omnino non eſſe dialecticus, qui ſyriace in re & metaphyſica, & medica, & zabiana, & logica ſcripſerit. cuius libri apud mahummedanos maxime cogniti, *p* ſine detrimento reip. latinae in bibliothecis deliteſcunt.

IV. *Eſſophius, & Iſciarius ſcholaſtici arabes.*

Eodem ſec. X. *Eſſophius* vixit, *q* in ſchola bagdadiana adultus, in philoſophicis non ignobilis; in mathematicis adeo habitus nobilis, ut arabes arida, & ruſtica eloquentia ſint dicere ſoliti, *tam bene Eſſophium*

Cc *noviſſe*

i *Euthych. An. T. II. Elmac. II, 6. Freindius. alii.* k *Leo Africanus. c. 1. alii.* l *Abulfar. l. c.* m *Loc. c. Pet. Baelius.*

n *Albufarai. African. c. 5.* o *Albufar. l. c.* p *Herbelotius Ottinger. B. Or.* q *African. 3.*

novisse coelestia, quam Ptolemaeus ante noverat terrestria. *Esciarius*, [r] arabs, nobilis philosophus ex sententia Aristotelis, novam introduxit sectam *Asariorum*: [s] quae ideo theologica dicenda est, quod in eo versaretur dogmate, quod in rem cuiusque maxime sit, id non ei maxime praestiturum Deum. Mitto quaestionem ab Esciario ea de re habitam cum *Abualio* doctore suo. Ergo Esciarius, cum legem mahummedanam ad formulas philosophicas exigeret, adeo suis placuit, ut capitale esset, si quis eius doctrinam reprobaret. Attributa divina alia ab essentia Dei ponebat.

V. *Avicenna.*

Vixit seculo Ecc. X. Avicenna, de cuius patria, tanquam alter esset Homerus, valde dubitant eruditi, [t] quamque nunquam sanus optem cum nonnullis, Hispaniam fuisse nostram, [u] Bocharae natus, quod vero propius est, excepto domi magistro philosopho, admodum puer est omnibus litteris liberalibus eruditus. [x] Bagdadi eam dedit operam philosophis, & medicis, ut nescias, medicusne praestantior sit habitus, an philosophus a seculis superioribus, barbariae studiosis. Saepe de se narrat, vini poculis, si quando vires studio deessent, somniando etiam multa reperisse in [y] philosophicis. ut multi plagiarium illum iniuria faciant. Multa scripsit & medica, & philosophica *De Anima*, *De Stellis*, *De Sphaera*. *Systema Logicum*, *Physicum*, & *Metaphysicum*. Quibus factis latinis si caruisset resp. litteraria, nihil opus fuisset, ad illud extremum descendere, videant qui cum imperio sunt, nequid resp. detrimenti capiat. Vixit in Asia, non Cordubae, sec. Ecc. X.

VI. *Algazelius.*

Inter philosophos habendus iure suo Algazelius, patria tusius in Asia natus, summis conditionibus, stipendiisque propositis vocatus Bagdadum: ubi dici vix potest, quanta fuerit omnium ordinum frequentia, cum primum pro cathedra dixit. Aliquot post annos praefectura doctrinae abdicata, erogataque pecunia, quam fecerat ingentem, religiosa peregrinatione Meccham suscepta, ex eo itinere venit in Aegyptum ad Etartosum theologum. quo audito, christianos scriptis oppugnavit. [z] Edidit & *Destructionem Philosophorum*, & *De Opinionibus Philosophorum*, quos libros rabbini lingua sua donarunt. [a]

VII. *Essachalius*, *Edrissius.*

Leo Africanus in Hispania natus, & capta a Ferdinando rege Catholico illius patria Granata, cum ad africanos exul abiisset, a piratis captus, munerique datus Leoni X. Pont. Max. [b] memorat, *Esseriphum Essachallium*, ex posteritate Mahummedis philosophum, fuisse [c] a Comite Rogerio, cui integrum geographiae systema antiquae, & novae obtulerat, magnis possessionibus donatum in Sicilia. Rogerio II. *Geographiam Nubiensem* Mahummedes Edrissius, patria aegyptius [d] paulo post obtulit.

VIII. *Thograius.*

Eodem etiam tempore *Thograius* Ispahani natus, praefectura Consilii regii auctus, (Viziriatum vocant) in quo munere infinitas paravit quo iure, quaque iniuria divitias, [e] vivebat insigni nomine & chemicus, & historicus, & poeta, qui *De Rebus Asiae*, & *Persidis*, *Defloratio-*

tio-

r *Idem* 2. s *Herbelot. Bib. Orien.* t *Bruck. T. III. p.* 81. u *Nic. Ant. B. H. V. T. II. conf.* x *Bailletius De Praecocii Eruditione XXI.* y *Abulf. loc. cit.*

z *Afric.* 12. *Pocock.* a *Welf. B. H. p.* 3. b *Nic. Ant. B. H. N. T. I.* c *Ca.* 14. d *Pocock. Specim. Hist. Arab. p.* 372. e *Afric.* 13.

tionem Naturae in Alchimia scripsit. Commentarium edidit *In Rempubl. Platonis.* Sagittis a puero transfigi iussus periit, quod coniurasset in regem.

CAP. V. SCHOLA-*stici arabes in Hispania.*

Ad saracenos in Hispania philosophos accedo. quo ego loco vix me contineo, quin illud reclamem Reguli horatiani, *O pudor! O magna Carthago, probrosis altior Hesperiae ruinis!* tulimus, tulimus domi philosophatores saracenos, quorum utinam nec vola, nec doctrinae vestigium, aut olim fuisset, aut hodie superesset! *Avenzoarius* Hispali natus, medicam artem ad rationem, & experientiam, non ad vagas, communesque leges exactam, professus; gratus fuit & tyranno Habadio, & regi Iosepho Ibnutaspino marocciano. *f* Ipse quidem nihil dedit philosophicum: sed ad philosophiam tamen cum erudierit Avenpacem, & Averroem, quas hi in ea dedere ruinas, fere iure suo ille dedisse censendus est. Vivebat sec. XII. Ecc. *g*

PROP. I. *Avenzoar hispalensis.*

Ergo ille famosus Avempaces hispanus, *h* in re medica discipulus Avenzoarii, in philosophia etiam Maslamae, cum epistolas complures edidisset, *i* quibus islamismum cum Lyceo concordaret, a suis habitus ob eam rem haereticus; vix summorum hominum gratia e carcere ereptus est. Et solet saepe ab scholasticis hodiernis testis adduci, cui ego sanus nunquam denuntiem testimonium. *k*

II. *Avempaces.*

Eodem sec. XII. vixit Hispali nobilis, sed duris urgente in rebus egestate, philosophiam professus, *Thophailius*, medicus etiam: qui docuit philosophos nobiles Averroem, & Maimonidem. Scripsit fabulam philosophicam, in qua fingit, Iockdahnum quemdam a cerva enutritum, naturaque duce assecutum multa philosophiae placita. quem librum latinum fecit Pocockius eo titulo *Philosophus Autodidactus. l* Cuius exemplo mihi Gratianus e S. Ies. expressisse videtur Andrenium illum suum in eo libro, cui *Critici* nomen imposuit.

III. *Thophailius.*

Ex omni numero hispanorum saracenorum nullus fuit, qui obsequio scholasticorum magis fuerit commendatus, quam ille Averroes. cui nomen integrum *Abul Walid, Muhammed Ebn Achmed Ebn Muhammed Ebn Roshd.* qua elegantia nolui defraudatos, si qui sunt adhuc, Averrois discipulos. *m* Patrem habuit cordubensem valde nobilem, mahummedani iuris scientia, & praefectura conspicuum. *n* Pater informandum curavit Averroem omnibus litteris saracenis, cui doctores dedit Avenzoarium, Thophailium, aliosque nonnullos.

IV. *Institutio Averrois.*

Mortuo praetore, qui simul pontifex esset cordubensis, omnium suffragiis est ille magistratus Averroi decretus. quod munus etiam paulo post a rege marocciano in Mauritania delatum fuit Averroi. Invidia vero nonnullorum civium, eo crimine apud regem maroccianum delatus, quod ab islamismo, dum vult esse aristotelicus, defecisset: quot indignitates reus Averroes pertulerit, vix credi posset, nisi inter saracenos causa acta fuisset. In gratiam restitutus ad extremum apud regem, est honoribus amplissimis rursus affectus. Filios habuit duos & regi Marocci, & Friderico II. charos. *o*

V. *Fortuna varia Averrois.*

Ari-

f *Afric.l.c.alii.* g *Nicol. Ant.loc.cit.* h *Ibid.* i *Africanus.alii.* k *Leo.* 14. l *An.*1671.*Vid. Wolf. Nic.Ant. ll.cc.*

m *Afric.*XX. n *Abulfar. Dyn.*IX. o *Aegidius Romanus in Quodlibet. l. II. Citati.*

Aristotelem multis illustravit commentariis in omni parte philosophiae, quae omnia habemus conversa latine, quibus sine magna sapientiae iactura caruissemus. Sese praebuit vindicem philosophiae acerrimum eo libro, quem adversus Algazelium inscripsit *Eversionem Eversionis*, sive *Destructorium Destructorii*. Fidus Aristoteli insanienti Averroes, & aeternum mundum, & intelligentiam quandam communem, sive intellectum agentem, omnibus unum, & eundem hominibus probavit, una cum Avicenna, & Avempace. q Habuit suffragatores deinde suos in hoc errore Thomam Anglicum, Achillinum Odonem, Vicomercatum, Iandunum, aliosque nonnullos: qui extorsere a Leone X. Rom. P. fulmen vaticanum in caput Averrois. r

VI. *Averroes servus Aristotelis, etiam insanientis.*

VII. *Averrois Aristotelomania. aliorum Averromania.*

Qua in parte utrum mirer magis Averroem, qui captus ipse aristotelomania, vocavit Aristotelem *miraculosum*, *divinum*, *ultimam dignitatem humanam*, *summam veritatem*, *finem intellectus humani*, *a divina providentia datum*, ut ne erraretur: s an Averrois christianos laudatores, quos nactus est ille plurimos, ignoro. Sed eos, scio, unus, & idem erga Aristotelem amor immodicus conciliarat. Et bene hercle habuit, quod Lipsius, t lymphatum, & furiosum in laudibus aristoteleis Averroem fuisse, dixerit. quod Lud. Vives u hominem ab omni eruditione imparatum iudicarit: quod neget, Aristotelem, si revivisceret, agniturum ipsum se in Averroe, reliquisque versionibus suorum scriptorum, *quae ex graecis bonis facta sunt latina non bona, ut ille dicit; ex latinis vero malis arabica pessima.*

CAP. VI. CENSURA *scholae arabicae.*

PROP. I. *Bened. Pererii iudicium.*

Quae censura severior fortasse fuerit, at iniqua certe non est. Melius iudicasse mihi videri solet & de Averroe, & philosophia scholastica tota Ben. Pererius e S. I. *Ego*, x inquit, *sicut eos non laudo, qui Averroem fastidiose contemnunt, conviciis lacerant, & veluti pestem ingeniorum omnibus fugiendum esse clamant; sic contra quosdam esse, qui eum laudibus in coelum efferant, & quasi deum quemdam philosophiae colant, eiusque sententias tanquam oracula divinitus edita in veneratione habeant; graviter doleo, molesteque fero. utrumque profecto in vitio est; sed illud minus ... hoc autem cuivis philosopho turpe est, CHRISTIANO AUTEM PHILOSOPHO etiam INFAME.* Pergit ille summus non scholasticus quidem, sed de Lyceo tamen philosophus valentinus, quem ego non soleo e manibus ponere; & negat ferri posse, philosophum sive amatorem sapientiae fieri unius hominis *vile MANCIPIUM*, & , *ut poëta quidam ait*, *SERVUM PECUS*. exclamat denique,

O miseras hominum mentes! o pectora caeca!

II. *Arabia vacua ab omni subsidio sapientiae melioris.*

Reliqui sunt oppido plures saraceni philosophi, quos inter suos memorabile nomen assecutos, dicent rerum arabicarum scriptores, Abulfaraius, Leo Africanus, aliique. Ego ita statuo de arabica sapientia, quam scholasticae tam similem, quam lac sit simile lacti, multi putant, y vix potuisse arabes rectam inire, ac veluti regiam philosophiae viam.

Pri-

p *Nicolaus Ant. alii.* q *Conimbricens. In L. II. De Ani. c.* 1. *Q.* VII. *A. I.* r *Citati.* s *Ipse In Destructorio. Vid. Malebranchius Inq. l.II. P. II. cap.* 2.

t *Manuduc. l. I. Dis.* IV. u *De Caus. Cor. Art. l. V.* x *Praef. De Com. Princ.* y *Rapinus e S. I. Reflexio. sur la Philosop.* §. 16. *Opp. T.* II. *p.* 340.

Primum non iterabo illud, *Deum arabas non fecisse philosophiae idoneos.* z illud non poſſum tacere, quo tempore coeperint velle ſapere, maxime tum deſipere arabas coepiſſe. nam & ante Mahummedem zabii monſtroſam ſibi paraverant philoſophiam, & ipſe Mahummedes, collatis undique membris, Coranum, cui nec pes, nec caput uni redderetur formae, effinxit.

III. *Schola Arabiae ſervilis, clamoſa, barbara, ſophiſtica.*

Et illa ipſa foeditas, & veluti polluta Corani facies, eo duxit viros, cui cor ſaperet in Arabia, ut quaeſitis graecanicae philoſophiae coloribus religionem incruſtarent. *a* qui in varias abiere ſectas *motazalorum*, & *daramianorum*, & *loquentium*, ſive dialecticorum, aliis aliis in re philoſophica ineptiores. Deinde vero cum penitus in oblivionem iacuiſſet graeca ſapientia, illis ignariſsimis rerum omnium ſeculis, arabes, qui neque ſatis graece intelligerent, neque e graecis bona haberent facta ſyriaca *b* exemplaria; neque alium, quam Ariſtotelem ſequi ducem decreviſſent, coepere philoſophari. Credo autem, illos ideo in verba iuraſſe Ariſtotelis, quod aetas barbara, ut in vita communi litibus, & ſtudiis partium; ſic in philoſophia pugnis gaudeat dialecticis, & inconditis clamoribus, quorum ariſtotelica dialectica ferax videatur. At utcumque haec ſint, certe de philoſophia arabum illa licet ponere, eam & dialecticam plus aequo fuiſſe, & ab omni ornatu, & elegantia alienam, & uni addictam, mancipatamque Ariſtoteli, & in ſubſidium religionis mahummedanae coactam, & in diſputationibus otioſis, obſcuriſque cum primis iactatam.

CAP. VII. *ORTUS ſcholae latinae* PROP. I. *Communio ſcholae arabicae, & europaeae.*

Huic philoſophiae non omnino coepit eſſe abſimilis a ſeculo potiſsimum Ecc. XII. Europae philoſophia. Et vero in hac cauſa illud ſine controverſia pono, inter europaeos, arabaſque ſapientes fuiſſe quoddam commercium eruditum, vigente maxime in Hiſpania ſaracenorum doctrina philoſophica, tum, cum ſcholaſtica doctrina oriri coepit in Gallia. Conſtat enim fuiſſe ſapientes quoſdam, veluti doctrinae arabicae negotiatores.

II. *Primi negotiatores arabicae doctrinae Conſtantinus, Morleius, Robertus, Adelardus.*

Conſtantinus quidem Afer, *c* patria carthaginienſis, in Babylonia omnes artes doctus, Salernum ob invidiam a ſuis ex Africa pulſus appulit, & honorifice a Roberto duce exceptus, homo omnium prope linguarum Orientis peritus, multa e graecis latina fecit, nonnulla in re philoſophica ſcripſit, *d* ut *De Animae*, & *Spiritus Diſcrimine*, ut *De Incantationibus.* Deſiderius abbas caſinenſis, deinde Victor III. Pontifex Romanus, Conſtantinum inter monachos ſuos receptum, valde ad ſtudia cohortatus eſt. Daniel vero Morleius patria anglus, diu verſatus in academiis oxonienſi, & pariſienſi, Toletum ad arabes venit. *e* cuius peregrinationis fructus libri fuere *De Inferiori*, *& Superiori parte mundi*, & *De Principiis Mathematicis.* Robertus item Retinenſis anglus, archidiaconus pampaelonenſis in Vaſconia, poſtquam Galliam, Italiam, Graeciam, Syriam, ubi diu inter ſaracenos verſatus arabice didicerat, peragraſſet; tandem reſtitutus Pampaelonem, Coranum fecit latinum. *f* A-

z L.III.8. a *Abulf. l.c.* b *Renaudotius ap. Fab. B.G. Vol. V.* c *T.IV. Scr. Italic. a Murat. edit. p.455.* d *Fab. B. G. Vol.* XIII. e *Trith. D.E. c.826.* f *Huet. De Cla. Interp.*

delar-

delardus denique monachus anglus, cum ad saracenos sese tanstulisset, multa horum scripta interpretatus, ipse & librum *Quaestionum Naturalium*, sive *De Naturalium Compositorum Caussis* scripsit. *g*

III. *Interpretationes scriptorum arabicorum.*

Huc accessere scriptorum arabicorum latinae interpretationes, quas Pet. Gassendus, vir ab omni parte eruditus, contendit, in ipsa parisiensis academiae adolescentia iam fuisse quidem factas. *h* Illud certe dubitari non potest, quin & seculo XII. & ineunte maxime sec. XIII. cura Ottonis Frisingensis ex Hispania apportati arabum libri, & latine fuerint conversi. *i*

IV. *Philosophia Media erumpit in scholasticam sec. XII.*

Sed accedamus propius ad scholas latinas, in quibus definiri non potest, quoto omnino coeperit anno haec, quae scholastica dicitur, philosophia. qua in re, quae plurimae sunt, sententias *k* omnes ad calculum vocare, plus operae, quam pretii habet. Ego, si quid definiendum esset de origine doctrinae scholasticae inter latinos, ita censerem, eius semina sensim sparsa fuisse iam inde a sec. Ecc. VI. eam veluti in herba crevisse usque ad XI. seculum: ab hoc tempore laetius surgere coepisse: seculo vero XII. ad maturitatem prope pervenisse: reliquis deinde seculis fructum tulisse sui quidem generis uberrimum.

V. *Facilis conversio Mediae in scholasticam philosophiam.*

Itaque in scholam erupit denique forma, statusque philosophiae mediae. cuius ea esset ratio, quae si semel diligentius coli coepisset, ingenia acuere, non aeque ditare sapientia posset; vel quod ea aetate tam curta supellex esset scriptorum philosophicorum; vel quod summa esset barbaries, & ignorantia magistrorum, qui plerique omnes vix latine norant, graece omnino non noverant. est autem non semel animadversum, dialecticas, in quibus sese iactat schola, altercationes esse *m* gratissimas barbaris ingeniis.

VI. *Dialectica, & fortuna quaedam, ducem dant Aristotelem scholae.*

Quod vero attinet ad genus ipsum doctrinae, quae Aristotelis unius placuit scholasticis sapientibus; in eo seligendo partim valuit praeiudicata opinio de praestantia doctrinae, quam studium dialecticae genuerat: partim etiam fortuna quaedam. nam sec. XII. *n* Constantinopoli scripta Aristotelis sunt translata Parisios, quae conversa latine magno studio passim legebantur. Deinde vero cura Friderici II. cum multae fierent interpretationes librorum, & graecorum, & arabicorum; ad plenum scholasticis hominibus aristotelica doctrina manavit. *o* ita factum est, ut quem arabes sibi magistrum delegerant Aristotelem, eundem christiani sapientes sibi deligerent.

CAP. VIII. SCHOLASTICI SEDITIOSI AETATIS PRIMAE

PROP. I. *Roscelinus Nominalium parens.*

Iam prima aetas scholae a Roscelino ad sec. XIII. nonnullos habuit scholasticos nobiliores seditione, ac tumultu, quam solida doctrina. in his Roscelinus extremo Ecc. sec. XI. familiam duxit, *p* homo oppido dialecticus, & conditor *Nominalium*. qui cum de Trinitate male sensisset, coactus est palinodiam canere in Synodo suessionensi. *q* Sunt qui velint, Roscelinum errores suos a profana Aristotelis, Porphyriique doctrina derivasse.

Est

g *Marten. Anecdo. T. I. p. 292.* h *Exerc. III. p. 74.* i *Cens. Bruck. T. III. p.* 681. k *Id. l. c.* l *Sarisber. Meta. II. 9. Mabillonius Stud. Monas. P. II. 6. Dupin. Met. Stud. Theol. c.* 2. m *Sarisber. l. c.* n *Launoius De Fort. Arist. c. 1.* o *Petrus De Vineis l. III. Ep. 69.* p *Gand. D. S. E.* 5. q *Anse. De Fi. Tri.*

Est autem maxime nobilis, Roscelini in re dialectica discipulus, Abaelardus, cuius qui volet res gestas, flagitiosam cum Heloisa consuetudinem, miseram ex hac consuetudine secutam fortunam, erroresque varios; consulet ecclesiasticae historiae scriptores. nos in Abaelardo philosophiam paucis explicabimus. r In oppido exiguo Armoricae, cui nomen est *Palatio*, parentibus genere natus clarissimis anno MLXXIX. in *Minervae gremio*, ut ipse loquitur, educatus est. ſ Roscelini praeceptoris sententiam prodidit de universalibus, quae ea aetate balbutientis scholae maiores excitabat tumultus, quam quos Romae gracchorum ambitio excitasset. t

II. *Abaelardi institutio.*

Tantus autem evasit, *cum esset inaestimandae* u *subtilitatis*, dialecticus, ut *diversas disputando perambularet provincias*, *peripateticorum aemulator factus*. Vix autem dici potest, quantum exarserit bellum Abaelardo cum alio doctore suo Guillelmo Campellensi, cum hic de universalibus sententiam *Realium*, ille vero noster *Nominalium* sequeretur. diu tenuit pugna, cum Abaelardus primo Melleduni, deinde Parisiis scholas aperuisset dialecticas. qui coactus potentia, & gratia Campellensis, clausa schola, contulit se ad Anselmum Laudunensem theologiae magistrum. quem & audiit, & more suo contempsit Abaelardus. Ex huius officina iterum ad scholas evolavit parisienses, in quibus *non minorem in argumento sacro, & theologico, quam in philosophico gratiam consecutus esse omnibus videretur*.

III. *Pugnae Abaelardi dialect.*

Hinc illae Abaelardi lacrimae, & de Heloisa, & de iis erroribus, qui a profana philosophia nondum satis subacta sibi pullularent. vel cum docuit Spiritum Sanctum *esse animam mundi*, *mundum tanto excellentius esse animal*, *quanto meliorem animam haberet*. y Abaelardus scripsit multa, quae Organum Aristotelis illustrarent. z Discipulos habuit & plurimos, & clarissimos Petrum Pictaviensem, Lombardum, Ioannem Sarisberiensem, alios.

IV. *Abaelardi errores.*

Abaelardo scholastico scholasticos alios, occasione profanae philosophiae male sentientes, socios iungamus, Arnaldum Brixiensem eiusdem discipulum, qui doctoris sui mordicus errores retinuit: a Almaricum itidem discipulum, & suffragatorem insaniae, vel potius amplificatorem; qui docuit, Deum esse omnia, eundem creatorem, & creaturam: ut in Almarico impium Spinosae pantheismum, ex libris Scoti Erigenae, & ex illa doctrina *Realium* de universalibus ortum, facile agnoscas: Davidem itidem Dinantium Almarici auditorem, qui docuerit, *Deum esse materiam primam*, *formas* vero *accidentia imaginata*. b quam opinationem, non epicuream quidem, sed alexandrinam, parum probabiliter, ab Alexandro quodam epicureo, qui nusquam apparet, profectam, scribit Magnus Albertus. certe Dinantius aliis verbis errorem tegebat eundem, quem docuerat Almaricus.

V. *Scholastici haeretici Arnaldus, & Almaricus, & David Dinantius.*

Gilbertus ille Porretanus, famosum nomen, patria pictaviensis, a

pucro

r *Ipse Historia Calamitatum suarum.*
ſ *L.c.ca.*1. t *Sarasber. Metal.*II.17.
u *Pezius T.*III.*Anecd. p.*527. *ipse l.c.*
x *L.c.* y *D. Bernardus Ep.* 190.

z *Quercetanus ad Opp. Abaelardi p.* 1160. a *Bern. Ep.* 195.
b *Albert. Mag. T, Phys. Tract.*III. 21.

VII. *Porretanus scholasticus haereticus.*

puero studiis & philosophiae, & theologiae deditus, discipulusque magnorum virorum Hilarii Pictaviensis, Anselmi Laudunensis, & Bernardi Carnotensis, *dum inefabilia Trinitatis, & incarnationis scholastica levitate tractavit, multas haereses olim vomuisse*, dictus est a Gualtero De Sancto Victore. *c*

VIII. *Invisa multis schola recens, & notata publice.*

Omnino sine errore nonnullorum hominum nunquam est concordia quaedam tentata sapientiae profanae cum religione. non quod ea confoederatio iniri non posit, sed quod nihil simul incoeptum, simul perfectum ferat natura mortalium. *d* Atque ob has res aristotelica doctrina parum & Bernardo abbati, & aliis religione, ac sanctitate viris clarissimis placuit. *e* Quin etiam Robertus Corceo R. P. legatus, iussus academiam parisiensem ex optima disciplina constituere, edicto cavit, nequis Aristotelis scripta, quae parisiensis synodus antea proscripserat, in posterum legeret. *f*

IX. *Correctus Aristoteles in schola.*

Quanquam non multis post annis cum scholastici quidam Hercules, maxime vero nunquam ille laudatus satis Aquinas, Augiae stabulo repurgando indefessum studium, operamque posuissent; factum est, ut Aristotelis philosophia repurgata, prioribusque edictis soluta, publice doceri permitteretur.

X. *Non castigatus Aristoteles inimicus Ecclesiae. Alii philos. castigati, aeque amisi*

Quo ego loco non possum silentio praeterire, aeque peccare eos, & qui in Aristotelis doctrinam lymphati debacchantur; & qui eam veluti sacram anchoram christianae religionis esse, asseverant. Aristoteles enim non castigatus, tam est hostis christanae religionis, quam qui maxime; multi vero alii philosophorum antiquorum emendati tam bene exponendis christianis oraculis servirent, quam nunc serviat Aristoteles.

CAP. IX. *SCHOLAstici boni aetatis primae.*

PROP. I. *Guillelmus Radulfus, Anselmus, Albertus Lotulfus.*

Alii bene de Christi rep. meriti iudicati sunt scholastici ea aetate. in his Guillelmus Campellensis *ex archidiacono parisiensi canonicus regularis*, catalaunensis episcopus, inter primos scholasticos *g* publice philosophiam Parisiis professus est. Petrus quidem Baelius ita interpretatur Guillelmi sententiam de naturis universalibus, ut, ante natum Spinosam, Guillelmum faciat spinosianum. *h* Ego vero potius audio honorifica de Guillelmo testimonia Bernardi, Ibonis, Ottonis, aliorumque virorum doctissimorum. *i* Ioannes Sarisberiensis *k* nominat Radulfum, & Anselmum Laudunensem, cuius habemus *Glossam Interlinearem*, Abaelardi magistrum. nominat etiam Albericum Remensem, & Lotulfum ex schola laudunensi, hostes Abaelardi in ea de universalibus digladiatione omnium famosissima. *l*

II. *Studia Petri Lombardi.*

Petrus Lombardus scholasticorum omnium facile princeps, natus Novariae *in Lombardia*, unde *Lombardi* traxit nomen, non ex vetito thoro, *m* prima doctrinae rudimenta Parisiis posuit. in qua academia deinde successor Abaelardi philosophiam publice docuit, tanto hominum plausu, ut ob eam rem episcopus parisiensis crearetur. *n* Multa de Lombardi consilio in Summa, quae ob PP. collectas sententias Lombar-

c *Launoius De Fort. Arist. c. 2.* d *Vid. Antonius Genuensis.* e *Bernardus S. II. de Nat. Launoius. alii.* f *Launoi. alii. passim.* g *Oudin. T. II.* h *Artic. Abael. n. C.* i *Bruck. t. III. p. 736.* k *Metal. l. V.* l *II. 13.* m *Pagius ad an. 1164.* n *Gandaven. 31. alii.*

bardum fecit *Magist. sententiar.* conficienda, disputant eruditi.

III. *Lites de Summa Lombardi*

Dupinus enim *o* in ea est sententia, Lombardum, *ut aberranti Scholae viam commonstraret, farraginem collegisse sententiarum e sanctis PP.* sibique persuasisse, fore, *ut scholasticorum lites componerentur.* quae spes hominem luserit. scholastici enim doctores *simplicitati huius libri non acquiescentes, vastos in eius textum commentarios edidere, quibus litium & contentionum crambem centies recoxerint, principiaque philosophica, necnon Aristotelis axiomata, quorum nullam sententiarum magister rationem habuerat, in theologiam denuo instrusere; nec nisi principiis philosophicis, ac subtilitatibus metaphysicis militavere.* Aliis tamen Lombardus visus est, velle eundem cum scholasticis funem ducere. Iacobus Thomasius pluribus exponit eam controversiam, utrum Lombardus Bandini cuiusdam scrinia compilarit, *p* an non.

IV. *Pet. Pullus, & Pet. Comestor excerptores sententiarum.*

Petrus etiam Pullus, quem ob singularem eruditionis famam evocatum Romam, Coelestinus II. in collegium Purpuratorum PP. cooptavit, scripsit *sententiarum libros VIII.* in quibus usus PP. testimoniis controversias metaphysicas, dialecticasque neglexit. *q* Eodem etiam XII. Ecc. seculo magni nominis scholasticus Petrus Comestor floruit. *r* cuius historia scholastica, quam deceptus Morhofius *s* scholasticae philosophiae historiam existimavit, cum epitomen historiarum veteris, & novi testamenti ad usum scholarum contextam complectatur; tanti eo tempore facta est, ut nihil haberetur ad sacram paginam praestantius.

V. *Ioan. Sarisberiensis politior quam pro aetate philosop.*

Ioannes a patria Sarisberiensis, cognomine & Parvus, sive Petitus, & Severianus appellatus, admodum adolescens Abaelardum audiit, Albericum etiam, & Robertum Medulensem, aliosque nonnullos. *u* Potior philologus, quam philosophus multo sale perfricuit barbaram aetatis suae philosophiam, quam *si sola fuerit, iacere exanguem, & sterilem* sensit. *x* Centonibus quoque sui seculi multos pannos purpurae attexuit. *y* in Policratico, & Metalogico, in epistolis, quam versatus esset in scriptoribus aetatis aureae, apparet. quod eo magis mirandum, quo maior tunc grassaretur barbaries.

VI. *Reliquus populus scholasticorum.*

Alexander Halesius a B. Francisco religiosus, dubius Aquinatis, & Bonaventurae magister, *z* certus professor in academia parisiensi, edidit commentarios in Lombardum, *Summam universae theologiae. De Anima libros III. Commentarium in Metaphysicam Aristotelis.* Nomine Alani ab Insulis, de quo eruditi disputant, unusne, an geminus fuerit; *a* multa inscripta feruntur commentaria. *Encyclopaedia. De lapide philosophico. De naturis quorundam animalium.* Hugo Eterianus, Constantinopoli versatus, philosophus, & rhetor facundissimus contra graecos scripsit. De Anima item Corpore iam exuta. Stephanus Langthonus Cancellarius parisiensis, Cardinalis S. Chrysogoni, in philosophia aristotelica nulli fuit sui temporis secundus. Vincentius Belovacensis, speculum doctrinale, summam omnium doctrinarum, sumptibus S. Ludovici gallorum regis edidit. cui, est, qui illud Horatii applicet,

o *L. c.* p *De Plagio.* §. 493. q *Sarisber. Metal.* II. 10. r *Trithe. c.* 380. s *Fab. B. L. M. T.* III. u *Ips. Metal.* II. x *Ecc. citat.* y *Lypsius ad tacit. lib.* XII. 63. z *Wandding. Bib. Min. Natal. Alexander. a Ovdin. tom.* II.

Cum flueret lutulentus, erat quod tollere velles.

CAP. X.
AETAS II. scholae.

Mitto plures, sed minores alios. Sed haec fuerit scholasticae philosophiae prima veluti infantia, in qua illa vel nondum reddere voces, vel male reddere sciebat. Nunc boni ominis causa lustrum secundae aetatis *Albertus Magnus non sua doctrina, quam Thoma Aquinate discipulo, clarior* b aperiat.

PROP. I.
Alberti Magni studia.

natus in Suevia, exeunte seculo Ec. XII. c studiorum causa adolescens Patavium missus est. *Magnus* merito suo potius, quam familiae cognomine, quae *Bolsthattiorum* utrum dicta sit *Grotia*, parum constat, d appellatus est Albertus. fama est, insigni D. Mariae beneficio, Albertum, dominicanae familiae tironem, munus sapientiae divinitus obtinuisse; &, *ne in philosophorum opinionibus, sed in ipsa Christi fide, ac charitate moreretur, quinquennio ante mortem* omnem philosophiam ab eadem Diva magistra fuisse dedoctum.

II.
Alberti fama, & scripta.

Albertus & Parisiis, & Coloniae philosophiam aristotelicam, quae summa in invidia eo in tempore erat, e professus, discipulos habuit totidem scholae principes Ambrosium Senensem, Thomam Cantimpratensem, Thomam Aquinatem. Eo tempore, cum nondum bene audiret Stagirites, sapientia Alberti nescio quam visa est contraxisse maculam Henrico Gandavensi, f quasi subtilitas profanae philosophiae splendorem theologiae obnubilasset: adeo ut a plerisque *nimium vino secularis scientiae ebriatus, simia Aristotelis* appellaretur. Sed haec calumnia illi similis est, Albertum fuisse magum, quod physicus insignis αὐτόματα quaedam effecerit, ut caput doctum loqui: quod hyeme convivium floribus verbis apparaverit. g Plurima Albertus in re philosophica scripsit, quae voluminibus XXI. edita Lugduni, parum faciunt ad palatum huius, quae nunc est, delicatae litteraturae, cum scripta sint *oratione quarrosa prorsus, & illepida.* h

III.
Aquinatis studia gloriosa.

Eximium vero doctorem sequatur eximius discipulus quanquam non passibus aequis Aquinas. ille Aquinas, cuius non hominis, sed sapientiae nomen factum esse videatur. Ab Aquinate, quae philosophica sunt, repetamus. is monachis benedictinis monasterii casinensis puer traditus in disciplinam, deinde institutum a B. Dominico hispano cive vitae genus amplexus, post Alberto illi Magno datus discipulus, cui visus est, cum ab aliis *bos mutus* haberetur, aliquando tandem *totum orbem boatu suo impleturus*: i ad extremum *theologorum fuit, ac philosophorum omnium, quos in hanc usque diem, scholasticorum academia protulit, sine ulla controversia princeps*, k si Sixto Senensi credimus. qui addit, ille *primus omnium latinorum philosophorum non minus incredibili, quam felici ausu omnem Aristotelis philosophiam commentariis lucidissimis illustravit.* Egregium vero, si quid ego video, Aquinatis illud est promeritum, non quod philosophiam aristotelicam de ancilla fecerit israëlitidem; (ut enim servam fecit aristoteleam; sic platonicam, sic pythagoricam, sic etiam democriticam eodem iure ancillam Fidei facere potuisset;) sed quod

Tho-

b *Turselin. e Soc. Ies. Epit. Hist. ad an. MCCIX.* c *Echardus. Ovdinus. alii.* d *Vid. Vives De Cau. Cor. Arti. lib.* IV. e *Launoi. c. 7.* f *L. c. cap. 23. Langius ad ann.* 1258. g *Trithem. cap.* 464. h *Coeli. Rodigin. Ant. Lect. lib.* II. i *Ovdinus t.* III. *ex Ptolemaeo Lucensi.* k *Bib. San. lib.* IV.

Thomas ita fuerit philosophus, ut *neque peripateticus fuisse, neque ARISTOTELIZASSE putandus sit, sed tantum Aristotelem exposuisse, ut occurreret malis per Aristotelem illatis.* l

IV. *Vindicatus Aquinas.*

Quae scripserit plurima Aquinas, non egent me nomenclatore. quae ita sunt vulgo nota,

Notior ut iam sit canibus non Delia nostris.

Quam vero de scriptis Aquinatis dixerit Oudinus sententiam, *m* ea quo loco sit habenda, viderint acutiores. ego certe numquam assentiar, *apud viros narium emunctarum vel nullam, vel modicam eruditionem ex lectione operum Aquinatis hauriri credi.* Quin ego potius vehementer gratulor Familiae Dominicanae longe omnium principi, quod nuper eius magister Supremus *Boiadoxius* e patricia hispanorum magnatum familia barcinonensi Vir. Clar. quem ego honoris causa appello, in Hispania unius Aquinatis scripta a suis praelegi in schola theologica, praeceperit. Illa vero detestabor: Aquinas *scholasticam trutinam, & garrulitatem unice sciebat, omnibus scholasticis communem, & facilem.* Mitto caetera, quae ferri non possunt. nec enim si graece, si latinissime nesciebat, si non erat in hac luce, eruditionis, & eloquentiae versatus Aquinas: quod cavillatur acrius Oudinus; non propterea princeps non erat scholasticus.

V. *Bonaventura scholasticus moderatus.*

Bonaventura iisdem, quibus eius Thomas amicus, comitiis academicis renuntiatus theologiae doctor, de quo bona omnia dicent historici omnes, patria balneoregiensis, in Etruria parentibus oppido religiosis natus, matris voto Familiae Franciscanae adolescens cooptatus, Parisiis philosophiae, theologiaeque primum auditor, deinde doctor publicus, magister summus sui ordinis, post romanae Ecc. Cardinalis creatus; in magistratibus sacris eum se praestitit, qui omnium in se oculos converteret. Episcopatum eboracensem a Clemente IV. oblatum numquam recepit, cultor paupertatis acerrimus. De re philosophica, quam edito Opusculo ad theologiam reduxit; de re itidem theologica, *cui non immiscuit positiones extraneas, doctrinas dialecticas, terminis philosophicis obumbratas more multorum,* optime meritus fuit, auctore Gersonio. *n* qui ea re factum esse dolet, *ut ab indevotis scholasticis, quorum, proh dolor! maior est numerus, ipse* Bonaventura *minus sit frequentatus.* Oudinus, quod mirere, amplissimum dat testimonium & doctrinae, & iudicio, & temperatae eloquentiae Bonaventurae. *o*

VI. *Ioan. Dunsius Scotus subtilissimus.*

Dignus, qui post Bonaventuram legatur scholasticus, Ioannes Dunsius Scotus, eiusdem religiosae familiae alumnus. quem sibi vindicant civem suum, & scoti, & hiberni, & angli. A puero inter condiscipulos cum toto vertice supra esset, egregie praeter caeteros in philosophicis, in mathematicis, in theologicis eruditus est. primo Oxonii, deinde Lutetiae, postremo Coloniae publicus magister, *p* divitias effudit doctrinae cuiusdam acutissimae. Scotus quidem in tenebris aristotelicae philosophiae tam cernit acutum, quam aut aquila, aut serpens epidaurius. quo nemo acutius, & subtilius in Aristotelem plura commentus est.

Quae cur in laudem non valeant doctoris scholastici? cur a Lud. Ant.

l Campanella apud Launoium. m To. III. pag. 256. n Appendix De Examine. o T. III. vid. Waddig. Fabricius. Labbeus. alii. p Gitati.

Ant. Muratorio per summam iniuriam tanquam arida, infoecunda, sterilis, efoeta, & orba doctarum frontium scotiana schola traducatur? cur non audiatur potius q Duportius? qui de Scoto canit,

VII. *Vindicatus Scotus.*

Quas, quot & ille scholas rexit! dubiumque reliquit,
Prima an Aquinati iam concedenda cathedra:
Laurea & angelico sit debita summa magistro.
Cudere quas formas solers! quas haecceitates!
Inter resque, modosque o! quam distinxit acute!

VIII. *Pet. Hispanus philosophus Pont. M.*

Sed laudato Scoto, ad philosophum R. P. Ioannem XXI. qui idem est Petrus Hispanus, veniamus. r is Olysipone in Lusitania natus, in philosophia egregie doctus, tusculanus episcopus, purpuratus romanus, ad extremum Pontifex summus fuit. multa scripsit, *Parva Logicalia*, *Dialecticam*, *Tractatus Logicales. Problemata. In Physiognomica Aristotelis. De Formatione hominis. De oculis*, aliaque huiusmodi. Edidit *Summulas* itidem *Logicales*, ut nonnulli putant ſ Psello surreptas. a Bullingero habitus est ieiunus, & infelix magister dialecticae. Qui vivus parum favit religiosis familiis, mortuus non eas habuit fautrices. t

IX. *Aegidius Columna defensor Aquinatis.*

Sec. XIII. Aegidius Columna, Romae in nobilissima familia natus, augustinianisque cooptatus, Parisiis audiit Aquinatem, & Augustinum Triumphum sodalem suum, doctorem sapientissimum. u Philippi III. Galliae regis filium, Philippum Pulchrum instituendum suscepit, edito in eam rem libro de *Regimine Principum*. gratus fuit regi Angliae, cui inscripsit *Commentarium in Aristotelis libros de Anima*. gratus Guidoni comiti Flandriae, cuius filio libros elenchorum sophisticorum exposuit. Aegidius scripsit *Defensorium*, seu *Correctorium librorum Sancti Thomae contra Guillelmi Lamarensis, Thomamastigis corruptorium*. credo Aegidium scholasticum fuisse doctissimum; latinissimum fuisse non video.

X. *Rogerius Baconus naturae consultissimus*

Ex schola media eo tempore extitit Rogerius Baconius, philosophus multo similior physicis reformatis, politisque, quam scholasticis disputatoribus: patria somersetensis in Britannia, gente Ilcestria natus, artes eas doctus omnes, quas in hac tanta luce sapientiae hodie colit Europa. in academia oxoniensi, deinde parisiensi studiorum causa versatus, evasit summus philosophus. magus, & θεοργικὸς ob eam rem habitus est. x Invenisse dicitur Baconius, aut certe cognita habuisse complura reperta statices, optices, mechanices, chemiae, quae tanquam nova seculum proxime superius sibi gratulabatur. Professus triduo se hebraice, graeceque doctum eum, quicumque sibi dicto audiens esset, merito importunus ostentator, vanusque iudicatur. y Quae in forulis bibliothecarum britannicarum sat multa commentaria Baconii supersunt, masculam potius, quam umbratilem scholae sapientiam redolere, auctor est Oudinus. z

XI. *In Simonem*

Quae de Baconio cum dico, non propterea in eum facta iudicia rescindo. Nihilo accusata minus memoria Simonis Tornacensis, qui publice docuit Parisiis aetate illa scholastica Aquinatis. Simon dialecticus ex

q *Stromat. Poët. p.* 205. r *Vid. Nicol. Ant. Bib. Hisp. T. I.* ſ *Hornius Hist. Phil.* VI. 4. t *Fr. Pagius Brev. Pont. T.* III. | u *Gratianus, Pamphilius, alii.* x *Viden. Vadding. Borrichius. Oudinus* y *Brucker. T. III. p.* 817. z *T. III.*

ex optima disciplina, si Mattheo Parisiensi habenda sit fides, a cum acerrime pro Trinitate dixisset, deinde palam ostendit, *se malignando, & adversando fortioribus rationibus, & argumentis scire infirmare, & deprimendo improbare* christianam religionem. qua voce impia emissa, penitus obmutuit, & populi fabula factus est. Sin Thomae Cantimpratano, scriptori minime malo, fidimus, Simon cum tres impostores Mosem, Iesum, & Mahummedem inter se contulisset; repente pro voce mugitus edidit, & praeter Alcidem concubinam, quam loqui poterat, omnia oblitus est. b

Tornacensis accusatio varia.

Rem suspectam facit silentium Gandavensis, & Trithemii. qui modo auctores sunt, ἀρισοτελομανίαν Simoni causam haereseos dedisse. Socium dubiae famae Simoni adiungimus Petrum Aponensem, Abani prope Patavium eodem seculo natum, graece, & hebraice doctum, medicum, & philosophum scientissimum, non sine causa magum iudicatum, aut certe quidem haereticum astrologum, quod eius opinationes satis, superque demonstrant.

XII. *Aristotelomania Tornacensi causa haereseos.*

Quoniam vero non vacat, pluribus secundam scholasticorum aetatem persequi, scholastica nomina recensebo. Haec vero sunt, Robertus de Sorbona: Petrus Tarantasia, ipse Innocentius V.P.R. Guillelmus Durandus: Iacobus Ravenas lotaringius: Alexander de Alexandria franciscanorum familiae praepositus generalis. Dinus de Garbo: Ioannes Parisiensis: Ioannes Neapolitanus: Franciscus Mayronis, & Ioannes Bassolles socii, & alumni Scoti. Robertus Perscrutator: Conradus de Media civitate: Eccardus: Petrus de Dacia: Alphonsus X. Hispaniae rex astronomiae peritissimus: Arnoldus Villanovanus, *rei medicae ea tempestate peritissimus, maiori tamen fama, quam laude.* c

XIII. *Numerus scholasticorũ.*

CAP. XI. *SCHOLA aetatis III.*

PROP. I. *Guillelmus Durandus Aquinati iniquior.*

Princeps tertiae aetatis, quae a sec. XIV. protrahi solet ad XVI. habitus est Guillelmus Durandus, in oppido *Sancti Porciani*, in Gallia natus, ordinem praedicatorum secutus. Accusatores habuit plures, quod Thomam deseruisset: maxime vero Durandelum. obiit an. MCCCXXXII. cuius hoc ferri solet epitaphium barbarum, & inscitum, & odiosum: f

Durus Durandus iacet heic sub marmore duro,
An sit salvandus ego nescio, nec quoque curo.

II. *Occamus Nominalis.*

Occamus britannus, Scoti discipulus, religione franciscanus, *Nominalium* de naturis universalibus sententiam sepultam iam in lucem revocavit. Occamus in controversia de usu, & dominio bonorum non stetit a Ioanne XXII. deinde partes Ludovici Bavari imperatoris secutus, hunc solitus erat alloqui; *tu me defendas gladio, & ego te defendam calamo.* qualis ille, quantusque logicus! ut Marco Benevento auctore, *si apud deos* g *nexus logici invenirentur, nullius nisi Occami viri doctissimi solutione uti dignarentur.* Papae! Occami discipulus Ioannes Buridanus insignis fuit *nominalis*. fertur, nescio quid de amore Ioannae Galliarum reginae erga Buridanum. h Certe Buridanus ab Urbano V. rescriptum obtinuit gymnasii Viennae in Austria instituendi. Illud vero quale

Buridanus Pontis Asinorum artifex.

a *Ad an.* 1201. b *De Apibus II.*48. c *Echardus, Wadding. Oudinus, Mariana. alii.* e *Tribe.c.*567. *Antoninus. T.III. p.* 681. f *Echardus. alii.* g *Moros.Poly.T.II.l.I. c.*13. *Vandeing.* h *Launoi.H.Gymnas.Navar. T.I.p.*15.

le dicimus, quod Buridanus habeatur inventor *Pontis Asinorum*; multis etiam hodie satis, superque vel noti, *i* vel etiam triti?

III. *Ioannes Baconthorpius Resolutus.*

Haec scholasticorum tertia classis dedit Ioannem Baconem, *k* quem vocant etiam Baconthorpium britannum, Carmelitam, & Oxonii, & Lutetiae doctum & humanas, & divinas litteras. cui cognomen *resoluti* illa secula darent. dignus Baconus, quem in Hispania nostra memoria plurimi faciant eius sodales carmelitani. pares enim cum paribus. Iosephus Zaglia ferrariensis huius seculi theologus; conatus est Baconthorpii placita in remp. litterariam restituere, quod Bruckerus valde demiratur. *l*

IV. *Pet. Alliacensis scholasticus nobilis.*

Nobilis sapientia scholastica Petrus fuit Alliacensis gallus, Compendii natus. ille fuit parisiensis theologus, canonicus noviodunensis, apud Carolum VI. sacris domesticis praefectus, episcopus cameracensis, Cardinalis S. Chrysogoni, in conciliis pisano, & constantiensi magnae auctoritatis pater. *m* Commentarios in libros Aristotelis *De Anima* scripsit. Astrologiae plus aequo tribuisse culpatus est.

V. *Suissetus, Wessellus, Gabriel Bielius.*

Richardus Suissetus anglus cisterciensis, Oxonii mathematicus magister, cui haesit nomen *Calculatoris*, quod scripsisset librum unum *Calculationum Astronomicarum*; alterum *Introductorium ad Calculationes*, ab his valde laudatus, ab illis supra modum culpatus est. Ioannes Wessellus Groeningae natus, linguam hebraicam, graecam, chaldaicam, & arabicam doctus, parum in academiis & Germaniae, & Galliae favit barbaris aristotelicis: (& tamen defecit ad *Nominales*) fidem Thomae, & Bonaventurae, quos tanquam parum eruditos prae se contemneret, paulo liberius elevasse dicitur. *o* Huic nominali nominalis socius Gabriel Bielius Spirae natus adiungatur, scholasticus ita studiosus Aristotelis, ut pro concionibus sacris eius ethicam philosophiam exponeret.

VI. *Populus scholasticus.*

Sed ego ingentem populum scholasticorum praetereundum existimo. nomenclatoris officio dumtaxat fungar. hi sunt reliqui Petrus Aureolus, Ioannes Botrellus, Gregorius Ariminensis augustinianus, Alphonsus Vargas patria toletanus, praesul hispalensis, a B. Augustino heremita, Robertus Holcotus; Dominicus Flandria; Ioannes Capreolus; tres dominicani ordinis scholastici. Martinus Magister, Ioannes Raulinus, in collegio navarreo, philosophi. Hieronymus Ferrariensis, Iacobus Almainus, Nicolaus Dorvellius, aliique complures, quos rei litterariae historici enarrabunt.

CAP. XII.

SECTAE in schola.

PROP. I. *Universalia scindunt scholasticos in duas classes.*

Priusquam vero ab scholasticis abeam, a quibus iamdiu animus alio properat, non possum, quin de scholasticis sectis pauca commemorem. Ab exordio scholae duae fuere factiones, quarum alteram *Realium*, alteram dixere *Nominalium*. Porphyrius his dissensionibus signum extulit, *p* nihil tale ipse sibi proponens, qui de naturis universalibus *consisterentne in rerum natura, an in solis, nudisque animi notionibus posita essent*, dicere

i *Sancrucius. Dialect. Scoti. l. 1. cap. 3.* k *Alegre in Paradiso Carmelitani Ordinis. p. 291. Baleus, Pitseus, Labbeus, Oudinus. Fabricius. alii.* l *Excerpta Trivoltiana an.* 1713. *pag.* 1661. *t.* III. m *Labbeus. alii.* o *Bruc. T. III. p.* 846. p *Praef. Isagog.*

dicere recusavit. At scholastici, qui nullam inculcandi illius sui *Utrum* occasionem non avidissime arriperent, satis habuere, ut in dialectica molestissimam discessionem facerent, cum alii naturas universales, an platonicas, an aristoteleas, materiam dicerent enuntiationum communium; alii nihil commune praeter nomina comprobarent. illi *Reales*, hi *Nominales* nuncupabantur perquam eleganter.

Iam qui maxime causam Realium egere, nominari solent & Guillelmus Campellensis, & discipuli Anselmi Laudunensis, & Ioannes Sarisberiensis, in quam sententiam non nihil moderatam Aquinas, & Scotus cum magna manu scholasticorum senatorum cum semel discessionem fecissent, prope universam scholam reddidere *Realem*. quamquam inter thomasianos, & scotianos non nihil esset in ea re dissidii; cum alteri *simpliciter reales*, alteri *reales formales* facti fuissent. II. *Scholastici Reales.*

Nominales, quorum primi fuere Roscelinus, Petrus Abaelardus, Almericus, aliique famae non valde bonae, diu iacuere contempti, eousque dum Occamus eam sententiam in lucem restituit, subtilissimis scholasticis in partes suas pertractis, Buridano, Suisseto, Ariminensi, aliisque complurimis. Adeo vero incaluit contentio, & studium partium, ut non semel *Reales*, gratiosi apud eos, qui rerum potirentur, in exilium mittendo; *nominales* curaverint. aetate etiam Vivis ille furor recruduerat, qui oculatus testis est, in palaestra post clamores usque ad ravim, sannas, minas, convitia, ventum esse ad colaphos, alapas, consputiones, calces, morsus, fustes, ferrum; adeo, ut saucii multi, nonnumquam etiam sint occisi. *q* III. *Nominales male habiti a Realibus.*

Iam nemo est, qui non ipse suis oculis videat, sive sectas, sive scholas superstites, & ubique florentes Thomae, Scoti, & Societatis Iesu. quamquam non ego video, cur Schola *Iesuitica* posterior restitutis litteris, sit cum scholis illis numeranda. De Beati Thomae schola paucis licet rem transigere, eam ab Aquinate ortam, in dominicana familia propagatam, ubertate magnorum virorum affluentem, in verba iurasse conditoris. quamquam non paucos habuerit alumnos, & in iis Cani magistrum F. Victoriam, quibus licuerit interdum non assentiri communi doctori suo. *r* IV. *Nobilis schola thomasiana.*

Neque Scoti gymnasium non etiam athletas habet in familia franciscana, an plures, an nobiliores. quos praestat spectare, quam recensere, causam scholae suae acutissime agentes. Quod siquis miretur, me abstinere titulis illis famosissimis, quibus sese ornavere duces Scholarum; is sciat, me simplicem orationem, latinis auribus gratissimam, solere magnificis nominibus praeferre. nec si ego tacuero, non erunt multi, qui pro me magna nomina usurpent. V. *Schola scotiana subtilis.*

q *Sarisberis. Vives l. I. de Cau. Corr. Arti. Prooem.* r *Vid. Canus. De Ll. T. I.* XII.

BARTHOLOMAEI POVII E SOCIETATE IESU INSTITUTIONUM HISTORIAE PHILOSOPHICAE

LIB. X. DE PHILOSOPHIA RESTITUTA.

CAP. I. *REPARATORES primi philosophiae.*

PROP. I. *Non sine Numine servata diu semina sapientiae.*

IN re quidem sua quam dictum esset vere, sapienterque ab Heraclito philosopho, omnia torrentis more fluere assiduo, atque labi, est perenni quadam vicissitudine ipsamet experta philosophia; quae cum ex aliis in alias gentes, ne eadem quidem ipsa, emigrasset, ad extremum pura, atque sincera restitui coepta est. In qua illius beata, faustaque reparatione alii varios casus, varia rerum discrimina, varias novi status reip. litterariae causas inquirent diligenter, & pluribus persequentur. Ego rationem divinae providentiae tacitus mirabor, quae in diluvio tot, tantarumque calamitatum, quas populi, gentesque barbarae sapientiae intulere, ea servavit semina doctrinae, quae in laetissimam messem aliquando tandem excrescerent. Itaque hoc loco eos in rep. litt. veluti Fabios Maximos, qui nobis philosophiam cunctando restituere, quorum primi sec. XIII. alii consecutis temporibus usque ad hanc aetatem in ea cogitatione, studioque defixi fuerint, persequemur.

Equidem auspicia sumenda mihi esse video ab homine populari meo, quem dudum nostri baleares, patriis religionibus consecratum, *Bedtum* colunt, Raymundo Lullio. Hic ubi primum a vesania amatoria ad bonam mentem rediit, diligenter in litteris versatus, multa obiit loca Italiam, Galliam, Britanniam, Asiam, Africam; si forte rerum dominos eo adduceret, ut collegia instituerent, e quibus eruditi tirones evangelici, deinde in aciem cum mahummedanis de religione decertarent. Res parum processit. at certe Lullius non ille quidem chemicus, sed, ut multi vo-

II. Raym. Lullius parum promovet restaurationem doctrinae.

volunt theodidactus, ut cives mei loquuntur, doctor *illuminatus*, in eam rem multa scripsit, potissimum Artem illam magnam, in tanta iudiciorum varietate versatam. Sed in Lullio reparatore doctrinae fuerit voluisse satis. *a*

III. Dantes, Petrarcha, Boccatius, bonis auspiciis philosophiam restituunt.

Illa eadem tempestate coepit Italia iure postliminii pristinae philosophiae splendorem recuperare. habuit enim Dantem Aligerium, Florentiae natum an. MCCLV. *b* latine praeter morem eorum temporum doctum; *philosophum, & disputatorem omnium acutissimum*. Philosophus ille quidem politus *Quaestionem de natura duorum elementorum, aquae, & terrae edidit*. Dantis discipulus Franciscus Petrarcha, Aretiae natus ineunte sec. XIV. non modo humaniores disciplinas *post longa silentia mortuas ab inferis revocavit ad superos*; sed philosophus etiam celeberrimus, optime meritus de re vel ethica, vel politica fuit. *c* Ioannes Boccatius tuscus, eodem seculo natus, graece doctus a Leontio Pylato thessalonicensi, latine a Petrarcha, philosophus omnium sui temporis facile doctissimus, ausus est mythologiam philosophicam eo libro, quem *De Genealogia Deorum* fecit, retractare: in quo labore felicius versatus est, quam illo sperandum esset seculo.

IV. Chrysoloras graecus restituit in Italia graecam philosophiam.

Magnum etiam momentum habuit in philosophia reformanda Emmanuel Chrysoloras byzantinus, missus ab imperatore CPtano Ioanne Palaeologo auxilii petendi causa ad christianos Europae principes ann. MCCLXXXVII. Is cum domicilium in Italia posuisset, Ticini graecam linguam, ex intervallo DCC. ann. intermissam, publice docuit. qua luce Occidenti restituta, splendor restitutus est philosophiae. Huius enim discipuli multi, bonique e barbariei tenebras expellere coepere. e quibus Leonardus Brunus Aretinus magnam facem praetulit eruditioni meliori. eius enim beneficio *Morales Aristotelis Libros*, optima fide traductos, legimus. idem scripta Xenophontis, & Platonis convertenda curavit. Commentarium in libros Aristotelis Oeconomicos edidit. *f*

V. Graeci exules benignitate Mediceorum promovent restauratione philosoph.

Suppetias Chrysolorae paulo post tulere plures alii musegetae, quos, capta a turcis Constantinopoli ann. MCCCCLIII. profugos, laeta Italia gremio suo recepit. Qua in parte omnis grata posteritas Mediceam familiam Etruriae imperantem, quae decus, & praesidium graecis exulibus fuit, aeternis laudibus extollet. *g* Qui vero graeci exules nobis remp. restituere litterariam, ii ferme fuere, Gregorius Trapezuntius, Theodorus Gaza, Bessario, Argiropylus, Demetrius Calcondylas, Georgius Gemistus Pletho, Georgius Scholarius, sive Gennadius, Philadelphus, Lascharis, aliique nonnulli. qui, quasi fato quodam futura

a *Consulendi Casturerius e S. I. Mutus Historia Balearium.* Propediem habebit resp. litt. a cive, socioque meo, iuvene eruditissimo, mihique omnium amicissimo, Sebastiano Nicolavio *De Rebus Balearicis* Historiam latinam, adhuc ab eruditis desideratam: quibus ille & latine, & graece doctissimus, atque eloquentissimus, quem his superioribus annis caesaraugustani, apud quos rhetor dicere solebat, valde mirabantur, luculenter satisfaciet.

b *Vita Dantis edita a Redio* 1672. *Tritbem. c.* 546. c *Fab. B. Lat. Med. T. II.* d *Erythraeus Pinacoth. III. Vives De Traden. Disc. l. III.* e *Ovdin. III. Iovius Elog.* 23. *f. Id. c.* 9. g *Citati.*

fuisset Graecia Italiae magistra, alii in aliis gymnasiis sapientiae splendorem retulere.

VI.
Itali graecorum discipuli opus promovent philosop.

Itaque sec. XV. similes romanis sapientibus, qui olim floruerant, admirata est Italia complusimos cives suos. in iis Angelum Cinum, quem Politianum a patria nominamus, qui philosophiae graeca commentaria nonnulla fecit latina. *h* Poggium Bracciolinum, ethicae philosophiae scriptorem. Petrum Paulum Vergerium *k* philosophum, & rhetorem nobilem, qui libellum *De ingenuis moribus*, dignum philosopho edidit. Iannutium Manettum, interpretem Isagoges porphyrianae, & Cathegoriarum aristotelearum. *m* Nicolaum Cusanum purpuratum R. P. cum scriptis aliis multis in re philosophica, tum informato systemate copernicano nobilissimum. Apollinarem Offredum, Aristotelis animam, deliciasque peripateticorum nominatum, qui in libros de Anima, & Analyticorum Posteriorum commentaria conscripsit. Donatum Acciaiolum florentinum, Argyropyli discipulum, ethicorum Aristotelis, Politicorumque librorum illustratorem. *n* Ioannem Iovianum Pontanum, in philosophia, reliquisque doctrinis, quarum facilis esset iam copia, αὐτοδίδακτον. Laurentium Vallam denique non philosophia, & eruditione magis, quam maledicentia famosum. *o*

CAP. II.
PLATO restitus.

PROP. I.
Pletho restitutor alexandrinae philosoph.

In hac vero melioris sapientiae reparatione, in studia contraria scindebatur doctorum hominum genus. qui enim graeci duces erant, illorum alii philologi potius, quam philosophi, in nullius antiqui verba iuravere magistri; alii philosophos se professi, Platonis partes sequebantur; alii Aristotelem illum ipsum graecum, non istum vel de Arabia, vel de schola, magistrum velle se habere, profitebantur; alii alios antiquitatis philosophos in remp. litt. restituebant. Atque nemo unus e platonicis reformatis, sive novioribus visus est cum Georgio Plethone multis partibus conferendus. *p* ille patria byzantinus, apud Michaëlem Palaeologum potens gratia, & auctoritate, Concilio Florentino cum interfuisset, auctor concordiae graecis, ob eamque rem gratus latinis, fuit. *q* Alexandrinam platonicorum philosophiam latinis ex intervallo restituit, editis scriptis clarissimis.

II.
Bessario optime de Platone meritus.

Huius discipulus magistro par, Bessario, patria trapezuntius, a puero monachus basilianus, deinde archiepiscopus nicaenus, is, qui pars magna fuit Concilii Florentini, quique foedus ecclesiasticum pedibus, manibusque persuadere conatus suis popularibus, praemium eius officii tulit romanam purpuram; *r* optime de sapientia latinorum meritus est; vel quod graeca volumina latina fecerit complura, quae supra modum extollit Huetius; *u* vel quod graecos sapientes exules foverit benigne; vel quod moriens manu scriptos codices suos, nullo auro venales, legaverit Venetis; vel quod denique multa pro Platone scripserit, Aristoteli non valde infestus. Causam egit Platonis contra Georgium Trapezuntium, eius accusatorem, eo libro, quem *Adversus Calumniatorem Platonis* inscripsit.

Neque

h *Fab. B. Lat. V. T. I.* k *Baelius T. IV. alii.* m *Vossius De Hist. Lat. III. 7.* n *Citati.* o *Vives D. C. Cor. Art. II.*

p *Giraldus Dial. II. De Poëtis.* q *Allatius De Georgiis.* r *Possevin. Ap. par. T. I.* u *De Clar. Interp.*

Neque in praesidio mediceo non praeclare actum cum Platone, erga quem iam inde a Concilio Florentino summo tenebatur amore tota domus, cuius heredem reliquit Cosmus Medices Petrum F. Petrus Laurentium ex se prognatum. Hoc tantum studium excitavere & Gemistus Pletho, & Ioannes Lascaris, bibliothecae florentinae instructor. x Itaque Cosmus Medices veluti Academiam illam restituit veterem in ea, quam instituit; societate platonica, in qua essent Ficinus, Mirandulanus, & Philippus Valor. quibus ipse Dux Magnus non modo interfuit, sed saepe praefuit numero.

III. Medicei principes amici Platonis.

Idem Cosmus Medices, se mecoenatem Marsilii Ficini, quem instituendum, initiandumque platonicis mysteriis curavit, professus est. Ficinus creatus est platonicus is, in quo virtutes cum vitiis certarent. multa enim studiose conscripsit, latina fecit scripta Iamblici, Procli, Porphyrii, Synesii, Pselli, Alcinoi, Speusippi, Mercurii Trismegisti, Plotini, Platonisque. Egregios instituit discipulos in philosophia professor florentinus, Policianum, Aretinum, Cavalcantem, Calderinum, Mercatum, Reuchlinum, aliosque. Atque haec data sunt laudi; illa contra vitio, quod interpres curam verborum latinorum neglexerit, graecas sententias non accommodate reddiderit; quod alexandrinos platonicos secutus potius, quam Platonem fuerit; quod Platonis studio insano nonnulla in christianam doctrinam peccaverit; quod si non astrologus apotelesmaticus, at certe anilem in modum fuerit superstitiosus. y

IV. Marsilius Ficinus ultra legem platonicus.

Ex eadem platonica societate Vir ille Cl. Ioannes Picus, Mirandulae dominus, prodiit. in amplissima fortuna doctissimos quosque viros Italiae, & Galliae eruditus peregrinator audiit. doctus sermonem hebraicum, chaldaicum, graecum, arabicum, facile omnes scriptores legit. Tactus amore gloriae nongentas quaestiones posuit Romae, a se publice vindicandas adversus omnes omnium gentium disputatores, quos dimissis usquequaque libellis, suoque sumptu Romam evocaverat. res optatum exitum non habuit, & invidia multorum, & censura publica quarumdam sententiarum, quas Innocentius P. M. non probabat. Et vero Picus magnas virtutes naevis obscuravit suis. nimius amator Cabbalae, nimius fautor alexandrinae philosophiae, induxit foedissimum z syncretismum. Finem vitae annos natus XXXII. in maximo pietatis ardore, summisque religionis officiis imposuit.

V. Ioannes Picus Mirandulan.

Non multo post Fran. Georgius Venetus, *vir platonicae philosophiae cultor*, :: *varia multorum auctorum lectione imbutus*, edidit *Harmoniam Mundi*, & *libros VIII.* in selectiores sacrae paginae locos. eruditos illos quidem, sed ob platonicas, & thalmudicas quasdam opiniones censura gravi, diligentique respersos. a Eius res pluribus dicet Waddingus. Illi non fuit omnino absimilis Ioan. Marcus Kronlandius, pragensis medicus, & Arriagae assiduus oppugnator in iis, quos edidit libris, *Idearum Operatricium Idea*. & *Philosophia Vetus Restituta*. in quibus τῆς φαντασίας plurimum, iudicii valde parum apparet.

VI. F. Georgius Venetus, Ioan. Marcus Kronlandius, platonici parum probati.

Non una tulit Italia platonicos alexandrinos. Suevia eo tempore dedit

x *Ficinus Praef. In vers. Plotini.* y *Huet. l. c. alii.* z *Vita Pici a Pico* | *nepote edita.* a *Senens. B. S. IV.*

dedit Ioannem Reuchlimum, qui se *Capnionem*, hortatore Hermolao Barbaro, homine amico, deinde nominavit. Natus ann. Christ. MCDXLV. in academia parisiensi, aliisque Italiae, & Germaniae gymnasiis versatus, linguam & latinam, & graecam, & hebraicam doctus, in negotiis politicis multorum Germaniae principum diu occupatus, variam, ut fit, fortunam expertus; *b* cum antiquos alexandrinae scholae doctores diligenter legisset, exemplo Ficini, Picique Mirandulani socialem philosophiam ex placitis Pythagorae, Platonis, Zoroastris, Cabbalae mirifice adamavit. infensus religiosarum familiarum doctrinae, semina haereseos lutherianae iecit, Lutheri valde charus asseclis. *c*

VII. *Ioan. Reuclinus Capnio platonicus cabbalianus.*

Huic ille iungendus Henricus Cornelius Agrippa, ortus Coloniae an. MCDLXXXVI. vir ab ingenio, & ostentatione vanissimus, qui nihil nisi reges, principes, nobilitatem loqueretur: ab ambitione, studioque gratificandi rerum dominis, chrysopoeiam in adolescentia mentitus: omnem fere Europam assiduo pervagatus, ordinum religiosorum obtrectator assiduus, Reuchlini, aliorumque cabbalianorum, platonicorumque sectator; multa, quae eam ornarent Spartam suam, edidit. *d* ab aliis magus *e* habitus, ab omnibus iure syncreticus, & alexandrinus philosophus habendus.

VIII. *Henr. Cornel. Agrippa famosus philosophus.*

Britannia quoque Platoni reformato serviit. seculo enim XVII. dedit Theophilum Galeum devoniensem, theologum presbyterianum, concordiae alexandrinae valde studiosum in illo suo libro *Philosophiae Generalis*. *f* qui perosus nascentem suorum impietatem, illud est efficere conatus, philosophiam ethnicam ab hebraicis fontibus emanasse. Eadem eo seculo dedit Radulphum Cudworthum Allerae ann. Christ. MDCXVII. patre theologo natum, in Christi Collegio theologiae doctorem. cuius *Systema Intellectuale*, a Moshemio interprete latinum, hodie in omnium manibus, ostendit scriptorem eruditum alexandrinae confoederationis sequacem. Eadem denique Britannia collegam Cudworthi dedit Henricum Morum, cabbalianae philosophiae insigniter studiosum, editis in eo argumento pluribus commentariis. *g*

IX. *Galeus, Cudworthus, Morus platonici britanni.*

Videor autem non abs re facturus, si his syncreticis alexandrinae pacificationis restauratores alios adiungam, omnium feciales, & caduceatores dissidiorum philosophicorum. In horum collegio primatum tenuit Guillelmus Postellus, qui, factus Elias Pandocheus, sub ea larva dedit *Pantheonasiam*, *h* sive *Compositionem omnium dissidiorum*: in quam tamen Aristotelem non admisit. Sed ille fecialis iure amotae mentis iudicatus est. *i* Ille vero Augustinus Steuchus Eugubinus, vir immensae eruditionis, pater in Con. Tridentino, concordiam in *Perenni Philosophia* inter religionem, & profanam doctrinam cum tentasset, non valde placuit senatui criticorum. *k* Mitto alios infidae pacis auctores, Tobiam Pfannerum in *Systemate philosophiae gentilis*: Mutium Pansam in *Osculo, sive Consensu ethnicae, & christianae philosophiae*: Petrum Danielem Huetium

X. *Alii ειρηνοποιοὶ omnium dissidiorum.*

Vix hodie nemo non eclecticus.

b *Basnagius Hist. Iud. l. IX. alii passim.*
c *Iacobus Gretserus S. I. In Luthero Academico.* d *Baelius, Morerius.* quis non?
e *Naude Apol. c. 15.* f *Londini 1676.*
g *Ipse Praefat. opp. Phil. Londini 1676*
h *Flaccius theatrum Pseudony. p. 481.*
i *Colomesius Gallia Orientalis pag. 59.*
k *Dupin. Bib. Ecc. T. IX.* alii

tium in *Alnetanis Quaestionibus*. de quo paulo post erit dicendi locus.

Aristoteles item extra scholam dignos se est nactus auditores, maxime cum Nicolaus V. P. M. eius interpretationem, latinis auribus dignam, curasset perficiendam. Nunc de his dicamus aristoteleis, qui in locum suum Aristotelem restituerint. In quibus eminuit Theodorus Gaza, Thessalonicae natus, Bessarionis cliens, latine doctus a Victorino Veltrensi; qui *Historiam Animalium*, latinam a se factam, & accurate in membranis exaratam, cum Sixto IV. inscriptam obtulisset, praemiumque laboris spe multo minus, quinquaginta modo nummos aureos, recepisset; tam aegre tulit, meritis speratum non respondisse favorem, ut, cum nummos in Tiberim proiecisset, moerore deinde conficeretur. *l* Aristotelicus item de meliore nota, vir impotentis & animi, & linguae, haberi solet Georgius Trapezuntius, in Creta natus, Venetiis, Romaeque philosophiam professus, Nicolai V. ab epistolis: cui cum placuisset ob amorem Aristotelis, displicuit propter caninam rabiem, qua impetebat populares suos Platonis studiosos. scripsit adversus Theodorum Gazam. Adversus Bessarionem, cuius fuerat familiaris, cum librum edidisset, ab eo extorsit commentarium *Adversus calumniatorem Platonis*. dialecticam edidit. *m*

CAP. III. ARISTOTELES restitutus.

PROP. I. Theodorus Gaza restitutor Aristotel. Georgius Trapezuntius restaurator fervidus Aristotelis.

Clarus etiam peripateticus Georgius Scholarius, sive Gennadius, byzantinus, in collegio CPtano magister, in Concilio Florentino *Henoticorum* patronus; deinde ad graecos reversus, Sultanoque imperatori acceptissimus, a quo patriarcha CPtanus renuntiatus est, ad schismaticos transiit. & nonnulla alia dialectica, & *Introductionem In Porphyrium* scripsit. Hostis acerbus platonicorum, Plethonis scripta flammis dedit. His graecis restitutoribus aristotelicae doctrinae iungo epirotam philosophum, Nicolaum Leonicum Thomaeum, an. MCCCCLVIII. patre veneto natum, Chalcondylae in oratione graeca discipulum, in oratione philosophica Ciceronis studiosum imitatorem, ab scholae lingua vehementer abhorrentem. qui Patavii Aristotelem publice interpretatus, in eius *Parva Naturalia* erudite, & luculenter commentarios scripsit. *o*

II. Georgius Scholaris Lycei restaurator. Nicol. Leonicus Thomaeus eloquens peripat.

Hac aetate peripatetica familia peperit philosophos, qui partim Aristotelem interpretarentur ex formula Alexandri Aphrodisiensis, quique humanos animos, & singulos in singulis, & mortales esse, ponerent: partim ex edicto Averrois, qui humanum quidem animum immortalem, sed unum, & eundem in omnibus hominibus facerent: *p* partim, qui castigato errore Aristotelis & de numero, & de conditione animorum, correcti essent philosophi a Lyceo. In his Augustinus quidem Niphus hoc loco cum primis recensendus. qui in Calabria natus, Patavii philosophiam averroinam edoctus, ex auctoritate, sententiaque magistri *De Intellectu*, & *Daemonibus* tam impie scripsit, ut vix episcopus patavinus, Niphum miseratus, quem ab Averrois insania revocaverat; ex flammis mediis auctoritate sua eripuerit. *q* Ergo Niphus coactus retrorsum vela dare, & cursus iterare relictos, accusandum sibi delegit Pom-

CAP. IV. PERIPATETICI Moderati.

PROP. I. Aug. Niphus e severo moderatus perip.

l *Iovius Elgo. c. 26.* m *Fern. Alf. Herrera Vita Georgii Trapezuntii Compluti praefixa Lib. V. Rhetoricorum.* 1511.

o *Iovius l. cit.* 91. p *Bulla Leon. X.* 1513. q *Naudaeus iudicio praefix. Operibus ethicis Augustini Niphi.*

ponatium, immortalitatis animorum everſorem eo libro, quem ipſe de immortalitate animae ſcripſit.

II. *Maioragius politiſsimus peripateticus. Pet. Victorius, & Muretus, interpretes Ariſt. optimi.*

Italia habuit ea tempeſtate Marcum Antonium Maioragium, ex gente nobiliſsima *Comitum*, civem mediolanenſem, philoſophum eloquentiſsimum, Aruntis Batalei, Hieronymi Cardani, Vincentii Magii in philoſophia diſcipulum. Scripſit *r* autem in re philoſophica eas lucubrationes, in quibus eloquentia cum philoſophia certare videatur, utra magis antiquitatem auream redoleat. Florentia dedit exeunte ſec. XV. Petrum Victorium, criticum magni nominis, graece, & latine doctiſsimum, in academia piſana eruditum: cuius Huetius eximiam facultatem in interpretandis ſcriptoribus graecis, maxime Ariſtotele, valde commendat. *ſ* Victorio non impar habendus Marcus Antonius Muretus, Ariſtotelis ſtudioſus, in cuius libros *Ethicorum*, & *Oeconomicorum* edidit commentarium. In ſcriptis ſuis ſaepe pro re nata ſcholaſticos peripateticos tangere ſolet, veluti aliud agens.

III. *Iulius Pacius genuinus peripateticus. Obertus Gifanius inſignis illuſtrator Ariſtotelis.*

His non multo inferior mihi videtur eſſe habendus Iulius Pacius, Victoriae natus an. MDL. linguarum eruditarum peritiſsimus, Patavii Zarabellae diſcipulus: qui deprehenſus vetitos libros ſine facultate legiſſe, exulatum metu poenae abiit ad helvetios, germanos, gallos, belgas: ubi fuit publicus doctor. In Italiam revocatus, & patavinus profeſſor creatus, multa ſcripta Ariſtotelis & convertit, & illuſtravit, ſua etiam in re philoſophica dedit. *t* Non minore fama & vertit, & illuſtravit ſcripta Ariſtotelis Obertus Gifanius, burenſis in Geldria natus illuſtri loco an. MDXXXIV. Criticus, philologus, iureconſultus, & philoſophus inſignis, deſertis proteſtantium caſtris, ad romanos tranſiit. Eximios edidit commentarios in Ethica, in Politica ſcripta Ariſtotelis. Ioſephus Fineſtreſius, cum eius ſcriptoris, qua ſolet benignitate, mihi copiam faceret; multa adiecit de plagio, quo Gifanius Fruterii ſcripta dicitur pro ſuis edidiſſe. *u*

IV. *Alexander, & Franciſcus, Picolominaei peripat. Hermolaus, & Daniel, barbari, plus aequo peripat. Strozzi familia peripatetica.*

Binos praeterire non poſſum Picolominaeos, utrumque ſenenſem, utrumque peripateticum egregium. alterum Alexandrum, natum an. MDVIII. diu philoſophiam peripateticam profeſſum. qui plura ſcripſit & lingua vernacula, & latina, quibus philoſophiam peripateticam ditavit. *x* Alterum vero Franciſcum, qui an. MDXX. lucem vidit, diſcipulum M. Antonii Zimarae. Conatus eſt Ariſtotelem cum Platone conciliare. multa hominis feruntur ſcripta in re philoſophica. *y* Cognomines etiam duos Barbaros habuit Lyceum. Hermolaum ſeculi XV. philoſophum, qui plura Ariſtotelis ſcripta converterit; *z* cuique daemon malus, a ſe conſultus de poteſtate vocis *entelechiae*, tenui voce, ſe neſcire, reſponderit. *a* Danielem alterum tantae obſervantiae erga Ariſtotelem, ut dicere eſſet ſolitus, ſe niſi in Chriſti verba iuraſſet, in Ariſtotelis verba iuraturum. *b* Una etiam Strozzarum domus

r *Fab. B. G. V.* II. *Baelius. alii.*
ſ *Huetius De Clar. Interpretib. Baelius. alii.*
t *Baelius, Morerius. alii paſsim.*
u *Thuanus ad an.* 1566. *Baelius. alii.*
x *Imperialis In Muſeo. Baelius. alii.*
y *Tomaſsius Elog. P. I. Baelius. alii.*
z *Pet. Crinit. De Honeſt. Diſcip. l.* VII.
a *C.* 2. *Trithem. c.* 878. *Baelius. alii.*
b *Thuanus lib.* XLVI. *alii.*

mus florentina tres tulit peripateticos. Cyriacum in bononiensi academia doctorem philosophiae aristoteleae, qui restituere conatus est Politicorum Aristotelis libros IX. & X. amissos. *c* Alterum Petrum, Lazari Bonamici discipulum, PP. RR. Leoni XI. & Paulo V. ab epistolis, in gymnasio pisano doctorem philosophiae. *d* tertium Ioan. Baptistam in philosophicis peritissimum.

V. *Iacobus Mazonius peripateticus syncreticus.*

Vidit illud seculum XVI. Iacobum Mazonium caesenatem, Friderici Pendasii patavini philosophi discipulum, defensoremque contra Mercenarium. Is valde iuvenis proposuit, a se defendendas Romae, *Quaestiones CXCVII. supra quinque millia*, edito iustae magnitudinis libro. Docuit multis in gymnasiis magna doctrinae opinione. quae hominem valde Cardinali Aldobrandino conciliatum, in eius familiam, fideinque arcanorum omnium induxit. Mazonius bene Platoni cupiebat, qui librum *De Consensu Aristotelis, & Platonis* scripserit. *e*

VI. *Peripatetici moderati ex schola Pomponatii.*

Quoniam vero singulos persequi peripateticos, nobis non licet; eorum album scribamus. Pomponatius ipse nimius peripateticus, docuit moderatos in Lyceo philosophos, Gasparem Contarenum, qui iuvenis contra magistrum pro animorum immortalitate scripsit; *f* Herculem Gonzagam, qui magistrum sepulcro patrio suorum condendum curavit: *g* utrumque postea Rom. Ec. Cardinalem: Paulum Iovium, qui reum egit impietatis Pomponatium: Theophilum Folengium, benedictinum monachum, qui ipse est ille personatus Merlinus Coccaius, *Macaronicorum* primus auctor: *h* Lazarum Bonamicum, Cardinalis Poli familiarem, patavinum rhetorem, qui maluisse dicitur cum Tullio loqui, quam gratia virorum potentissimorum magistratus maiores gerere. *i*

VII. *Reliqui peripatetici itali.*

His annumerandus, suis erga Aristotelem meritis princeps, quem tantum non in astra vocavit, edita & *Apologia pro Aristotele atheismi accusato*, & *De Pietate Aristotelis*, Fortunius Licetus medicus, & philosophus. *k* Ioan. Paul. Pernumia. Franciscus Robertellus. Antonius Roccus. Antonius Scainus commentariis in Aristotelem nobilis. Quibus do socios, duos e Graecia philosophos, Iasonem Norem cyprium, scriptorem eloquentissimum, cuius extat *Institutio in Philosophiam Ciceronis*, & *De Constitutione Partium humanae, & civilis philosophiae*: *l* Ioannem Cottunium macedonem, cuius fertur *Commentarius in Aristotelis libros physicos.*

VIII. *Peripatetici hispani.*

Hispani vero Aristotelis discipuli, qui extra scholam philosopharentur, hi ferme fuere. Franc. Vallesius, medicus in re philosophica peritissimus, scriptor & *Philosophiae Sacrae*, & aliorum in Aristotelem commentariorum. Pet. Ioan. Nunnesius, doctor & caesaraugustanus, & barcinonensis, iis gymnasiis dignissimus: cuius extant eloquentissima scripta philosophica. Ioan. Baptist. Monlorius Nunnensii civis, uterque valentinus, quem scripta in Aristotelem commendarunt. Ioan. Genesius Sepulveda, discipulus Xanthi Mirandae, complutensis philosophi egregii, deinde bononiensis collegii contubernalis, & scriptor insignis.

Quos adhuc secuti sumus, secum eos in ruinam peripateticos non [illegible] tra-

c *Naudaeus lib.* XLVI. *alii.* d *Erythraeus.Pinacoth.*II.13. e *Erythraeus* I.p.65. f *Iovius Elog.cap.*100. g *Iovius l.c.* h *Venetiis* 1588. i *Ghilini Theat.Vir.Doct.p.I.* k *Citati passim.* l *Thuanus ad an.* 1590. *alii.*

CAP. V. *IMMODERATI PERIPATETICI.*

PROP. I. *Pomponatius averroinus.*

traxit Aristoteles; quos iam dicemus, traxit. Pet. Pomponatius mantuanus, ortus an. MCDLXII. philosophus primo patavinus, deinde bononiensis, ex illa impia Aristotelis sententia immortales hominum animos sustulit. Causa Pomponatii suos habuit defensores, qui contra tabulas & scripta ipsius *De Immortalitate Animae*, *De Incantationibus*, *De Fato*, *Libero Arbitrio*, *Praedestinatione*, *&* *Scientia Dei*, hominem impietatis crimine absolverent. Ille quidem tam fuit impius, & fanaticus, quam addictus, & venditus Aristoteli, & Averroi. *m* Alexander Achilinus collega Pomponatii, & competitor philosophicus, chorda oberravit eadem.

II. *Portius, & Zarabella ultra legem peripatetici.*

Simon vero Portius, impias Pomponatii voces de mortalitate reddidit animorum. Natus Neapoli, polite doctus, in quo vicit Pomponatium, inficetum scriptorem, Pisis philosophiam *alexandream*, vel *averroinam* publice professus, edidit *De Anima*, & *Mente* humana, ut alia plura taceamus; commentarium, quo ivit probatum, animas cum corporibus interire. *n* Paulo moderatiorem se praestitit, in alexandrea insania recoquenda, Iacobus Zarabella patavinus, sec. XVI. editus in lucem: latine, & graece doctus. Multa scripsit nimis ex vero aristotelica: *ut impensius aliquando impugnaret immortalitatem animae.*

III. *Cremonius, & Caesalpinus servi Aristotelis.*

His duos adiungimus peripateticos, ultra legem aphrodisaeanos. Caesarem Cremonium, Centi in civitate mutinensi eodem seculo natum, patavinum philosophiae magistrum nobilem: qui saepe testatus, se servire hypothesi aristoteleae, dogmata impia defendit, quae subiecta vellet ecclesiasticis censoribus. *p* Alterum Andream Caesalpinum, aretinum civem, medicum pisanum, quem valde impium Nicolaus Taurellus accusavit, quasi ante errores Spinosae, eas & iam disseminasset spinas, & animos fecisset mortales. in qua accusatione non iniurium fuisse Taurellum, scripta Caesalpini satis, superque testantur. *q*

CAP. VI. *PROTESTANTES PERIPATETICI.*

PROP. I. *Camerarius, & Simonius.*

Germania quoque in scholis protestantium in partem, ac societatem restituendae doctrinae peripateticae venit. Lipsia habuit Ioachimum Camerarium, nobilem peripateticum, qui politiore sermone multa scripserit, ut Aristotelem illustraret: *r* Simonem Simonium patria lucensem, religione primum romanum, deinde lutheranum, denuo romanum, semper autem atheum, si libri editi Cracoviae an. MDLXXXIII. sit titulo fidendum. Certe docuit Genevae, & Lipsiae. Commentarium in lib. I. Nichomachorum edidit. *s*

II. *Taurellus, Scherbius, Sonerus, Picartus, peripatetici altdorfiani.*

Altdorfianum gymnasium dedit Nicolaum Taurellum, quem alii lutheranum, alii calvinianum faciunt, philosophiam ab Schegkio doctum, ethices professorem basileensem, medicum altdorfianum. Is Caesalpinum, italosque philosophos scriptis suis, veluti supra modum peripateticos, oppugnavit. *t* Ibidem Philippus Scherbius, natione helvetius, & philosophus, & medicus insignis, qui in Italia doctrinae fecerat stipendia, philosophiam docuit, nomenque inter suos nobile, edendis scri-

pris

m *Fab. Morerius. Labbeus.* n *Thuanus l. XXIII. alii.* o *Imperialis in Museo p. 151. alii.* p *Imperialis, Reimmanus. alii.* q *Baelius Morer. alii.*

r *Fab. Morofius Polyhi. Tom. I. IV. cap. 8.* ſ *Morof. l. II. l. c. II. alii.* t *Baelius. alii passim.* u *Bruck. T. IV. p. 296. alii passim.*

ptis philosophicis, assecutus est. *u* Ernestus Sonerus norimbergensis, Altdorfium doctrinae causa a parentibus missus; deinde Belgium, Britanniam, Galliam, & Italiam peregrinatus, ad extremum Altdorfii ethicen docuit. Quartus eiusdem gymnasii philosophus Michaël Picartus, Norimbergae natus, magnis laudibus a suis commendari solet: quasi nemo omnium unus fuerit editis libris melius de Aristotele meritus.

III. *Martinius, Horneius, Conringius insignes peripatetici.*

Academiam helmstadiensem ornavere Cornelius Martinius, ex acerrima disciplina metaphysicorum, fidelis Aristoteli contra Rami sectatores, nonnullis scriptis philosophis clarus peripateticus: *x* Conradus Horneius Martinii discipulus, ibidem philosophiae doctor, qui pensionem Aristoteli solitam nonnullarum lucubrationum persolvit: *y* Hermannus Conringius, insignis non modo philosophus, sed etiam polyhistor, antiquis prope par. Nordae in Frisia natus an. MDCVI. Martinium audiit Helmstadii, artem medicam fecit, urgente inopia. At brevi eam nactus celebritatem, famamque nominis fuit, ut ab omnibus Germaniae principibus expetitus, muneribus amplissimis, etiam a Lud. XIV. donaretur. Addictus Aristoteli non tulit surgentem Cartesium. Multa in re civili, litteraria, philosophica, scripta edidit eruditione refertissima. *z*

IV. *Deierius, Zeidlerius, Schegkius, Iac. Thomasius.*

Mitto germanos alios, belgasque philosophos, Christianum Deierium, regiomontanum philosophum: Melchiorem Zeidlerium, qui in schola Deierii eruditus, multa bonae frugis plenissima edidit: *a* Iacobum Schegkium graece doctissimum, tubingensem philosophum, a suis valde laudatum. At Iacobum Thomasium lipsiensem & civem, & philosophum, vix praeterire possum & merito suo, qui eruditissimus esset in historia philosophiae; & fama Christiani Thomasii filii nobilissimum. *b*

CAP. VII. *ALII PHILOSOPHI restituti.*

PROP. I. *Telesius restitutor eleaticorum.*

Iam vero quasi omnibus & bonis, & malis ex antiquitate philosophis Sol exortus fuisset, nullus antiquorum sapientum fuit, cuius denuo non doctrina illustraretur. Bernardinus quidem Telesius consentinus, natus an. MDVIII. primo in disciplinam Antonii Telesii patrui sui traditus, deinde Hieronymi Amalthaei in gymnasio patavino discipulus, in antiquitatis cognitione diu, multumque versatus; restituendam sibi suscepit eleaticorum philosophiam, contempta Aristotelis auctoritate. Hunc summa doctrinae opinio, & viris principibus, & eruditissimis quibusque italis, & Paulo IV. P. R. de meliore nota commendavit. Societatem eruditam, quam *Consentinam* vocare; Neapoli instituit. Edidit *De Natura Rerum Iuxta Propria Principia Libros IX.* c

II. *Thom. Campanella Telesii suffragator.*

Paulo post suae philosophiae aemulum Telesius habuit Thomam Campanellam, Styli in Calabria natum. Is ubi primum ex ephebis excesserat, politiore litteratura excultus, religiosum sacramentum in familia dominicana dixit. Mature concepto odio in Aristotelem, librum edidit *De Gentilissimo Non Retinendo.* Dici vix potest, quanta in opinionum varietate fuerit versata existimatio Campanellae: qui aliis habitus est atheus, valde, si quid video, iniuriose: aliis sapiens abnormis, & paulo magis fanaticus. certe plus aequo fuit astrologus. Quae vero

x *Morerius. alii.* y *Scriptores hist. Lit. passim.* z *Bruck.T.IV. a p.*324. a *Idem l.c.* b *Id.l.c.* c *Io. Georgius Lotterus de Vita, & Philosophia Bernardini Telesii Lip.* 1733.

vero de carcere feruntur, deque proditione regni neapolitani, in quod ille dicitur turcas advocasse, historici in re sua viderint. In iis de re philosophica libris, quos edidit, mala plurima paucis bonis compensavit. *d*

III.
Pet. Gassendus restitutor democriticorum.

Atomus Democriti, & Epicuri in restitutione philosophiae non quievit. Petrus enim Gassendus, in lucem editus an. MDXCII. Campotertii, deinde Diniae prima meritus stipendia disciplinae, post Aquis Sextiis ad philosophiam eruditus, ibique Fesaio doctori suo, qui mortem obierat, successor datus; aristotelea doctrina relicta, ad atomos totus abiit. Canonicus, & praepositus Ecclesiae diniensis creatus, & in academia parisiensi mathematicus, Europam fama nominis sui implevit. Assuetus nihil nisi perspicue, & luculenter cogitare, atomos Epicuri, christianae incudi redditas, quae homini darent notiones distinctas, minimeque metaphysicas, multis libris restituit.

IV.
Discipuli Gassendi.

Gassendus nactus est discipulos suos, maxime Franciscum Bernierium, Michaëlem Neuraeum, Gualterum Charletonum, aliosque, qui in rem suam reperta Gassendi accommodarent. *e* Quamquam non sunt heic tacendi & Daniel Sennertus germanus, qui ineunte sec. XVII. corpuscularem philosophiam probavit; *ff* & Ioan. Chrysostomus Magnenus luxoviensis, medicus in ticinensi academia, qui in eo libro, cui titulus est, *Democritus reviviscens*, atomos reducere conatus est. *ee* Eodem tempore gallus alius Claudius Guillemertus Berigardus, Aquis Sextiis diligenter institutus, mathematicus insignis primo in academia pisana, deinde in patavina, indicto doctrinae peripateticae bello, ionicam philosophiam restituere aggressus, eam christianum in modum castigavit. ut immerito a nonnullis suspecta habita sit religio Berigardi, qui neque artificem mundo detraxerit, neque averroinam insaniam de animo insanierit. *f* edidit *Circulos Pisanos De Veteri, & Peripatetica Philosophia.*

Claud. Guillemertus Berigardus restitutor ionicorum.

V.
Iust. Lipsius restitutor stoicorum.

Stoa etiam ex intervallo reparata. Iustus enim Lipsius, Isci prope Bruxellas an. MDXLVII. natus, a puero in scriptoribus latinis valde versatus, in Ecc. Rom. opera PP. Soc. Ies. restitutus, stoicae doctrinae restituendae studium suum dicavit, editis in eam rem & *Manuductione ad Philosophiam stoicam: & Dissertationibus de Physiologia stoica.* Ultra legem dogmata Stoae tendere, maxime ubi de fato differit, visus est. *g*

VI.
Stoae alii illustratores.

Thomas vero Gatakerus, Londini natus an. MDLXXIV. commentariis eruditissimis Antonini Imperatoris librum *De Se Ipso* illustravit. in ea Stoae causa Lipsio iudex habendus prudentior. Omnino visi sunt Stoam ex virtutibus ornasse suis, Iacobus Thomasius, in eo libro nobili, *De Exustione Mundi Stoica*; Et Franciscus Budeus, *De Erroribus Stoicorum.* *h* Sciopius dubiae famae criticus, edidit *Elementa Philosophiae Stoicae*, parum probata. Daniel Heinsius scripsit orationem *De Philosophia Stoica.* Fran. Sanctius Brocensis, criticus antiquae disciplinae, qui *Organum Dialecticum, & de Porphyrii aliorumque Erroribus in Dialectica,* scripsit,

Epicte-

d *Consul. Echardus T. II. B. Or. Praed. alii passim.* e *Samuel Sorbierius Vit. Pet. Gass. Opp. praefixa.* quis non? ff *Hypomnemat. Physic. III. 1.* ee *Ticini an. 1646.* f *Pet. Niceronius in Memori. Virorum litt. Illust. T. XXXI. alii passim.* g *Ipse Cent. III. ad Belgas ep. 87. Aubertus Miraeus Vita Lipsii.* h *Consul. Bruck. T. IV. pag. 502.*

Epicteti *Enchiridion* fecit hiſpanicum, ſtoicis reformatoribus annumerandus.

CAP. VIII. *SCEPTICI reſtituti.*

Et ſuos habuit hoſtes philoſophia recentes, qui vel omnem ſcientiam novitii pyrrhonii tollerent, vel ſectariae doctrinae negotium faceſſerent. *i* Franciſcus Sanctius, iudaeus luſitanus, Bracarae natus an. MDLXII. in Gallia eruditus, Toloſae & philoſophiam, & medicam artem profeſſus, librum edidit *De Multum Nobili, & Prima Univerſali Scientia, QUOD NIHIL SCITUR.* *k* Huic comites ire debent Ioſephus *Glanvillius*, editor *Sceuſeos Scientificae Adverſus Dogmaticorum Vanitates.* Michaël Montanus in *Tentaminibus Moralibus.* Ant. Cooperius in epiſtola *De Enthuſiaſmo.* his cordi eſt, nihil ſciri poſſe, ne, quo pacto vivant, ipſi ſint ſibi conſcii. *l*

PROP. I. *Franc. Sanctius luſitanus iudaeus ſcepticus.*

II. *Pet. Daniel Huetius ab Oliveto factus ſcepticus.*

Per. Danielem Huetium, hodie iſti critici magno conatu ſcepticum efficere contendunt. *m* Huetius Cadomi nobili loco natus ann. MDCXXX. Patribus Soc. Ieſ. Collegii Cadomenſis in diſciplinam traditus, omni litterarum genere eruditiſsimus, omnes Septentrionum provincias prope peregrinatus; facile apparuit princeps omnium eruditorum in *Origenianis*, *Fabulis Romanenſibus*, *Demonſtratione Evangelica*, *Quaeſtionibus Alnetanis*, aliiſque ſcriptis. Oliveto, edenti Librum nomine Huetii, iam vita functi, *De Imbecillitate Intellectus Humani*, in quo inſtitutiones ſcepticas exemplo Sexti Empirici ille complexus eſſet; obviam ivere, labemque famae Huetii inuſtam delere, ſunt conati ſocii trivoltini. *n* Sed alii viderint. Certe Huetius in ſcriptis ſuis ſaepe ingenium humanum caſtigavit, quod principatum rationi, non Fidei tribueret.

III. *Fran. Mottaeus Vayerius ſcepticus.*

Solet verius ſcepticus haberi Franciſcus Mottaeus Vayerius, Lutetiae natus an. MDLXXXVI. quem cum Plutarcho Baelius ob eruditionem comparandum exiſtimavit, qui editis Dialogis, *Horatii Tuberonis* nomine inſcriptis, pyrrhoniam inſaniam recoxit. Sorbierius veſtigia Vayerii ſecutus creditur, qui ex parte gallicum fecit Sex. Empiricum. Fovcherius in *Hiſtoria Academiae*, *o* academicum certe ſe prodere viſus eſt.

IV. *Pet. Baelius impius ſcepticus.*

Omnium ſcepticorum reſtitutorum famoſus maxime Pet. Baelius, Carlae in Gallia natus eſt an. MDCXLVII. patre calviniano miniſtro. Is cum daret operam philoſophiae in collegio toloſano Soc. Ieſ. in Ec. Rom. rediit: a qua deinde transfuga & Genevae, & Lutetiae, & in Belgio, & in aliis Germaniae provinciis verſatus, immenſam ſcriptorum ſegetem protulit. Impius non modo a catholicis, ſed ab haereticis habitus, aſsiduas lites de religione cum doctiſsimis quibuſque ſui temporis habuit. *In Dictionario Hiſtorico-Critico*, primo male accepto etiam ab haereticis, deinde retractato, & in deliciis eruditorum maxime proteſtantium haberi ſolito, patrocinium ſuſcepit cauſarum & impiarum, & relictarum pro manichaeis, pro ſpinoſianis, proque omnibus religionis inimicis. *p*

CAP. IX. *OSORES philoſophiae profanae.*

Ac ne illud quidem eruditorum genus diu deſideratum eſt, reſtitutis litteris, qui praeciſsis nervis ingenii, ſapientiaeque humanae, Dei unius ab ore pendere ſe velle profiterentur. Hieronymus Hirnaymius, Pragae ca-

i *Vid. Ioan. Alb. Fabricius Syllab. Scrip.* D. V. R. *Villemandyus Scepticiſmus Debellatus. Baelius. alii.* k *Nic. Ant. B. H. Nov. T. I.* l *Citati.* m *Memories de Treboux.* 1721. *Olivetus Vit. Huetii praefixa lib. De Imbecillit. coet.* n *Excerpta Trivoltina an.* 1725. o *Baelius* p *Excerpta trivoltina* 1707. *alii.*

PROP. I. *Hirnaymius contemptor philosophiae.* canonicus praemostratensis, vir satis instructus humanis artibus, edito Libro *De Typho Generis Humani*, fraude quadam pia deceptus, omnes artes, doctrinasque proscripsit, ut disciplinam, studiumque virtutis promoveret. *q* Cui non valde in ea sententia dissimilem, monachum benedictinum refellit Ioannes Mobillonius in *Studiis Monasticis.*

II. *Scriptores ethicae, & politicae sacrae.* Atque his illi maxime visi sunt consentire, qui e sacris litteris morum, vitaeque philosophiam repetebant. Lambertus enim Daneus, *r* Aslachus theologus danus, *s* & Georgius Grabovius, *Ethicam Christianam*: Ioannes Pickerius, *Aretologiam Christianam*, scripsit. Petri Ribadeneriae extat *Princeps Christianus*: Iacob. Benig. Bossueti, *Politicen Sacram* habemus, ut alios taceamus, Carolum Scribanium, Valentinum Albertium, Comeniumque.

III. *Pansophiae sacrae scriptores.* Alii non modo vitae praecepta, sed omnes humani ingenii disciplinas ab auctoritate sacrae paginae derivabant. Henricus Alstedius doctor & Herbornae apud Nassovios, & Albae Iuliae, cui Lullius Clavem Artis magnae debet, vulgavit *Encyclopaediam Biblicam*: *t* Otto Casmanus, quem praefectum habuit academia Stadensis, scripsit *Biographiam Triplicem*, in qua omnes scientias, veluti sacris mysteriis initiatas, & *theosophicas* fecit, & appellavit. Mitto scriptorem *Pansophiae Mosaicae* Pfeiferium, nonnullosque alios, qui optavere potius, quam didicere a Dei testificationibus, qui mundum tradidit hominum disputationibus, philosophiam.

IV. *Thomas Burnetius, aliique scriptores physicae sacrae.* Longe plures in eam ingressi sunt cogitationem, ut physices doctorem Deum ipsum e sacris codicibus haberent. Franc. Vallesius, Iacobus Scheuchzerius, Casmanus, Asiachus, Daneus aurelianensis sibi *Physicen*, vel *Sacram*, vel *Christianam*, ea de re edendis scriptis suis, effinxere. Qua in classe physicorum sacrorum valde eminere visus est Thomas Burnetius, britannus, Richmondii natus an. MDCXXXI. Cantabrigiae doctus favere Platoni. *u* Eruditorum more nonnihil peregrinatus Burnetius, edidit an. MDCLXXX. *Theoriae Sacrae Telluris Partem Primam.* paulo post *Partem alteram Theoriae.* Primo plausus ingens excepit britannum istum artificem mundi; deinde theologica suorum censura. qua ita ille est perterritus, ut praeterquam *Archaelogia Philosophicas*; doctas sane, & laboriosas, omnia alia scripta sua supprimeret. Est, qui velit, Burnetium Theoriam suam partim ab habbisinio quodam philosopho, partim ab Antonio Consalvio Salasio, exscripsisse. *x*

V. *Alii scriptores cosmopoeiae mosaicae.* Neque unus orbis arbitrarius artifex Burnetius. Ut enim heic nihil de Cartesio dicamus, Guillelmus Whistonius ut emendaret fabricam burnetianam, aliam longe edidit vitiosiorem, in *Theoria Originis, & Consummationis Rerum Omnium.* y Cluverius *Geologiam* suam edidit. Theodorus Barinus, & Ioan. Espagnetus idem opus, sponte sua sibi conductum, parum criticis probarunt. *z* Ad extremum Ioa. Amosius Comenius edidit Amstelodami an. MDCLXIII. *Synopsin Physicae Ad Lumen Divinum Reformatae.* ut alios in hoc genere relinquamus.

Iam

q *Pragae* 1676. r *Morerius. alii.* ſ *Hannoviae* 1613. t *Francofurti* 1625. u *Bruc.T.IV.p.*620. x *Reimmannus Catal.Bib.T.I.p.*691. y *Reimman. Cat. Crit. T. I. p.* 693. z *Bruck. loc. cit. p.* 623.

Iam in statu novo philosophicae reip. coepit a multis in ius schola vocari. alteri accusatores haeretici, cum causas odii in catholicos omnes persequerentur, barbariem scholarum maxime ursere. alteri catholici politioris sapientiae amore in eandem aciem contra scholasticos prosiluere. Lutherus, philosophiam sic satis tenuiter doctus, *a* ubi primum coepit, rebus novis studere, in eam scripsit Iodoco, praeceptori suo, sententiam, *b* non posse Ecclesiam reformari, nisi funditus extirpata *scholastica theologia*, & *philosophia*. Cui fidissimus achates Philippus Melanchthon dicitur persuasisse, ut de Aristotele ipso humanius locutus, de scholasticis aristotelicis, more suo debacchatus, verba faceret.

CAP. X. *OSORES scholae.*

PROP. I. *Lutherus, & Melanchthon osores scholae.*

Erasmus vero vicit sese, suumque aeternum scholae odium in *Encomio Moriae*, ubi facta, & infecta omnia profert adversus scholasticos. Lutheri si non fautor, at eius suspicionis reus, Iacobus Faber Stapulensis gallus, omnes eruditorum populorum linguas edoctus, scholasticam philosophiam oppugnavit. Equidem neque odium vellem exarsisse his reformatoribus adversus scholasticos; neque idcirco fuisse haereticos, opiner, quod & scholae odium eos cepisset, & vitia, quae non hominum, sed temporum magnam partem essent, acutius vidissent.

II. *Erasmus, Iac. Faber Stapulensis, inimici scholasticorum*

Catholici enim non pauci eandem dixere, non de scholasticis, sed de vitiis scholae barbarae sententiam. Antonius ille Nebrissensis, cum in Hispania politiorem litteraturam, auctore, & mecoenate Cardinali Ximenio, restitueret; habuit quidem obtrectatorem quemdam theologum valentinum, cuius criminationes veluti iocosa reddebat imago iuvenis Lud. Vives. *d* quantum mutandus ab illo Vive! Hic enim, Hispania relicta, peregre sapientia quaesita, sale multo, multumque nigro vitia barbarorum scholasticorum editis scriptis aeternum perfricuit. *e* Sebastianus Foxius Morzillus, hispalensis, Lovanii doctus philosophiam, & ab ipsa adolescentia scriptor egregius, qui vocatus a Philippo II. Rege, ut studia Caroli principis Asturum moderaretur, fracto navigio periit, acriter scholae barbariem castigavit. *f*

III. *Scholamastiges hispani.*

Ex italis Marius quidem Nizolius latinus potius, quam philosophus, cum eos scholasticos accusaret, qui ex formula, verbisque conceptis Ciceronis non philosopharentur; venit in contemptum eorum hominum, qui scholae aculeata sophismata contorquere didicissent. Scripsit *De Veris Principiis*, & *Vera Ratione Philosophandi Contra Pseudophilosophos.*

IV. *Itali correctores scholae.*

Iam Franciscus Patricius, non cum aristotelicis de schola, sed cum Aristotele inimicitias exercuit. Natus Clissae in Illyrico, adversa fortuna diu, multumque iactatus, deinde & Patavii, & Ferrariae, & Romae philosophiam professus sec. XVI. Edidit & *Discussiones Peripateticas*, & *Aristotelem Exotericum*; quibus in libris religioni infestiorem Aristotelem, quam Platonem esse docuit: & *Novam De Universis Philosophiam*, in cuius Praefatione hortatus est Greg. XIV. ut Aristoteli igni, & aqua interdiceretur. Odium in Stagiritam, amor erga Platonem nimius, saepe iudicem Patricium corrupit. *h*

V. *Fr. Patricius Aristotelis Obtrectator.*

Eodem

a *Gretserus In Oratione, Utrum Lutherus fuerit scholasticus.* b *Epist.* 1. X. d *Warton ad Caveum p.* 155. e *Nicola. Ant.B.Hi. Nov.alii.* f *De Ration. Stud.Philos.* h *Erythraeus Pinacot.* I. *alii passim.*

VI.
Pet. Ramus scholasticorum hostis.

Eodem sec. Pet. Ramus, gallus, Lutetiae periculum in doctoratu philosophiae subiturus, dicitur posuisse, *quaecumque ab Aristotele dicta essent, commentitia esse.* i Quas edidit *Institutiones Dialecticas, & Animadversiones Aristotelicas*, eae scholasticos, maxime Antonium Goveanum, adeo exacerbavere, ut iussu regis & libri proscriberentur, & ipse Ramus docere prohiberetur. k Patrono Cardinali Lotaringio, paulo post ad cathedram vocatus est. at cum calvinianas partes sequeretur, vertere solum coactus, per plurimas Germaniae academias gratus discipulis, odiosus magistris aristotelicis, peregrinatus, in Galliam rebus compositis rediit. ubi in illa communi *Hugonotorum* calamitate trucidatus est iussu Carpentarii. Odium Rami mortui immortale servavere discipuli in scholasticos.

VII.
Alii Aristotelis inimici galli.

Petrus Charondas, sive Charronius, scriptis suis, maxime libro illo de Sapientia, l parum favit peripateticis. fama hominis, necessitudine cum Michaele Montano coniuncti, nonnihil impietatis suspicione aspersa est. quasi atheis victus dedisset manus, aut certe, quam posset fortissime, non repugnasset. m Eodem tempore Sebastianus Basso, medicus, in praefatione eius libri, cui titulum fecit, *Philosophiae Naturalis Adversus Aristotelem Lib. XII.* testatus amicum Platonem, amicum Socratem, sed magis amicam Veritatem, classicum cecinit contra Aristotelem. n Neque, si verum amamus, Honoratus Fabrius e S. I. paulo post natus Bellici apud bugienses, valde suffragatus est Aristoteli scriptis suis philosophicis. quod suis quisque oculis facile diiudicaverit.

CAP. XI.
SCHOLAE reparatae.
PROP. I.
Scholastici dominicani politiores.

Quin etiam e media ipsa schola extitere cum alii e S. I. ut Petrus Fonseca, o ut Collegium Conimbricense; p tum unus ille instar omnium, Melchior Canus, e familia dominicana elegantis litteraturae vir; q qui acriter scholarum vitia castigarent. quibus monitoribus nitor quidam additus est scholae. Dominicani philosophi, qui nostris non egent laudibus; r multo, quam ante esset in more positum, politius scripsere, Dominicus Sotus, Franciscus Victoria, Dominicus Bagnius, hispani; Franciscus Silvestrius, Chrysostomus Iavellus, Michaël Zenardus, itali; Ioannes a S. Thoma olysiponensis.

II.
Aliarum scholarum scriptores.

Ex aliis religiosis familiis politi philosophi, scholam loqui non more solito, docuere, Ioannes Ponzius hibernus, Mastrius, Bonaventura, Mellutus, Ioannes Lalamandetus, Claudius Frasenius, Martinus Meurisses a B. Francisco viri religiosi. Angelus Manriquius, Bartholomaeus Gomius, Marsilius Vasquius; Petrus Oviedus, Ioannes ille Caramuel; s hispani philosophi, religione cistercienses.

III.
Scholastici e S. Ies.

Nostra etiam societas, quae, laudatore inimico Iacobo Bruckero, t *maxime inter ordines religiosos in hoc philosophiae genere magnam famam meruit*, dedit agmen integrum scriptorum, quos vocemne magnam quidem partem scholasticos, an genuinos peripateticos, soleo dubitare. non enim tam sunt eristici, tam non politi, tam in rebus versati obscu-

i *Vita Rami a Freigio edita pag.* 9. k *Audomarus Taleus in Dedic. Acad. Quaest.* l *Paris.* 1607. m *Vita praefixa lib. de Sapient.* n *Launoius c.* 15. o *Inst. Dial.* VIII. 19. p *In Praefat.* q *De Lib. theol.* VIII. 1. *alibi.* r *Echardus conf.* s *Nicol. Ant. Carolus De Visch. Bib. Scrip. Cisterciensium.* t *Tom.* IV. p. 136.

scitis, certe ab imperio, & servitute unius alicuius magistri soluti. Ac ne videar, res nostras supra modum extollere, optimos quosque duntaxat socios appellabo: Benedictum Pererium valentinum; primum e Soc. Ies. philosophum romanum, Petrum Fonsecam Aristotelis interpretem, Damianum Goem, qui in scriptis, quae nomini supposuit Collegii Conimbricensis, & interpretatur, & illustrat plures eiusdem libros; Vallium, Tellium, Mendozam, Oviedum, Toletum, Rubium, Arriagam, Alphonsum. alios permultos taceo. *u*

IV.
Fran. Suarius vindicatus.

Extra sortem Franciscum Suarium granatensem, scholae laude assidua doctorem eximium, non possum non commemorare, facile in hoc genere principem; quem ego antistitem theologorum habeo, ubi, relictis spinis dialecticis, ad dogmata praedestinationis, arbitrii, gratiae assurgit. Ant. Genuensis & perpetuus, & saepius iniuriosus scholasticae reip. censor, cum, *vix dignus est*, ait, *qui legatur Suarezius*; satis prodit, se non legisse Suarium. Alii viderint, quam sit dignus, qui legatur Genuensis, sine nervis metaphysicus, impar oneri: quod impetu audacis ingenii *x* elevatum, solet Antonium in ruinam trahere secum.

CAP. XII. *CHEMICI.*

PROP. I.
Theophrastus Paracelsus circulator.

Supersunt duo genera philosophorum novorum. alterum chemicorum, alterum eclecticorum. chemici, quos vocant theosophicos, quasi Deo uterentur eximio magistro philosophiae suae, post Paracelsum valde claruere. Philippus Aureolus Theophrastus Paracelsus, cuius & nomen, & patria, & vita, & doctrina, & fama, sunt omnia acriter controversa; *a* certe germanus seculi XV. philosophus: cum Europae, Asiae, Africaeque plures obambulasset provincias, basileensis physicus, & medicus creatus est. Vix leviter doctrina tinctus, artis chemicae vel ope, vel dolo morbos, etiam desperatos, saepe curasse, dicitur. Vixit vagus circulator tam flagitiose, vix ut unquam sobrius, vix extra ganea conspiceretur. Multa scripsit barbarissimo sermone. aliis atheus, aliis magus, aliis χρυσοποιός, aliis melius iudicatus est amotae mentis fanaticus. Oporinus, qui familiaris fuit Paracelsi, Vitam illius flagitiis omnibus coopertam, scripsit.

II.
Nonnulli Paracelsiani chemici.

Plurimos a Paracelso chemicos vidit aetas secuta. quos chemiae scriptores dicent pluribus, nos nomina indicabimus. Adamus Bodensteinius, Carolostadii illius famosissimi filius; discipulus, & successor basileensis, & imitator Paracelsi fuit. *b* Iacobus Gohoryus, qui & *Leo Suavius* dictus est, & *Solitarius*, magiam cum chemia commiscuit. *c* Michaël Toxites, *Onomastici Theophrasti Pacelsi* editor. Gerardus Dornaeus, qui scriptis Paracelso lucem attulit. Oswaldus Crollius, qui systematicam fecit doctrinam Paracelsi, & chemiam repertis novis auxit. Henricus Kurathius, supra modum paracelsianus.

III.
Fabula milesia de collegio

Neque possum, hoc loco fabulam illam milesiam de *Rozecrucianis* collegis, opinione multorum a paracelsianis confictam, praeterire. Ineunte seculo XVII. rumor de sodalitio *Rozecruciano*, editis duobus libris ἀδεσπότοις, *Fraternitate*, & *Confessione Fraternitatis*, vulgarus auctorem collegii Christianum *Rosencreuzium*, germanum, peregrinatorem

in

u *Bib. scrip. S. Ies.* x *Prologom. p.6. Neapoli* 1756. a *Vid. Bruck. Tom.* IV. *p.*647. b *Teissierius Elog. T.* III. *pag.* 135. c *Naudaeus. alii passim.*

rozecruciano paracelsiano-rum.

in Palaestinam, Aegyptum, & Libyam, ibique doctum mysteria Cabbalae faciebat. qui cum in Germaniam revenisset, discipulis doctrinam omnem, etiam chrysopoeiam, fide silentii obstricta, tradidisset; vitam sine morbo ad an. CXX. finivisset. Fabula habebatur scholae paracelsianae; quae suspicio placuit magnis viris, *d* cum philosophi chemici eam doctrinam apud se latere, simularent.

IV. *Theosophi paracelsiani.*

Certe chemici multi cum in arte medica theosophiam, sive revelationem nescio quam, mentirentur; quique in chemia recoquerent insaniam alexandrinae philosophiae, meriti fuisse videntur, quibus auctoribus fabula tribueretur. Ex his Aegidius Guthmanus, Iulius Sperberus, Valentinus Weigelius, Robertus Fluddus, scripta abnormia & paradoxa edidere. Iacobus Bohemius insania omnes vicit in *Aurora*. quo tamen duce fidebat Ioannes Pordages, Quirinus Kulhmannus, aliique non pauci. His iungendus Ioan. Bapt. Helmontius, Bruxellis natus an. MDLXXI. medicus gloriosus, philosophus ἐνθουσιώδης, & χρυσοποιός. Alii laudes Helmontio non invidebunt: *e* ego a reprehensione dumtaxat abstineo. Multo magis huius filio, Fran. Mercurio Helmontio, placuere philosophiae paradoxa *De Macrocosmo*, *Microcosmo*, *Delineatione Alphabeti vere Naturalis*. f

CAP. XIII. ECLECTICI

Ad eclecticos recentiores, qui iudicio suo sunt philosophati, veniamus. quorum alii valde abnormes; alii philosophi non contemnendi fuere.

PROP. I. *Hieronymus Cardanus eclecticus abnormis.*

Hieronymus Cardanus Mediolani natus, ut ipse scribit, an. *g* MDVIII. studii causa in academia ticinensi, & papiensi, & patavina versatus, artem medicam doctus, fuit ille quidem

Rusticus, abnormis sapiens, crassaque Minerva.

Homini illi nihil in vita, nihil in studiis aequale. Varia fortuna iactatus, a multis atheus, ab aliis magus, a non paucis astrologus insanus iudicatus; multa scripsit, quae, merita censores graves, sunt a Iulio Caesare Scaligero oppugnata. *h*

Iordanus Brunus impius philosophiae novator.

Eodem seculo Iordanus Brunus nolanus, nomen professus apud ordinem Praedicatorum, *i* deinde profugus ad genevenses, lugdunenses, tolosanos, parisienses, britannos, germanos: ubique parum acceptus, vel quod odio arderet in Aristotelem, vel quod reformatorum errores non prorsus probaret, vel quod hominem conscientia furentem ageret, vel quod novus philosophiae alexandrinae, & zoroastreae esset interpolator: ad extremum reversus in Italiam, & a Quaesitoribus ecclesiasticis Venetiis captus, Romamque deportatus, poenas in rogum missus dedit impietatis. Multa scripsit & obscura, & fanatica, & impia. *k*

II. *Iul. Caesar Vaninus athe-ismi reus, capite damnatus*

Eodem tempore Iulius Caesar Vaninus, natus est Taurisani, vocatusque in sacro baptismate *Lucius*. A puero deditus philosophiae averroinae, medicis, theologis, iureconsultis cum operam variis in academiis Italiae dedisset, valdeque scripta Telesii, Pomponatii, Cardani probasset; iter in Germaniam, Belgium, Genevam, Lugdunum suscepit. Impietatis crimine heic ab Henrico Sylvio delatus, Londinum adiit.

d *Gassendus Exam. phil. Fluddanae.* §. 13. e *Bruck. T. IV. p. 709.* f *Loc. c.* g *De Vit. Propria.* 2. h *Naudaeus. Baelius. alii.* i *Scioppius Morerius. alii.* k *Bruck. T. V. a pag.* 12.

adiit. Genuae deinde philosophiam professus, iterum ad lugdunenses, & parisienses, & tolosanos contendit. Heic, accusatore Francono, capite damnatus, violatae religionis poenas dedit. Tam atheus, quam qui maxime, & alia multa scripta, & *De Admirandis Naturae Reginae, DEAEque Mortalium libros IV.* l edidit.

III. *Bened. Spinosa impius.*

Omnium maxime impius, iudaeus Benedictus Spinosa, natus Amstelodami patre lusitano an. MDCXXXII. is aspernatus doctrinam rabbinicam, ad amicos transiit christianos, quorum tamen mysteriis nunquam se, passus est, initiari. Doctus latine, graeceque, in scripta deinde Cartesii, quibus valde delectaretur, incidit. A communione iudaeorum, e quibus non acceperat magnam pecuniae pensionem in singulos annos ea lege, ut ne ab eorum synagoga se alienum proderet, rite exclusus: cum primo insidias sicarii, ab iisdem immissi vitasset; deinde Renoburgum, inde Vooburgum, post Hagam se contulit. Multus rumor de impia morte Spinosae sparsus est. Certe in scriptis suis summa flagrat impietas, non a cartesiana, sed potius a cabbaliana philosophia derivata: unam in natura esse *substantiam*, eamque esse deum: caetera dei modos vel cogitationis, vel extensionis esse. Habuit aemulos impietatis plurimos, Leentosium, Cuperum, Cusaëlerium, Ioan. Norisium, Tolandum, aliosque. m

IV. *Thom. Hobbesius plus aequo epicureus.*

Ante impium Spinosam impius Thomas Hobbesius, Malbesburiae in Britannia natus est an. MDLXXXVIII. Oxonii doctrinae stipendia meritus, Galliam, & Italiam peragravit, quo in itinere amicitiam cum Mersenno, Gassendo, Gallilaeo, aliisque viris doctis coniunxit. Cum divina omnia, & humana misceri a civibus suis videret, Cromvelio rerum potito, ipse Lutetiam profugit. Carolum II. cui favebat, editis libris *De Cive*, *& Leviathane*, praeter opinionem a se abalienavit: cui tamen postea reconciliatus est. In scriptis & ethicis, & politicis, & physicis, & mathematicis visus est, vel cum Epicuro consentire, vel certe impie sentire de vi, naturaque Dei. n

V. *Verulamius novator nobilis.*

Atque hos impietas ipsa famosos fecit. quos iam recensemus, nova reperta nobilitarunt. Fran. Baconus, Baro Verulamius, vidit in Britannia lucem an. MDLX. in illustri familia. Cantabrigiam missus Aristotelis, quam postea eiuravit, philosophiam audiit. Domestica nobilitas cum doctrina, moribusque aulicis coniuncta Baconum in partem reip. vocavit. quae cura tamen non dedocuit illum philosophari. Vacuus a praeiudicatis opinionibus edidit De *Augmento Scientiarum*; *Novum Organum*, aliaque nonnulla, multo a suis laudata magis, quam quantum iure videantur esse laudanda. o

VI. *Renat. Cartesius ambitiosus sectae conditor.*

Renatus Cartesius, p patria turonensis, Verulamio neque nobilitate concessit, & gloria philosophiae longe praestitit. Is natus an. MDXCVI. in collegio S. Ies. Flexiae est ad omnem doctrinam eruditus. Iuvenis, stipendia militiae fecit, Germaniam, & Italiam peragravit. Reversus Lutetiam, cum ibi secessum, & otium futuro novae philosophiae con-

l *Olearius De Vit. caet. Vanini* 1708.
m *Rapin Reflex. sur la phys. n. Baelius alii.* o *Guillel. Raulaeus Vit. Verulamii. alii.* p *Hadrian. Bailletus Histor. Cart.* 1691. *alii.*

conditori par non contingeret; Belgium cogitavit. Heic scriptis suis vulgatis, ipse absens per homines, suorum placitorum studiosos, discessionem in academiis facere coepit. Quos ille excitaverit & accusatores, & patronos philosophiae novae, paucis comprehendi non potest. Post Christina regina Sueciae Cartesium, cuius fieri vellet discipula, in regiam vocatum, cum audiit, tum vero omnibus est honoribus, & vivum, & ibi gravitate & insolentia coeli brevi mortuum, prosecuta. Discipuli, quos ille ambitiose quaesitos habuit plurimos, novam philosophiam propagarunt.

VII. *Godof. Guil. Leibnizius monadum repertor nobilis.*

Et Lipsia dedit heroa suum philosophiae, Godofredum Guillelmum Leibnizium, natum an. MDCXLVI. a puero diligenter litteris graecis, latinisque eruditum, in schola ienensi cum magnis iureconsultis versatum, in patria petitorem doctoratus iurisprudentiae, artibus & contemptu uxoris decani academici repulsam passum, eo honore in gymnasio altdorfiano omnium ordinum plausu adfectum: ad extremum in patrocinium, fidemque electoris moguntini, eoque vita functo, Ioann. Friderici ducis brunsvicensium receptum. Multa itinera in Galliam, Britanniam, Italiam, in Germaniae provincias cum doctrinae causa suscepisset; optime de re litteraria meritus, necessitudinem habuit cum doctissimis quibusque viris aetatis suae, quibuscum communicaret reperta mathematica, physica, politica. Scriptis cum omne genus clarus, tum novis monadum inventis vel clarissimus, vel potius famosus: in quibus nescio quid monstri, & impietatis exclusisse visus est. q

VIII. *Christianus Thomasius strenuus eclecticus.*

Eodem tempore erudita Lipsia genuit Christianum Thomasium, patre docto Iacobo Thomasio doctiorem filium. Is non institutione, quam ingenio felicior omne genus doctrinae exceptum, & auxit, & correxit, interdum etiam corrupit: famam, quam laudem adeptus ampliorem. Sponte sua Grotium, & Pufendorfium auditoribus praelegit. Ad batavos itinere suscepto, doctrinae supellectile aucta, in amicitiam Ioan. Georgii Graevii venit. Patriae restitutus, mortuo deinde patre, inimicitias gessit eruditas cum Albertino, Masio, aliisque complurimis, quos sale plusquam plautino, multisque scriptis, succo nigrae loliginis madentibus, perfricuit, & infecit. r

IX. *Franc. Buddeus de re eclectica benemeritus.*

Post hos eclecticos philosophi, veluti venti aeoliani, qua data porta, in novam philosophiam ruere coeperunt. Germania vidit Franciscum Buddeum sec. XVII. in multis gymnasiis magistrum, qui scripsit *Institutiones Philosophiae Eclecticae. Introductionem in Historiam Philosophiae Hebraeorum*: *Historiam Iuris Naturae*: *Theses De Atheismo*: *Elementa Philosophiae Practicae*: alia non pauca. Vidit Andream Rudigerium nobilem professorem, qui *Physicam Divinam*: *Institutiones Eruditionis*: aliaque scripta iudicii subacti, & gravis referta, edidit. s Vidit Nicolaum Gudlingium, valde a suis laudatum, a quo *Moralis Philosophiae Eclecticae* historiam habet resp. litt. habet etiam a Ioan. Clerico *Logicam*, *Ontologiam*, *Ethicam*.

Nulla

q *Fontenellius Elogium Leibnizii ann. MDCCXVII. Excerp. Trivolt. an.* 1717. *Feb. art.* 1. r *Bruck. T. V. p.* 447.

s *Stollius Hist. lit. P. III. Sup. p.* 774. t *Reimm. Cat. Bibl. P. II. p.* 287.

Nulla vero fuit Europae paulo magis culta natio, quae ex eo tempore non uteretur eclectica vel licentia, vel libertate philosophandi. ex qua Logicam retractavere Antonius ille Arnaldus cum sociis portoregiis, edita *u* *Arte Cogitandi* Parisiis an. MDCLIV. a multis & pluris quam pro merito facta, & conversa parum latine. *x* Tunc etiam Nicolaus Malebranchius parisiensis, sacerdos Oratorii in Gallia, captus elegantia cartesiani Libri *De Homine*, apud se statuit impense meditatus philosophari. Cuius indefessi studii fructus fuit, *Illa Inquisitio Veritatis*, quae, nonnulla habet, quae e medio *fanatismo* tollere velles. *y* — CAP. XIV. *SINGULArum partium retractatores in philos.* PROP. I. *Arnaldus, & Malebranchius logici eclec.*

His omnibus habitus potior Ioan. Lockius britannus, editus ann. MDCXXXII. qui Oxonii collega Christi philosophiam, & medicam artem doctus, deinde familiaris Comitis Shaftsburii, ei comes itineris in Galliam, in adversa etiam fortuna socius; in Belgio domicilium posuit denique. Extat hodie commentarium illud *De Intellectu Humano*, per omnium circumferri solitum manus, in quo, quae sunt bona plura, uno illo corrumpuntur errore malo, animum esse corporeum. *z* — II. *Lockius.*

Ut autem alios multos correctores logicos praetereamus, neque Antonium Genuensem, neapolitanae academiae professorem, praeterire possumus, qui *Artem LogicoCriticam*, longe praestantiorem Elementis suis Metaphysicis, edidit: neque Andream Piquerium medicum regium, Vir Claris. & eruditissimum, qui hispanice (mallem hercle latine) nuper Logicam & brevem, & ad unguem criticum sectam, vulgavit: neque Riberiam salmantinum professorem, qui, Prodromo emisso, consequi, fecit, Logicam suam, cathedrario hispano dignissimam. — III. *Genuensis, Piquerius, Riberia.*

Neque metaphysicae eclectici noviores non sese itidem accinxere. Verulamius metaphysicam eam fecit doctrinam theoreticam, quae *abstracta*, *constantia*, *v c. mentem*, *ideam*, *formam rerum naturalium*, *atque finem* complecteretur. *a* Cartesius ad *Meditationes De Philosophia prima* & Deum, & animam revocavit. Wolfius, & Hollmannus aliter partiti, *Ontologiam* fecere, quae de principiis maxime communibus humanae cognitionis dissereret: *Theologiam* naturalem, quae Deo dicaretur disputatio: *Pneumatologiam*, quae de mente omni, a materia secreta; *Psychologiam*, quae de humano animo, disputaret. — IV. *Metaphysici eclectici.*

Multi, quod esse vitium seculorum eruditorum, monuit Fleuryus, *b* quodque ego addiderim, luxu, & licentia perditorum; restitutis litteris, extare Deum, qualem nobis & ratio, & religio vera demonstrant, negavere. in quibus Vaninus, Spinosa, aliique fuere, huius sectatores. Multi spiritus, a materiae communione liberos, vel occultis cuniculis, vel latere aperto invasere. de quorum audaci insania satis dici non potest. In his Balthasar Bekkerus, frisius an. MDCXXXIV. in opprobium Europae natus, philosophiae cartesianae studiosus, conatus est hallucinationem suam omnibus probare, edito *Mundo Fascinato*, quo insaniit non extare daemones, ipse malo daemone actus. *c* — V. *Impii spirituum eversores.*

Longe vero plures eo venere dementiae, ut animos hominum cor- po-

u *Leibni. Praef. ad Nizoli.* x *Valch. Hist. Log.* y *Excerpta Trivoltin.* 1716. *Oct. art.* 3. z *Ant. Genuens. T. II. p.* 166. edit. *Neap.* 1756. a *De Aug. Scient.* III *p.* 4. b *Dissert. Praelimin. Hist. Ecc.* c *Acta Erudit. Reimma. Hi. Atheis. alii.*

VI.
Nefarii patroni mortalitatis animi.
Michael Montanus dubiae famae ethicus eclecticus.

poreos, & mortales sibi fingerent. Mitto de schola averroina dicere. certe Cowardus, Dowellus, aliique dedita opera id efficere conati sunt, ut Stratonis sententiam de animo mortali, corporeoque revocarent. Neque minores ruinas dedere alii, cum ad Ethicam reformandam accederent eclectici. Nihil heic de Thoma Hobbesio, qui, non natura, sed instituto, & viribus constare, docuit, iustitiam inter mortales, commemoro. Michaël quidem Montanus, natione gallus, an. MDXXX. in lucem editus, egregie artibus doctrinae expolitus, edidit *Tentamina Moralia*, semina atheismi. d

VII.
Hugo Grotius philosoph. moralis, & civilis.

In hac philosophiae parte deus aliquis habetur ab haereticis Hugo Grotius, natus Delphis batavorum anno MDLXXXIII. in eruditione antiqua versatus, in negotiis deinde politicis non modo occupatus, sed exercitus etiam. Auctore consilii Peirescio, dicitur scripsisse *De Iure Belli, & Pacis.* Quod commentarium cum ego evolverem, mihi Cervariae commodatum a Clar. Viro Franc. Borrasio, iurisprudentiae doctore academico, viro eloquentissimo; quem honoris, officiique causa nomino; saepe multa ex ipsis mutuata scholae doctoribus, neque facta illustriora a Grotio, cum eodem illo Borrasio mirabar.

VIII.
Samuel Pufendorfius plus aequo laudatus.

Alterum huic Herculi iungunt socium protestantes, Samuelem Pufendorfium, germanum anno MDCXXXI. prope Chemnitium in vico ignobili natum. qui cum multa alia, tum vero *De Officio Hominis, & Civis* scripsit. Caeteros cogor angustiis Institutionum praeterire eclecticos in re vel ethica, vel politica: Antonium Codornivium, qui *Philosophiam Moralem* hispanice dedit non multis ante annis, virum eloquentiae laude conspicuum, mihique socium charissimum, de quo posteritas nunquam satis ample sibi praedicasse videbitur, nolui indictum.

IX.
Copernicus, Ticho Braheus iuvant physicos.
Keplerus, Gallilaeus, & Newtonus.

Cum natura est actum utique praeclare ab eclecticis novioribus. Nicolaus Copernicus, borusius Thorunii natus sec. XV. in academia cracoviensi, & in Italia eruditus, canonicus deinde creatus Warmiensis, systema restituit Philolai de Sole quiescente, terraque rotata. e Tycho ille Braheus, in Suecia natus sec. XVI. in gymnasiis Germaniae litteras omnes edoctus, charus Guillelmo Hassiae Landgravio, ab eo Friderico II. Daniae regi commendatus, arcem, quam vocaverat Uranoburgum, in Huena insula, impensis regiis observandi gratia de coelo aedificavit. f Eodem sec. vixit Ioan. Keplerus cum aliis artibus, tum astronomia clarissimus. Matthiae Imperatori charus multa scripsit eximia. g Ille Gallilaeus *Galilaeus*, pisanus, editus an. MDLIV. Magni Ducis Etruriae mathematicus egregius, inventor Thermometri, e physicen illustravit. Postremo Isaacus Newtonus Cantabrigiae natus an. MDCXLII. unus egregie praeter caeteros mathematicos naturam locupletavit non dogmatis, sed experimentis. qui visus est novus Archytas,

Aërias tentasse domos, animoque rotundum
Percurisse polum.

Alii merita dicent chemicorum, Kenelmi, Digbaei, & Boylii; medicorum Harvaei, Hofmani, Martinii, aliorumque.

BAR-

d *Menagiana.T.I.alii.* e *Iovius Elog.* | *cap. ulti. alii.* f *Idem Bese luy. alii.*

BARTHOLOMAEI POVII E SOCIETATE IESU INSTITUTIONUM HISTORIAE PHILOSOPHICAE

LIB. XI.

DE PLACITIS ALIENAE PHILOSOPHIAE.

CAP. I. *THEOLOGIAE Historia.*

PROP. I. *Nulla natio ignara Dei.*

A Deo ipſo, a quo exordia rerum omnium ſunt repetenda, de placitis dicere incipiamus. Deum eſſe, omnibus placuit nationibus. *a* natura enim iudicamus eſſe, qualis ſit ratione cognoſcimus. Iam quae eſſet Dei natura, initio ſatis recte iudicavere mortales, quod nos ante dicebamus. *b* deinde & perverſitate vulgi, & impia philoſophandi ratione, cum de coſmogonia ſine teſtimonii divini & luce, & auctoritate multi differerent, factum eſt, ut vim, naturamque divinam male animo informarent.

II. Ὀρθοδόξοι *de Deo hebraei antiqui.*

Hebraei antiquiſsimi ſine dubitatione veram Dei notionem comprehenſam animo habuere, qui Deum mentem puriſsimam, a materiae copulatione ſolutam, vique praeditam omnipotenti, qua de nihilo cuncta certo tempore creaſſet, probavere: falſus enim animi fuit Diodorus Siculus, Moſen docuiſſe, *Coelum hoc, quod ambit omnia, Deum ipſum eſſe.* *c* falſus Strabo, qui in eandem ſententiam ſcripſit.

III. *Orientis ſententia de vi*

Chaldaei, genus antiquiſsimum doctorum hominum, Deum eſſe, docuere, & dominum, & parentem providum rerum omnium. *d* At, credo, brevi apud eos valuit recta ratio. Philo enim *e* ſcribit chaldaeos ſuſpicatos, mundum, quem videmus, aut ipſum eſſe deum ſo-

a *Cic.T.Q.l.I.* b *L.III.c.1.* c *Vid.l.II.c.2.* d *Euſ.Praep.Ev.IV.5.* e *De Migratione Abrahami.*

naturaque divina.

lum, aut eam, quae insit, τὴν τῶν ὅλων ψυχὴν, communem, & universalem rerum omnium animam. Persae, ut solent omnia semel soluta in peius ruere, duo principia posuere. *bonum* f *daemonem*, & *malum daemonem*; *duos deos*, *quasi contrariis deditos artibus*. g *utrumque principium fuisse aeternum*. *h* Indi vero sensere, *i* Deum conditorem, gubernatorem, dominum rerum omnium, lumen, & λόγον, mundum pervadere, corpore esse indutum.

IV. *Impietas aegyptia de Deo*

Aegyptii, si Eusebio, Porphyrioque credimus, *k* Deum corporis expertem non probavere. mundum, mundique partes, spiritu, qui per universum orbem commearet, animatas, deum, deosque nativos habuere. Vicini vero phoenices, modo ne totus sit fabulosus ille Sanchuniathon, *l* non athei, quod vult Eusebius, *m* sed satis affines insaniae aegyptiae, posuere spiritum aeternum quendam, qui, captus amore aeternae itidem materiae, se cum illa arcte coniunxit. *n* Aethiopes dicuntur, alterum deum mortalem, alterum immortalem fecisse,

V. *Mythologi dant mundo animam Deum.*

Ut autem de hyperboreis, celtis, hispanis, romanisque veteribus, sive potius etruscis, philosophis, quos omnes non negasse, Deum esse, constat; male de Deo sensisse, negari non potest; *o* nihil hoc loco dicamus: de mythologis, de Orpheo maxime, constat, eos voluisse, cum Deum esse omnia, tum partes mundi esse pro diis habendas. *p*

VI. *Etiam Theogoniae scriptores.* *Ionici in eodem haerent luto.*

Iam theogoniae conditores, si Hesiodi vestigia sequimur, nulli dubitamus, quin, cum chaotica quadam materia Deum, sibi finxerint, ab aeterno tempore copulatum. *q* Schola vero ionica, si Anaxagoram excipias, qui primus affirmavit, Deum, mentem scilicet puram, simplicem, & concretionis expertem, rebus omnibus praesidere; existimavit, Deum, mundi animam, cum aëre, sive liquida quadam materia, quae atomis contineretur infinitis, esse ab aeternitate tota copulatum. *r*

VII. *Sententia Socratis.* *Sententia Platonicorum aliena.*

Longe melius, ille philosophiae parens, Socrates, Deum esse, dixit, τὸ ὄν, αὐτὸ τὸ καλὸν, αὐτὸ τὸ ζῶν εἶδος, conditorem rerum providum, iustum, cognitione humana maiorem, ab omni denique parte beatissimum. *f* Socratici quoque de Deo bene senserunt, quem una cum magistro liberum ab omni concretione hylica videntur probavisse, si Cebetem nonnihil pythagoristam ab hoc numero eximas. *t* Neque vero heic non fuit socraticus Plato ex ea dumtaxat parte, quatenus Deum principem, rerum mundique architectum, a materiae vinculo solvit. *u* Neque non fuere platonici academici veteres, in hac sententia dicenda, qui, si maxime mundum deum, corpora coelestia deos habeant; tamen non de Deo principe, sed de minore deo, platonica mundi anima, sunt interpretandi. *t* Neque non denique platonici erant, & Arcesilas cum mediis, & Carneades cum novis academicis: qui, cum mala, & impia consuetudine contra deos disputarent; non ut deos tollerent, sed

ut

f *Laer.l.I.seg.8.* g *Plut. de Iside.* h *Hydeus conf. De Rel.Vet.Pers.p.*169. i *Orig.Philos.*XXIV.*alii.* k *Vid.*III. *c.5. c. L. cit. c.6.* m *L. c.10.* n *Vid.Grotius De V. Rel. christ. Huet. alii.* o *Vid.l.*III. p *Euseb.Chro.* & *Prae.Ev.III.9,Cle.Alex. Stra.* q *Bruc. vid.T.I.p.*407. *Baelius.alii.* r *Lib.3. Har. Instit.* f *Xenop. Mem. Epist. ad Aeschi.Plat.* t *Con. l.III. Inst.* u *In Timaeo maxime.* t *Stobaeus Ecl. Phy. I. Cic. D.N.D. I. alii.*

ut alios convincerent, nihil eos explicare de Deo, disputabant. *u*

VIII. *Aristotelis error de Deo.*

Aristoteles vero & alius, & longe metaphysicus Platone deterior, Deum fecit intelligentiam principem, primum primaeque sphaerae motorem: qui neque conditor, neque sui iuris esset. qui alligatus insisteret medio circulo orbis supremi. in quo non atheus, sed impius, & atheis proximus iure est a multis habitus. *x* Iam vero Zeno, qui, dum academiae dogmata corrigit, deteriora facit, cum principem illum Platonis Deum sustulisset, retinuit illum modo minorem: quem mundo animam ita dedit, ut eum faceret aethera, ignemve pernicem, & corporeum, in ramenta divisum. *y* Cui suffultor ille porticus Chrysippus assensus, *vim divinam in ratione positam, & universae naturae ANIMO, atque mente; ipsumque mundum deum esse*, dixit. *z*

Stoicorum insania.

IX. *Pythagoreorum.*

Quam Dei naturam didicisse Zeno a Pythagora merito videatur, qui censuit, *Deum esse animum, per naturam rerum omnium intentum, & commeantem*: *a* esse naturam deum: esse *animationem circuli universi*, sive orbis: esse denique ignem divinum. *b* Assensere *c* viro reliqui pythagorei. αὐτὸς ἔφα. Heraclitus ignem etiam, in ramenta minuta solutum, & deum, & mundi animam, dixit. qui Ciceroni visus est, Deum ita sustulisse omnino, ut *nullam omnino eius opinionem reliquam faciat*. A quo Hippocrates in hac parte non dissensisse, merito multis videri solet.

Heracliticorum.

X. *Eleaticorum.*

Eleatica schola in hac re est omnium obscurissima. Xenophanes, *deum esse aeternum, & unum, & similem undique, & finitum, & omnibus partibus sensui manifestum*, *e* docuit. id est, naturam rerum deum fecit, qui sustantia inesset rebus omnibus. Parmenides Xenophani de vi, naturaque dei consensit; qui universum ita fecit unum, ut deum etiam fecerit. *f* Melissus Parmenidis errorem de deo retinuit. neque Zeno Eleates de Deo, deque *Uno*, deque *Universo* aliter iudicavit.

XI. *Atheius cyrenaici.*

Qui vero athei haberi solent ex antiquis, quasi funditus omnem vim divinam sustulissent, cyrenaici sunt. in his Theodorus, Bion Boristhenites, Evemerusque: qui tamen Clementi Alexandrino ideo videntur iudicati athei, quod non Deum, sed deos eiusmodi negaverint, quales superstitiosi graeci colebant. *g* Stilpo item, megaricae scholae alumnus, impius adversus deos, cum deam Minervam non Iovis, sed Phidiae esse, concessisset, existimatus est. *h* E Lyceo atheus extrahitur ille Strato Lampsacenus, *qui omnem vim divinam in natura sitam esse*, censuit, *quae causas gignendi, minuendive habeat, sed careat omni sensu*, *i* & *figura*. quasi animam brutam, vimque hylicam, sine ratione per se potentem, Deo sustituisset.

Stilpo & Strabo athei.

XII. *Athei eleatici.*

Eleatica secta, nescio quo fato dicam, manifestos habuit atheos, Protagoram sophistam, & Diagoram Melium. Leucippum vero,

&

u *Tul. De N. D. & I. & II. & III.*
x *Walchius De Atheismo Aristotelis. qui loca congesit.* y *Menag. ad Laert.* VII. *Lipsius. Seneca. alii.* z *Cic. D. N. D. I.* a *L. c.* b *Clem. Alex. Parae. Ad Gen. Theop. Ad Aut.* III. *Orig. Philos.* II.
c *Consulend. quos lib.* III. *citabamus.*
d *Cons. Plut. De Plac. I. Laert.* IX. *Cic. D. N. D. I.* e *Orig. Philos. cap.* XIV.
f *L. c.* XI. *Cic. D. N. D. I. alii passim.*
g *Protrep. Emp. Adver. Mathe. lib.* IX. *s.* 55. h *Menag. ad Laer.* II. *s.* 117.
i *Cic. D. N. D. I.*

& Democritum eius impietatis valde suspectos, qui deum non spiritum fecerint, sed naturam quamdam ex atomis subtilissimis conflatam. Quo crimine laborat etiam Epicurus cum tota familia hortensi. Neque ea culpa soluti videri debent pyrrhonii, qui cum nulli rei assentirentur, deum esse, credo, non assentiebantur. Iam iudicio nostro absolvendos pronuntiamus, eo nomine ad consilium criticum delatos, Ciceronem, Senecam, Galenum, Plutarchum, Aphrodisiensem, Plinium, Lucianum etiam. qui si non pie, recte, constanterque de vi divina iudicarunt, non propterea spiritum, qui Deus esset, extinxerunt. Qui reliqui post litteras redditas in atheis numerantur, eos, impios illos quidem, sed naturae tamen quoquomodo divinae probatores fuisse, accepimus.

Alii suspectae religionis.

CAP. II. *COSMOGONIA.*

PROP. I. *Cosmogoniae ratio muliplex excogitata.*

Quoniam vero sine cognitione cosmogoniae philosophicae, vix ac ne vix quidem intelligi licet, quas virtutes, quae ornamenta, quaeve attributa, & coniuncta in Deo probaverit philosophia; hanc rem praevertamur. Est autem in hac re tota duplex dicendae sententiae ratio, altera, quae mundo det artificem Deum: altera, quae impie non utatur opera, ut Strato uti se negabat, Dei ad mundum fabricandum. Iam qui conditorem agnoscunt Deum, eorum systema, corpusve doctrinae geminum vulgo fit: & singulare, quod vocant *monadisticum*, ex uno principio, causave Deo omnia effecta repetens; & compositum, quod nominant *dualisticum*, ex gemino fonte universum omne derivans.

II. *Catholica cosmogonia.*

Atque illi, qui, olim iudaei, qui nunc catholici, recte iudicant, ita tenent, Deum unum certo tempore omnia de nihilo procreasse, non coactum necessitate naturae: non permixtum cum aeterna materia, quae sit & ipsa de nihilo effecta. duo esse suprema rerum effectarum genera, alterum expers materiae, alterum concretum atque corporeum. *a*

III. *Ordo cosmogoniae.*

In cosmogonia vero illa mosaica, cuius ut quisque sit maxime nativus, est probandus maxime sensus, ordoque opificii; minimeque omnium audiendi; qui vel naturas spiritales ante ponunt conditas, quam conderentur corporeae; vel qui Thomas Burnetius, allegoricus interpres, & infidus Mosi, ante corpora coelestia, quam terrestria, condit, telluremque, corticem aquae induratum, facit; vel qui Wistonius & corda oberrat eadem, & singulos Mosis dies, singulos annos prorogat: in cosmogonia, inquam, sacra haec insunt omnia, coelum, terra, chaos, aër, ignis, corpora; vires denique genitrices. *b*

IV. *Systema Orientis emanativum.*

Qui vero antiquissimi Orientis a Zoroastre philosophi, quos restitutis litteris sunt nonnulli secuti, effectionem rei e nihilo ne Deo quidem dedere; alii ita unum principium, qui Deus esset, probavere, ut naturae omnes & spiritales, & corporeae effusione, & emanatione, & propagatione aurae, lucisve divinae explicarentur. Zoroastream diffusionem chaldaei, persae, alexandrini, cabbaliani, indi fortasse probavere. quorum haec sunt communia placita, ut velint, *I.* Deum, oceanum luminis supramundii esse, *II.* ex quo non aliter res omnes ortae fuerint, quam radii a Sole proficiscantur: *III.* & spiritus, & corpora. *c*

Iam vero chaldaei hoc amplius censent, I. principem deum, illum

a *Gen. I. Wolf. Bib. Heb. P. I. Basnag. Hist. Iud. IV. 6.* b *Vid. Pererius. in Gen. Petavius De Opifi. alii.* c *Oracula chaldaica. Plutarc. De Iside. alii.*

fum luminis fontem, *Mithram* scilicet, emisisse duo pricipia. II. alterum rerum incorporearum, alterum corporum. III. Oromazdes enim divinitati originariae proximus, opifex boni, spiritus minores ex sese emisit. IV. Arimanius vero, a fonte illo divino lumen remotissimum, mali architectus, commixtione tenebrarum ex sese peperit mundum corporeum. Quae duo sunt illa Manetis principia, boni, malique.

V. *Emanatio chaldaica rerum.*

Reliqui emanationis defensores rem prope eandem verbis non iisdem efferunt. I. Ex nihilo nihil fieri divinitus umquam. II. quaecumque facta sint, ea omnia ex divinitate, lucis aequore, plenitudine substantiae primae, ex illo Deo primo, profecta fuisse. III. Ab hoc principe Deo deus minor ortus dicitur, iudaeis *Adam Kadmon*, alexandrinis *Emeth*. IV. minor ille deus, aiunt, nihil habet tenebrarum, qui virtus est ab infinitate illa proxima, V. est & tertium aliud principium, unde orrae sunt naturae quaedam minores. VI. quae vel *aeones*, vel *δυνάμεις*, vel *sephirae*, vel vires genitales sunt. VII. Hoc tertium principium, a fonte divinitatis longius progressum, est ille *δημιουργὸς*, opifex corporum, quae regit, & moderatur opera & auxilio *aeonum*, sive facultatum, quae ipsae sint naturae, & minorum gentium spiritus. d

VI. *Emanatio alexandrina & cabbaliana.*

Quae carcinomata Orientis philosophiae refricuere & gnostici, & Simon Magus, & Philo iudaeus, & Valentiniani, & Tatianus, & Origines, & Ioan. Scotus Erigena: & restitutis litteris, Cornelius Agrippa, Fluddus, Boehmus, Helmontius, Iordanus Brunnus, aliique vel Cabbalae, vel alexandrinae confoederationis amici. e

VII. *Ea crambe recocta.*

Iam vero ad systema compositum veniamus eorum, qui duo principia aeterna, neutrum ab altero ortum, sibi finxere. in qua impietate Aegyptus, Phoenicia, Graecia denique fuit. Aegyptia philosophia, alexandrina vetustior, aeternam materiam, quam Isidem deam vocabat: aeternum spiritum, per universum orbem permeantem, qui illis erat deus Osiris, constituebat. ex qua copulatione, motuque spiritus digesta omnia fuisse, volebat. f Non longe aliter insaniebat Phoenicia, quae rerum principia & spiritum, & chaos turbidum fecit. quae duo essent initii expertia. addebat, spiritum veluti iniisse cum chaotica materia matrimonium, penitissima copulatione facta: ex qua τὸ Μῶτ, feminarium prodiit omnium rerum: eo seminario deinde excrevit orbis. g

VIII. *Cosmogonia aegyptiaca.*

Phoenicia genesis.

Ab his, unde graeci deduxere colonias, vix fabularis & cosmogonia, & theogonia abludit. quae in eo vertitur cardine, aeternum chaos coniunctum, & veluti spiritu divino foecundatum, & deos, & corpora exclusisse; additis in eam rem arcanis nominibus Promethei, Iovis, Rheae, Telluris, Saturni, Oceani. quae tum demum ex ordine certo constitues, cum aegrorum somnia uni formae reddideris.

IX. *Fabularis cosmopoeia.*

Qui vero ionici aggressi sunt orbem philosophice moliri, illi duo principia in unum copulabant, ex quibus mundum, magnum aliquod animal, existeret. Thales elemento aquae; reliqui, uno dempto Anaxagora, elemento aëri, in infinita ramenta secto, indidere mentem, spiri-

X. *Ionica mundi fabrica.*

d *Vid. Plotinus. Iamblicus. Cudwortus. alii.* e *Vide quos suis quosque locis indicavimus scriptores.* f *Vid. lib. III. Diodorus, Plutarch. Eusebius. alii passim.* g *Vid. lib. III. Eusebius. Huetius. Grotius, alii.*

ritumque artificem : qui non aliter membra mundi fabricaretur, atque animus humanus corpus explicat vi sua. Anaxagoras vero sanus visus est inter deliros, qui spiritum separatum, artificem dixit.

XI. *Cosmogonia pythagorica.*

Neque vero illa nobilissima, italica schola Pythagorae Samii aliter de rerum genesi iudicabat. Pythagoras enim bina illa principia, & materiam aeternam, & mentem, deumve materiae coniunctum, probavit. g At de origine τῶν ὄντων, rerum intelligibilium, quae essent illae ipsae Platonis ideae, Pythagoras ad emanationem confugiebat. h Empedocles ne latum quidem digitum a Pythagora recessit : posuit enim bina principia : alterum monada, deum scilicet, aethereumve ignem; ex quo daemones, spiritales, credo, naturae effluerent : alterum materiam aeternam, non ortam a Deo. i Mitto Archytam, Timaeum, Philolaum Hippasum, qui omnes eandem rerum genesim agnoscunt.

XII. *Platonicum mundi opificium.*

Iam Plato & Deum aeternum, unde mundus ille suus platonicus emanaret, in quo essent ideae, naturae per se subsistentes, numeri pythagorei, genus quoddam spiritale rerum; & materiam praeterea, ut nonnulli volunt, de nihilo factam, ut vero propius est, aeternam, statuebat principia rerum omnium. k qui, vero secutus Anaxagoram, non copulavit principem Deum cum bruta materia; sed minorem deum a maiore veluti profluentem, cum mundum condere vellet, intime cum bruta materia, mali origine copulavit.

XIII. *Principia mundi stoica.*

Longe deteriorem vero philosophi stoici mundi fabricam moliti sunt, qui omne principium sustulere corporis expers. quae duo principia materiam chaoticam, deumque Zeno statuebat, alterum patiens, alterum actuosum; utrumque corporeum efficiebat. aethera enim liquidissimum, in fragmenta minima solutum, & deum, & mundi animam esse dicebat. in quo pythagoream mundi animam expressit. l

XIV. *Systema aristotelicum.*

Atque hi omnes systematis vel simplicis, vel duplicis architecti, Deum in partem operis vocabant. peripatetici, democritici, aliique non vocabant. Aristoteles aeternum mundum, nullum ante chaos, probavit. Deum sive τὸν νοῦν, substantiam simplicem, primum motorem esse; aeternam materiam, neque creatam, neque generatam, esse rerum omnium principium, in quod agat natura. naturam esse principium intimum motionis, & quietis. aethera fortasse, quintam illam naturam, ex qua essent mentes, dederit Aristoteles mundo animam, quae motum & actionem rebus omnibus afferret. certe Strato Lampsacenus mihi eo videtur alludere, cum omnia vocat effecta *Naturae*. cum omnem vim divinam, causam & gignendi, & minuendi, omni sensu, & figura a carentem, in natura sitam esse censet. a Quamquam praestat fateri, quid Aristoteles voluerit, dum naturam dixit, satis non liquere.

XV. *Concursus temerarius democritorum.*

Deum non vocant opificem, Leucippus, Democritus, Epicurus. qui inane infinitum, infinitam atomorum copiam, variam atomis susceptam figuram, motum denique cum ponerent; mundum concursu temerario conditum, insaniebant. Eo discrimine usi sunt tamen, ut Leucippus, & ca-

g *Chalcidius in Timae. Plat. Plutarc. alii.* h *Iambli. V. Pythap.* i *Empir. ad Mat. lib. IX. alii passim.* k *In Timaeo* l *Chalcidius ibidem. Huet. E. D. E. P. IV. c. alii.* a *Vidend. lib. III.*

Democritus motum atomorum a vi quadam vitali ipsarum repeterent; Epicurus mortuas vellet particulas. illi ad lineam moverent corpuscula; hic minimum ea declinare doceret. *b* Heraclitus, qui igneas particulas assiduo pernices, principia rerum omnium, quae more torrentis assiduo fluerent, poneret, non valde ab his diversus abierat.

Qui sustantiam, sola affectionum mutatione variam, mundum ponerent, & zoroastrei omnes fuere, qui, emanatione probata, non poterant non omnia in pleromate & infinitate divini luminis habere: & eleatici methaphisici, Xenophanes, Parmenides, Melissus, Zeno: qui illud Unum aeternum, infinitum, inmobile, deum, videntur, aut nulla re nova, aut sola positione potuisse variare: & Benedictus Spinosa, qui unam sustantiam, duabus affectionibus distinctam, universum, & deum fecit: cui David Dinantius, Scotus Erigena, aliique ante ex parte praeluserant. Qui omnes nonnihil discrepasse videntur ipsi inter se.

XVI. *Cosmogonia solius variationis eiusdem substantiae.*

CAP. III. *PNEUMAtologia.*

PROP. I. *Orientis daemonologia.*

Iam vero condita rerum summa, de singulis effectorum generibus dicamus. de spiritibus, de anima, de corporibus. Vix ullus fuit philosophus paulo gravior, qui a Deo conditas naturas quasdam, corporis expertes, & a sensibus remotas, non doceret. Nihil de hebraeis, quibus in ea parte auctoritas & testificatio Dei pateret, dicendum arbitror. Orientis certe sapientes, magi, alexandrini, cabbalae discipuli, spiritus, aeonas, virtutes non e nihilo, sed emanatione ab infinitate dei exortas, statuebant. quibus non esset una prorsus natura, non una provincia. alios aliis eo praestantiores, purioresque ponebant, quo magis essent a materia remoti. neque enim omnes sine corpusculo (ὀχήματος) quodam crassiore, vel subtiliore esse volebant. *d*

II. *Aegypti doctrina de spiritibus.*

τὰ ὄντως ὄντα *Pythagorae.*

Hos praesides naturarum corporearum esse docebant, qui rebus ipsis corporeis latentes inessent. Quo factum est, ut corpora coelestia, his geniis veluti consecrata, nonnulla etiam terrestria, pro diis Aegyptus, maxime vero Graecia, haberet. Hinc illud Thaletis, deorum omnia esse plena. illud Virgilii, Iovis omnia plena. Quin etam Pythagoras, numeros suos, dicebat, naturas quasdam spiritales, quae semper eodem modo se haberent, quae propagatione quadam e divinitatis fonte orirentur, quae mundum non hunc spectabilem, sed illum intelligibilem modo constituerent. Atque hae naturae spiritales Platoni probatae sunt, & ideae dictae, quae in Deo quidem essent, sed omnino a cogitationibus Dei aliae, profusione quadam ab infinitate Dei exortae. Aristoteles has Platonis naturas separatas labefactare conatus, spiritum per se subsistentem, neque copulatione necessaria cum materia coniunctum, videtur probavisse nullum. quas enim loquitur intelligentias, eas preficit tamquam entelecheias corporibus, maxime sphaeris. fortasse etiam ideas separatas Platonis cum rebus singularibus ita coniunxit, ut unam, & eamdem naturam, & ὀσίαν in omnibus constitueret. *e*

Ideae platonicae.

Intelligentiae motrices, & αἱ ὀσίαι *Aristotelis.*

Praeter hoc genus spirituum, fuere, qui acutius triada quadam cernerent in doctrina philosophorum. certe in Chaldaicis oraculis trinitatis

b *Vid. Gasendus in lib.* X. *Laertii.* d *Euseb. Praep. Ev.* IV. 5. *Oracula Chald.* e *Videndi Script. lib.* III. *citati.*

tis mentio. *a* at quae nihil haberet simile augustissimae Triadi, quaeque non divinitatem individuam, sed ex aequo bonoque divisam illa propagatione tribueret Mithrae, Oromazdi, & Arimanio. Aegyptus item conscia inducitur tanti mysterii. *b* quod mihi non fit verosimile in ea gente, quae divisam divinitatem in alliis, caepis, felibus, rebusque omnibus haberet. Quid moror? viderint Theologi, duce, & auspice Petavio, qualis sit trias existimanda Orphei, qualis illa Platonis, qualis Pythagorae, qualis Plotinii, qualis denique cabbaliana. Ego hoc unum monebo, ne quis cupide nubem pro Iunone.

III. *Trias philosophica alia a sacrosancta Trinitate.*

CAP. IV. *PSYCHOlogia.*

PROP. I. *Anima universalis in Oriente.*

Sed iam ad genus aliud naturarum incorporearum, aut certe animarum veniamus. Antiquitatem profanam rebus tantum non omnibus animam indidisse, novimus. Iam de anima universali naturae, quam mundanam vocant, non eadem dicta sententia a sapientibus antiquis. Indi, chaldaeique satis obscure Deum mundi animam faciebant. at quem deum facerent, cum essent πολύθεοι, non explicavere satis. quamquam illud valde illorum insaniae affine de effluxu divinitatis, eos tertium illud principium Arimanium, communem mundo animam dedisse: aeonas, sive etiam *iynges*, suas quibusque corporibus inesse animas docuisse. Aegyptii pro mundi anima Osirin suum, credo, colebant. in quo errore philosophia graecorum fabularis cum Oriente chorum ducebat.

II. *Anima mundi ionica, pythagorica, stoica.*

Ionica schola, pythagorica, zenonia, heraclitea, cum deum sibi fingeret vel dividuum, vel cum materia copulatum: hanc ipsam divisum, credo, & igneam substantiam vellet esse, quae naturam animaret. quamquam illud intererat, opinor, quod Pythagoras emanationem τῶν ὄντως ὄντων, naturarum immutabilium praeterea probabat. illi vero sola ramenta aurae, ignisve aetherii dispersa agnoscerent.

III. *Anima mundi platonica.*

De philosophis in ipsa Graecia ita accepimus, Socratem nihil de Deo, de quo egregrie praeter caeteros sentiret, mundi anima statuisse. levis est enim in hac parte Platonis auctoritas, qui sibi plaudentem Socratem inducit. *c* At ipse Plato deum minorem, e mente divina per emanationem profectum, e quo deinde emanarent singulae animae, iussit in materiam brutam, & immorigeram, & refractariam ingredi, eique pro anima esse. *d* neque enim iis assentimur, qui, materiae aliam inesse animam, perturbationis originem, volunt, docuisse Platonem.

IV. *Anima mundi peripatetica.*

Heic atramento se suo, quod fecit saepe Aristoteles, tamquam sepia obduxit, ne quid de mundi anima peripatetica pateret. Ego, si quid sit augurandum, divinaro, Aristotelem mundo dedisse animam communem, intellectum illum agentem, unum & eumdem singulis hominibus, qui esset οὐσία quaedam inhaerens generi humano. Neque hoc solum: addidisse praeterea, quintam illam naturam aetheream, ex qua & sentiens, & vegetans anima vel in homine, vel in aliis corporibus vivis decerperetur. Certe ipse *e* deum fecit animal quoddam optimum, & rationale. certe Strato vim hylicam, brutamve animam ipsi materiae dedit. certe Cratippus visus est eam mentem probare communem, quam Averroes deinde revocavit. *f*

Ex

a *Stanl.* p. 178. b *Moshemius ad Cudw.* f. c. 4. c *Vid. lib.* IV. d *In Timaeo.* & *Cratylo.* e *L.* XII. *Met.* 7. f *Viden.* *Iambli. De Sec. Pyth.* 1. *alii.*

V. Fatum astrologicum ab anima mundana.

Ex hac vero famosa opinatione, quam & restituti platonici, maxime vero Campanella; & chemici, & theosophici plures, veluti graveolentem camarinam, rursus commoverunt; & fatum olim, & divinatio, & insania hylozoicorum enata videri posit. Et fatum quidem astrologicum, in numeris babyloniis, horoscopo, situque stellarum latens, eo colore philosophico decorabatur; quod anima coelestis terrenae respondens vim suam certa lege propagaret in corpora subiecta. *g*

VI. Fatum stoicū ab aetherea anima.

Fatum vero pythagoreum, stoicum, ionicum etiam, ea erat necessitas, quam copulatio animae mundanae, cursusque aetheris irrequieti per naturam omnem pareret. non secus ac flumini fatum est, in praeceps decurrere, cuius vim nullae moles diu refringere possint.

VII. Aristotelica naturae necessitas, platonica libertas.

Aristoteles certe, si quis alius, cum deum necessitate agere naturae doceret, adamantinam rerum concatennationem nectebat, quam nullae victimae emollirent. *h* Unus ille Plato, si non veram, at vero propiorem providentiam, non fatum, statuit, qui Deum principem induxit, veluti ex praenotione quadam omnia moderantem, mundoque eam vim, motum, animam, deumve minorem immittentem, qui iniuriam non faceret, neque arbitrium laederet. *i*

VIII. Ab anima mundana divinatio, magia, vis plastica.

De divinatione, quod dicere coeperam; res ita a philosophis expediebatur, ut vellent, animae mundanae, arcanorum consciae, diductas usquequaque partes, contagione sua, editisque signis, futura portendere. Hinc etiam magia, hinc visiones theurgicorum enatae philosophorum. Ad extremum qui materiae cognitionem cum Lockio, qui vires hylicas, genitrices, plasticas, sui inscias, & portentorum artifices cum Stratone, & Cudworto probabant; in anima mundana, quam suam sibi quisque optaret, spem & praesidium habebant.

CAP. V. PSYCHOLOGIA.

Sed relicta anima mundi, nulla illa quidem, nisi aethera, materiamve irrequietam feceris animam; ad humanos animos orationem convertamus. Nemo de coelo, malave luna, non tactus, vixit umquam tam vitae nescius ipse suae, ut animum ipse sibi eriperet. Ac ne Dicearchus quidem, neque Aristoxenus. quorum alter *vim omnem eam, qua vel agamus quid, vel sentiamus, in omnibus corporibus vivis aequaliter fusam, a corpore* non separabilem, quippe quae esset temperatio quaedam naturae vigentis, & sentientis; animum esse dixit; futurum, eo iudice, inane nomen, si quid aliud fieret: *a* alter vero *intentionem ipsius corporis quamdam, Harmoniam*, illam ipsam Dicearchi temperationem, animum appellavit. Ab his, qui hodie dici solent hylici philosophi, non longe abeunt.

PROP. I. Nemo qualēqualem sustulit animum.

II. Vera animi notio.

Qui vero & ratione, & Deo iudicat auctore, animum e nihilo procreatum, incorporeum, immortalem, intelligentem, individuum, e corpore solubilem, iudicat. Quam ego opinionem verissimam, ut, populo omnium nationum tribuendam existimo, *b* sic paucis insanientis illius sapientiae consultis tribuo. Socrates fortasse, qui teratologiam cane peius & angue fugiebat, ita iudicaverit. quod ne ipsum quidem liquet. *c*

Reliqui vero & barbarici, & graeci philosophi portenta narrant de

ani-

g *Vossius De Theol.Gentil.*II.47. h *Vid.l.*IV. i *Plat.l.X. De Rep.In Timaeo Phaed. Chalc.Gassend.* a *Tull.T.Q.q.I.* b *L.*III.1. c *Plat.Phaed.Ci.in Laelio.*

III.
Barbari cum graecis philosophis de anima errant.

animo. quem indi, chaldaei, aegyptii, alexandrini, cabbaliani, pythagoraei, aurae divinae, divinitatis ipſius, decerptam particulam emanatione quadam faciunt. Ionici vero, qui deorum omnia plena dixere, animos vel ignis, vel aëris, vel aetheris ψηγμάτια conſtituebant. Heraclitici cum ſtoicis igneas non obliti particulas ſuas, ex igne animos conflavere.

IV.
Platonicus animus.

Plato cum ſuis academicis, animum, vult, eſſe deciſſum ab ipſa mundi anima, cui propterea ex parte quadam ſordes materiae admiſcet. vult eſſe αὐτοκίνητον. vult eſſe numerum, τὴν μονάδα, ſimplicem naturam, ſe ipſum moventem. quas voces veluti iocoſa imago reddidere Campanella, Leibnizius, Wolfius, alii.

V.
Anima peripatetica.

Ariſtoteles vero, ut nonnullis videri ſolet, cum nihil dicere haberet perſpicui de animo, vocem commentus, quod ſibi eſſet familiare, ἐντελέχειαν eſſe definivit. quam vocem, a malo daemone non intellectam, alii alioverſus non reluctantem vocant. qui ſibi ſapere videntur, ex ea exculpunt vim, & veluti ultimam manum adhibitam corpori. certe in ea eam rationem ſufficientem, quare corpus vivat habemus, quod voluit Ariſtoteles.

VI.
Anima epicurea.

Reliqui ſunt de grege porcorum philoſophi epicurei, qui nobis, ſi rationi, intimaeque conſcientiae, ne dicam Deo, placet, animum conflant ex corpuſculis aëris, vaporis, caloris, & mobiliſsimae neſcio cuius naturae. d

Sic calor, atque aër, & venti caeca poteſtas,
Mixta creant unam naturam, & Mobilis illa
Vis, initum motus ab ſe, quae dividit ollis.

VII.
Τὸ ὄχημα τῆς ψυχῆς.

Neque hi ſoli concretum animum fecere. Orientis enim philoſophi, cum animo darent vehiculum, ſive tenuiſsimam quamdam materiam, quae ὄχημα diceretur, viſi ſunt non omnino ſimplicem animum probare. quem tamen extingui omnino poſſe, non probavere. exuta enim illa pellicula instar ſerpentium, volebant, ad divinitatis fontem animum redire. Graeci quoque neſcio quid tale deamaverint in animo.

VIII.
Attentata ſimplicitas animi.

Plato quidem tres animi partes, quarum princeps ab anima mundi decerpta eſſet, reliquae duae e flore ipſo materiae, probavit. quod academicus Crantor confirmare videtur. Stoici, qui nihil non corporeum agnoſcerent, animum ex variis particulis aethereis compoſitum docebant. Peripatetici obſcuri, ſi Tullio credimus, animas ab aethere, quinta illa natura, conficiebant.

IX.
Origo animorum.

Iam origo animarum in Eccleſia, digito Dei veluti monſtrata, eſt quae pro re nata accidat creatio in viſceribus maternis, uno auctore Deo. Hebraei initio rerum in Adamo volunt concreatas animas omnes, quae deinde in ſolitudine adſtiterint Moſi, roganti leges.

X.
Metempſychoſis.

Qui emanatione animos profluentes docuere, hi μετεμψύχωσιν conſecutione doctrinae retinebant. erat enim illis neceſſe, ut animos, iam ante e divinitate decerptos, e corpore in corpus veluti transfunderent. Pythagorei eam transſmigrationem ab Oriente docti, volebant promiſcue in corpora vel bruta, vel humana particulam divinam remigrare.

Ionici

d *Lucret. III.*

Ionici non vivis tantum, sed omnibus corporibus animas indebant. Platonici e corporibus coelestibus, ubi essent ante locatae a Deo, per canales, nescio quos, opera deorum ad corpora miseras deducebant animas. Stoici post mortem eas in astra vocabant, veluti scintillas in maiorem ignem. Peripatetici, credo, restituebant aetheri, quod ab aethere mutuum accepissent.

XI.
Προϋπάρξις animae.

Quae vero res una est ad explicandum difficillima, coniunctio intima, quod noviores commercium vocant, inter animum, & corpus; ea iamdiu coëgit antiquos sapientes, ut eorum alii binas animas, spiritalem alteram, alteram corpoream comminiscerentur; alii plures unius animae partes dividerent vel re, vel cogitatione tantum. Eadem iuniores philosophos eo adduxit, ut non pauci cum Gassendo florem quemdam materiae concitatissimae, instar flammae cuiusdam, animam mediam in homine ponerent: pauci cum Malebranchio, sublato *influxu* physico, id est communione agendi, docerent, Deum ex occasione actionis, corpori impressae, actionem animo imprimere; contra vero Deum agere in corpus ex occasione actionis animi: nonnulli Wolfianam harmoniam, a Leibnitio excogitatam, quae faceret, ut sine communione actionis, agente animo, corpus ageret, gratam, acceptamque haberent.

XII.
Commercii inter corpus & animum varia ratio.

Praestat sane commercium repetere a copulatione physica animi cum corpore, quae ex utroque unum corpus physicum, ἐν τίδέτι peripateticum, efficiat. Ad extremum de bruta anima antiquitus ea tenuit opinio, particulam illam esse aurae divinae, male hospitio exceptam, cuius vitio vertendum esset, ne perfecta uteretur ratione. nuper vero & Calmetius, & Genuensis spiritum quemdam minorum gentium eam fecerunt, dedignati entelecheiam corpoream tanto se honore afficere, quanto afficiunt peripatetici.

XIII.
Natura animae brutae controversa.

CAP. VI.
CORPORA.

Iam breviter de corporibus, & generatim, quid senserint antiqui, dicamus. Stoici nihil, quod corpus non esset, constare posse iudicarunt. qua in parte quamvis nonnulli velint, ab stoicis vocata corpora fuisse, quae ab aliis τὰ ὄντα vocarentur; multo tamen probabilius existimem, stoicos notionem spiritus, sive naturae non extensae penitus repudiasse. Eorumdem fuit illa ἐμπύρωσις exustio corporum, illa etiam μετεμσωμάτωσις. volebant enim, motu assiduo ignis aetherei omnia dissolvenda corpora, rursus omnia renovanda.

PROP. I.
Stoicum corpus.

De corpore systema democriticum, quod atomis omnia conficit, quodque correctum noviores multi amplexi sunt, mihi videtur esse ultimae antiquitatis ex ea utique parte, quae ramentum, particulasque materiae per se probat divisas, ope adventitiae quantitatis non item. quas ego particulas a Leibnitio monadas arbitror denuo appellatas.

II.
Corpus democriticum.

Illa vero germana notio corporis, quae non in extensione sita sit, quamque doctrina Ecclesiae de penetratione corporum valde confirmavit; vix credo nota Aristoteli fuerit. Huic enim structura corporis sita erat in materia quadam, quae per se partium expers, magna fieret auxilio quantitatis: ut quod Spinosa de una substantia non per se, sed per modos variata dixit, hoc de materia dixisse Aristoteles videatur.

III.
Corpus peripateticum.

Quo-

CAP. VII.
DIALECTIca.

PROP. I.
Capita duo dialecticae graviſſima.

Quoniam vero libro proximo his de rebus in conſilium nobis erit eundum, nunc reliqua de forma, quae ſit ſuſtantia dimidiata, de eventis, deque coniunctis corporum, miſſa faciamus. Supereſt pars illa nobilis, dialectica, in quam Plato coniecerat ontologiam. Eius habetur a multis inventor Zeno Eleates, expolitor vero ipſe Ariſtoteles. Antiqui in hac parte cum comprehenſionem firmam, ratamque, τὴν ἐπιστήμην quaererent; duo vel maxima capita ſunt perſecuti. alterum, quod rerum genus caderet in ſcientiam; alterum, quaenameſſet ratio, & teſſera comprehenſiae veritatis, ſive ſcientiae.

II.
Res labilis, & conſtans.

Et barbari quidem philoſophi docuere, eſſe duo genera rerum, quae in Ialiam exportavit Pythagoras, alterum fluxarum, ſive materiatarum, quae aſsiduo fluerent ac laberentur. alterum conſtantium τῶν ὄντως ὄντων, quae ſemper eumdem ſtatum tenerent. illud genus eſſe opinioni, & ſenſibus deſtinatum, in quibus non eſſet comprehenſio: hoc eſſe ſcientiae.

III.
Ideae, & Uſiae.

Quam doctrinam totam Plato in academiam tranſtulit, ibi civitate donatis ideis illis ſuis, quas non proſcripſere academici. Ariſtoteles cum eas haberet nugas canoras, nihilo minus eſt ille quidem nugatus de ſuis naturis univerſalibus, qua a mente Dei, ubi eas locaverat Plato, in naturam ſenſilem detractas, fecit unas & eaſdem in pluribus. Etiam Ariſtoteles ſingularia, & ſenſui ſubiecta ad opinionem, non comprehenſionem, referebat.

IV.
Scientia rei ſenſilis.

Reliqui philoſophi, cum neque ideas ſeparatas, neque naturas eaſdem in pluribus probarent; eo adigebantur, ut vel penitus ſcientiam tollerent, vel eam vellent eſſe de iis rebus, quae ſub ſenſus caderent. Et vero eleatici prope omnes negarunt, nos ſcire aliquid poſſe. Democritus, & Heraclitus parum ſcientiae favebant. Stoici, & epicurei duces comprehenſionis ſenſus habuere.

V.
Pyrrhonia inſania.

Extitit Pyrrho, qui veluti armatus iis exuviis, quas academici aliis philoſophiis detraxiſſent, contra quos nihil ſciri poſſe earum rerum, quae eſſet expoſitae ſenſibus, acerrime pugnabant; omnem penitus ſcientiam ſuſtulit. Cuius inſaniae cauſa eo vel maxime iuvabatur, quod nulla eſſet nota veri, falſique iudicii. quod ideae, ſive viſa, quae ducerentur a ſeſibus, aeque poſſent oriri ab eo quod eſſet, atque ab eo, quod non eſſet. Quo argumento academici, qui innatas notiones earum rerum, quas animus ante, quam in corpora veniſſet, comprehenſas habuerat, probabant, non valde laedebantur. Reliqui, qui omnia viſa repeterent a ſenſibus, non ita omnia habebant in promptu. Quae omnia cum nos ante carptim ſcripſerimus, hoc loco non iterabimus. optaremus autem, virum aliquem eruditum illud ſibi ſumere velle, ut brevi hiſtoria propoſitis ſibi generibus rerum, Placita omnia antiquae, novaeque philoſophiae complecteretur.

BAR-

BARTHOLOMAEI POVII E SOCIETATE IESU

INSTITUTIONUM HISTORIAE PHILOSOPHICAE

LIBER XII.

DE PLACITIS PHILOSOPHIAE SUAE.

CAP. I. *DIGNITAS logicae.*

IAcobus Facciolatus patavinus philoſophiae profeſſor, cum *Inſtitutiones Logicae Peripateticae* poſtremis curis retractatas ederet, feſtive, & aſtute de femoralibus ſuorum civium, ſuperne criſpatis, inferne apertis, quae neque hyeme frigus arcerent, neque aeſtate calorem; quaeque uſu ipſo acquiſiviſſent quamdam auctoritatem, haud temere violandam; lectorem ſuum commonebat. quam deinde ſimilitudinem cum redderet, ſcribebat, *ſi quid eſt, quod tempore, & uſu ſacrari potuerit, ea profecto eſt Ariſtotelis Logica, quam qui prorſus tollere conatur, is, quaeſo, de femoralibus cogitet.* a

PROP. I. *Uſu veluti ſacrata logica.*

II. *Pet. Fonſeca caſtigandam cenſet logicam ſcholae.*

Equidem video, aut videre mihi videor, quo cadat Facciolati de femoralibus ſententia, qui etiamſi de femoralibus nihil ipſe cogitem; tamen ſcholaſticam Ariſtotelis logicam uſu, tempore, auctoritate conſecratam non tollo; ſed cum Petro Fonſeca e Soc. Ieſ. coerceo atque caſtigo. *b* de praeceptis enim dialecticis ſcholaſticorum ille ita monebat: *adeo inculta ſunt, & horrida, & ab uſu remota, quae multi in hiſce commenti ſunt, ut, niſi plurima reiiciantur, ſatius ſit, ea potius non attingere.* itaque heic multa reiicio, multa neque tango, neque curo.

a *Editionis Venetae ann. MCCDLI.* b *Dialectic. Inſtit. Lib. VIII. c. 19.*

III.
Cenſura Foxii in adulteratores logicae.

Non equidem invideo iſtis ſubtiliſsimis dialecticis, miror magis, quî fieri potuerit, ut ſuam ſibi quiſque logicam, quae praeter nomen nihil haberet logicum, ſaepe ne nomen quidem logicum haberet, fabricaretur. alius enim *Summulas*, alius *Parva logicalia*, alius *Compendia* ſcribebat. Quos Sebaſtianus Foxius hiſpalenſis vir eruditiſsimus, & olim principis hiſpanae iuventutis magiſter deſignatus *barbaros*, c *& immanes ſophiſtas, qui pro dialectica vera portenta librorum horribilia nobis reliquerunt, ne dignos quidem iudicabat, qui* d *nominarentur*. Utinam in eo falſus animi non fuiſſet vir optimae ſpei, quod illos ipſos ſcriberet, *magno Dei beneficio ubique a doctis omnibus exploſos*!

CAP. II.
RATIO TOTA logicae.

PROP. I.
Fructus dialecticae rationis conformatio.

Ego alios neſcio; mihi certe ii modo ſolent videri dialectici, qui primum finem utilem, deinde accommodatam fini materiam dialecticae praeceptis ſequantur. cum enim omnis ars finem aliquem vitae utilem ſibi habet propoſitum; tum vero nullus eſſe poteſt finis alius, neque utilior, neque magis humanae vitae neceſſarius, quam uſus, fructuſque dialecticae. eo enim pertinet vis ratioque tota dialecticae doctrinae, ut mentis humanae vitia penitus, quoad eius fieri poſsit, caveantur. quae autem vitia aut cavenda, aut corrigenda in mente ſunt, ea vel in obſcuritate, vel in errore, vel in temeritate, vel in ſtupore, ac tarditate, vel in confuſione, ac perturbatione cogitationum noſtrarum videntur eſſe conſtituta. fructus itaque dialecticae erit, & notionum perſpicuitas, & iudiciorum veritas, & opinionum probabilitas, & temerariae aſſenſionis retentio, & apta ex ſeſe concluſio, & ſcita cogitationum diſtributio.

II.
Logicae notio ars diſſerendi.

Iam finis ipſe indicio erit, quae, aut qualis ſit cum ratio, tum natura dialecticae. quamquam enim alia ab aliis tradita ſit definitio, tamen omnis eo pertinet, ut duobus verbis dialectica eſſe dicatur, *doctrina diſſerendi*. vis enim diſſerendi in eo eſt, ut quis rem definiat, genera diſpertiat, vera, & falſa diudicet, conſequentia concludat, via quadam, & ratione progrediatur. Natura vero ipſius dialecticae ſita eſt in complexione quadam multarum de diſſerendo comprehenſionum. (Cicero enim dialecticas leges comprehenſiones vocat, Epicurus canones, multi regulas, ſcholaſtici *actus* ſolent appellare.)

III.
Quales logicae comprehenſiones.

Nemo vero ita facile ab hodiernis ſcholaſticis exculpat, quae demum comprehenſiones ſint in parte logicae ponendae. Ego ita conſtituo, omnes eas praeceptiones, quae diſſerendi formam tradant, quaeque viam ad eam ipſam complanent, in dialecticae partem eſſe vocandas. quare quaecumque leges ferantur, quibus vel cauſa vitioſae cognitionis praecidatur, vel via legitimae cognitionis oſtendatur, eas comprehenſiones appello dialecticas.

IV.
Affectiones & notae logicae.

Prius vero videndum opinor, quales ipſae ſint dialecticae comprehenſiones, quam qua in materia verſentur. Hanc partem ſcholae vocant, ſi muſis placet, *prooemialia*. qui latine norunt proprietates dialecticae nominant. Ergo dialectica ipſa vel habitus, vel uſus ſit neceſſe eſt. habitus dialecticus non ſimplex quaedam qualitas exiſtimandus eſt. uſus dialecticus, ſive potius repertorum dialecticorum complexio, non ſapientia, non prudentia, ſi reſtricte loquimur, eſt. cur vero ars ea comple-

c *Vid. Nicol. Ant. Bib. Hiſp. Niv.* d *De Rat. Studi. Philoſ. p.* 172.

plexio non ſit dicenda, nihil cauſae video. quam eandem ex parte ſcientiam, ex parte opinionem, ex parte practicam, ex parte theoreticam facio. logicam utilem reliquis doctrinis iudico, neceſſariam non item, *in principiis aſpernabilem inſuavemque, ubi proceſſeris plus nimio ſuavem* cum Aulo Gelio cenſeo. docentem logicam leges ipſas de modo diſſerendi voco: utentem vero ipſum diſſerendi modum. qui in materia neceſſaria alius doctrinae ad aliam doctrinam; in materia probabili pertinet ad dialecticam.

V. *Materia dialecticae.*

Iam dialecticae materiam attrectemus, quam ſine me rivali ſcholae obiectum nominent; me vero invito, dividant *in materiale*, *formale*, *remotum*, *proximum*, & ſi quod eſt horridius nomen. certe antiqui, politique philoſophi iſtam neſcivere μικρολογίαν. tamen rem cum ſcholaſticis tranſigamus. qui finem propoſitum, fructumque dialecticae cum ſtoicis faciunt τὸ λεκτὸν, rem quae nulla ſit, *enticulum rationis*; ii & exiguum dialecticae pretium ſtatuere, & nubem, quod aiunt, pro Iunone mihi videntur amplecti. Cenſeo materiam dialecticae rerum eſſe genus omne de quibus illa praecipiat; rem vero propoſitam, fructumque quaeſitum eſſe inſtrumentum diſſerendi.

CAP. III. *RATIO LOGICAE.*

PROP. I. *Varietas & materiae, & logicae.*

Multiplex porro materia dialecticae multiplicem fecit dialecticam. ut enim praetereamus illas dialecticae partitiones, vel in *Naturalem*, & *Acquiſitam*; vel in *Inchoatam*, & *Abſolutam*, vel in Diſputantem, & Demonſtrantem, quas graeci dicunt Διαλεκτικὴν καὶ ἀποδεικτικὴν; vel in Topicam, & Analyticam: certe pars alia dialecticae in notione, pars alia in argumentatione verſatur. Quae vero pars dialecticae praecipit de notione, eadem de ideis, de praedicamentis, de praedicabilibus, quae ideae ſunt certe cuiuſdam rationis, de nominibus denique, quae ſigna ſunt idearum, praecipiat neceſſe eſt. Quae vero pars praecipit de iudicio, eadem de nota veri falſique, de ſcientia, de errore, de opinione, περὶ τῆς ἀποχῆς, de ignorantia, de fide, de verbis denique, quae ſigna ſunt iudicii, praecipiat, oportet. Quae denique pars de argumentatione curam habet, eadem de inventione argumenti, ſive idea media, de figura, de modo ſyllogiſmorum, deque ſophiſmate curat.

II. *Idea origo intellectionum.*

Hoc ergo ordine ſententiam noſtram dicamus. primum omnium mens humana nihil cogitat ſine idea, ſive ſpecie quadam, quae ſit ratio ſufficiens, ſive iuſta cauſa intelligendi. idea vero ipſa, ſive ἔννοια, ſive notio, ſive ſpecies, ſive viſum eſt omnino alia ab intellectione. cuiuſmodi autem fuerit idea, eiuſmodi futura eſt intellectio. Quoniam vero idearum origo non huius eſt loci, id de ideis dicamus, quod dialectici officium iuvare poſsit. Ergo idea alia illuſtris, alia obſcura eſt, alia ſimplex, alia complexa, alia univerſalis, alia infinita, alia definita, alia ſubſtantiae, alia modi, ſive accidentis.

III. *Categoriae ariſtoteleae pertinent ad ideas.*

Iam Ariſtotelis doctrina de praedicamentis in ideis ſubſtantiae, modorumque diſtribuendis verſatur. In hac parte eſt, qui accuſet Ariſtotelem plagii, quod Archytae praedicamenta fecerit ſua. eſt, qui reprehendat, quod notiones loci, & temporis non ſit complexus. eſt qui condemnet, quod ſcholas aſſuefecerit, ut ideas vocum, non ideas rerum ſequantur. Ego neque Ariſtotelem accuſo, neque excuſo. illud dico, artem dialecticam

cticam neceſſario poſtulare certas notionum claſſes, in quibus univerſae naturae ideae, quae poſsint enuntiationum ſubiecta eſſe, contineantur: ſingulas autem categorias lippis, & tonſoribus notas, non perſequor.

IV. *Ad ideas referenda inſtitutio Porphyrii.*

Prima etiam Porphyrii inſtitutio ad ideas referenda eſt, quas in quinque claſſes conferat. quamquam haec diviſio porphyriana, neque proxima, neque exacta eſſe videtur iis, quos haec cura tangit Atridas. Ecce vero tibi illa pugna περὶ τȣ̃ καθόλȣ, de naturis univerſalibus. quas Plato fecit ſubſtantias ipſas per ſe αὐτὰς καθ᾽ αὑτὰς, quem in ea re non eſt Ariſtoteles criminatus. quas Ariſtoteles fecit ȣ̓σίας communes, non ut Plato, ſeparatas, ſed unas, & eaſdem in ſingularibus inhaerentes. quas *Nominales* ſcholaſtici flatum eſſe vocis docebant, ea de cauſa a *Realibus* hoſtilem in modum oppugnati. quas ſcholae hodiernae complexionem ex rebus, & unitate quadam logica eſſe iubent. a quibus omnibus cum Pererio diſſentio. mihi enim τὸ καθόλȣ, univerſum eſt *notio quaedam ſingularitatis expers.*

V. *Iudicium de univerſalibus*

Monitus autem a Melchiore Cano, quaeſtiones de univerſalibus latiſsime non perſequor. nihil conſtituo de *GENEREITATE*, de *MICHAELEITATE*, deque ſexcentis aliis nugis canoris. Illud non poſſum tacere, genus mihi eſſe *notionem communem ad plures differentias pertinentem*: ſpeciem, ſive formam, quam mavult dicere Tullius, eſſe *notionem ex genere, & differentia quodammodo complexam*: differentiam eſſe *notionem* ȣ̓σιώδη eſſentialem, *communem pluribus ſpecie numerove differentibus*: proprium eſſe *notionem ſponte ſua coniunctam ſpeciei*: eventum, ſive accidens eſſe *notionem communem adventitiam rei*: individuum denique logicum eſſe *notionem ſub infima ſpecie contentam.*

VI. *Nugae de univerſalibus canorae.*

At quid volui miſero mihi? quid imprudens memini *individui*? ſcilicet dicendum erat de *ratione abſtractiſsima*, & *macerrima*, & quae vix oſsibus haereret. Cenſeo, ab omnibus individuis, ſi quaeſtiones, & intoleranda animi tormenta adhibeas, abſtrahi poſſe rationem, notionemque communem *individui*; ab omnibus univerſis itidem rationem ideamve communem univerſi. Quid illud? quid iam? ah! in enuntiatione communis praedicati ſervo ſartam tectam notionem communem. ne quis vero ſua deſideret verba, *actualis praedicatio attingit, & efficit univerſum.*

VII. *Signa idearum nomina,*

Quoniam vero dialecticus nec ſolet, nec debet eſſe mutus, de nominibus, ſive ſignis idearum aget, ſi ſapiet. Ego vero non metuo, ne non agat; ſed potius, ne pluribus, quam aequum eſt, agat. certe mihi illa ſumo paucula, illud eſſe ſynonymum, cuius eſt una in animo notio. homonymum, cuius & plures, & omnes propriae ſunt in animo ideae. analogum, cuius alia eſt notio propria, alia translata. Mitto cetera, ne quid reprehendat iure ſuo Canus. quamquam neque ſignum ſui, neque *terminum*, elementum ſcilicet enuntiationis, mittere poſſum.

VIII. *Definitionis natura.*

Ante vero de definitione, ac diviſione dictum volo, quam de enuntiatione loquar. non quo putem illas oportere eſſe notionem, non poſſe eſſe iudicium; ſed quod aeque facile in idea complexa, & in iudicio ſitas habeam. Eſt autem definitio ea oratio, quae, quid ſit id, de quo agitur, oſtendit quam breviſsime. quae vel nominis eſt, quae vim vocis aperit, vel coërcet, vel e fonte ducit; vel rei, quae, ſi ſit ȣ̓σιώδης,

ſive

sive metaphysica, sit idea generis, & differentiae; si sit αἰτιολογικὴ, *causalis*, sit idea causae omnis generis; quam physicam, & omnium optimam soleo vocare; si sit φιλολογικὴ, erudita, sit ideis coniunctorum, sive proprietatum & affectionum; ideis etiam eventorum, τῶν συμβεβηκότων, *accidentium*.

IX. *Divisio quae & qualis.*

Divisio ea dicitur oratio, quae rem in partes tribuit suas. quae si sit nominis, & recte *distinctio* dicetur, & ideas una voce complicatas ex ordine exponet. quae vero rei est, totum partitur. rursus si totum sit *universale*, (*logicum*,) quod *omne* dicunt latini, divisio erit logica in formas speciesve subiectas; sin autem totum sit *physicum*, quod romani proprie *totum* vocavere, divisio *physica* rem secabit in partes, sive elementa corporis.

CAP. IV. *DE ENUNtiatione.*

PROP. I. *Natura enuntiationis.*

Quae mentis humanae altera est actio, eam iudicium enuntiationem, pronuntiatum, effatum latini; propositionem, & praedicationem scholae nominavere. est autem ea oratio, quae ait quid, aut negat. continetur & idea ὑποκειμένου *subiecti*, & idea κατηγορευομένου *attributi*, & copulatione, sive separatione mentis. Quam variae esse posint ideae, quamque varia earum convenientia, variumque dissidium; tam varia fuerint enuntiationis genera. quae ne pluribus persequar, facit ille reipublicae scholasticae tertius Cato Melchior Canus, qui dolet, enuntiationes exponibiles, insolubiles, *aliave id genus monstra in scholam* irrepsisse. Illud non praetereo, omnem enuntiationem de eventu ambiguo, & hypotheticam, & absolutam habere definitam veritatem, neque eam necessariam.

II. *Probandum veritatis criterium.*

In omni vero iudicio quaedam sit, oportet, iusta causa, cur animus sententiam ferat suam. nihil enim sine causa fit. Sceptici a Pyrrhone philosophi, qui negabant, ullam esse iudicii rationem sufficientem, quibus asiduo illud erat in ore, *non liquet*; vacationem iudicandi infinitam habebant. reliqui philosophi, quid sequerentur, in iudicando videbant. Est omnino in mente tessera, sive nota, sive argumentum veritatis, quod τὸ κριτήριον graeci nominavere. hoc ego criterium non in ipsa intelligentia, quae sit facultas quaedam animi; non in ipsa ratione, quae sit copia proloquiorum, sive primorum principiorum, constitutum habeo. quae duae res sponte sua non afferunt argumentum veritatis in novis iudiciis faciendis.

III. *In visis inest nota veri & falsi.*

Ergo notam veri, falsique in ipsis requiro visis, ideisve. nego enim omnia esse uniusmodi. nego Platoni solas ideas ἀρχέτυπας, Aristoteli solas οὐσίας *essentias universales*, *necessariasque* scientia posse comprehendi. mihi criterium veritatis in evidentia visorum situm est. sicut enim necesse est, lancem in libra ponderibus impositis deprimi, sic animum perspicuis cedere. Iam visorum evidentia in triplici ratione esse potest. visa enim vel sunt rerum, quae unam mentem afficiunt, cuiusmodi sunt τὰ δυνατὰ, *ea quae esse possunt*: vel sunt rerum, quae sub sensus cadunt, sive ipsae per se cadant, sive per effecta sua cadant: vel sunt rerum, quae aliena auctoritate animo proponuntur. Itaque evidentia primi generis nota est; qua scimus rem esse posse: alterius generis nota est, qua scimus rem ipsam constare: tertii generis nota est, qua certo in re obscura iudicamus.

Neque

IV. *Peripateticum veritatis criterium.*

Neque nostrum hoc criterium non concordat satis cum peripateticorum criterio, qui notam veri indicii in mensura primorum principiorum ponunt. & nos ponimus. monemus tamen, huiusmodi concordiam iudicii, & principiorum esse criterium artificiosum: oportere vero in visis ipsorum principiorum inesse τὴν ἐναργίαν *perspicuitatem*, & evidentiam. futuram vero in ipsis dicimus, siquidem in experientia, sive in visis rerum singularium antea fuerit. non enim maior est veritatis lux in principiis primis, quam fuerit in experientia primorum principiorum. Probabilitatis criterium est maior, minorve perspicuitas visorum. consensus autem vel omnium, vel plurium, vel sapientum non insitum probabilitatis, sed adventitium criterium dici potest. Fidei divinae criterium est revelatio, sive testificatio Dei certa, & explorata. In pluribus quaestionibus eiusmodi sunt visa, in quibus nota sit ἀποχῆς, sive retentionis iudicii, cum in visis nulla perspicuitas convenientiae appareat.

V. *Status cognoscendi varius.*

Superest, ut de variis animi nostri statibus, quod ad cognitionem attinet, dicamus. primus est ignorantiae, cum vel nullam rei ideam habemus, qui status *inscitiae* dici potest; vel ideam alieni testimonii dumtaxat habemus, qui *obscuritatis* status nominetur. alter est status dubitationis, cum nihil mens videt in ideis suis momenti, quo in alteram partem deprimatur. tertius est status, opinionis cum animus in ideis suis lucem, malignam tamen, videt. quartus est status certitudinis, cum vehemens est animi assensio, quae in iudicio, & vero, & falso contingere potest. sextus est status scientiae, cum animus cognitionem firmam, & evidentem per demonstrationem comparavit. septimus denique status est creditionis divinae, cum animus auctoritate Dei fractus penitus assentitur.

VI. *Singula cognitionum genera.*

At capita singula perstringamus. scientia Aristoteli ad summam est cognitio firma & evidens rei & universalis, & necessariae per demonstrationem comparata. In qua descriptione vereor, ut ne plus nimio Aristoteles servierit naturis, sive ταῖς ὀσίαις suis, quas, & communes, & aeternas in rebus ipsis statuebat. ego ita Aristoteli servio, ut ad ideas ipsas transferam & communionem, & necessitatem: ut experientiam tam firmam, & evidentem habeam, quam conclusionem demonstrationis. De errore quid plura loquar? cuiusque mens ipsa in se descendat, & illud usurpet, *Non ignara mali miseris succurrere disco*

Opinio est infirma rei assensio. Fides denique est assensio ex aliena auctoritate. Atque has animi actiones per verba exprimimus, quae propterea sunt dialecticorum.

CAP. V. *DE ARGUMENTATIONE.*

PROP. I. *Vis argumentationis & topices.*

Tertium genus cognitionis, argumentatio, ea est oratio, quae quibusdam positis aliquid aliud concludit. eius formae sunt syllogismus, inductio, exemplum, enthymema. argumentationis vis apta est ex hoc principio, *quae de omnibus universim, eadem iure dicas de singulis.* non est otium & figuras, & modos syllogismorum persequi, de praenotionibus demonstrationum inquirere. Illud huc adiicio, artem syllogismi secum afferre *topicen*. est autem topice doctrina argumenti inveniendi. argumentum autem est inventum aptum fidei faciendae: sive mavis, argumen-

gumentum est idea quaedam media, quae ostendit convenientiam suam cum aliis ideis duabus.

Ex quibus omnibus & praeceptionibus, & causis, quas agit dialectica, nemo non videat, non modo in notionibus, sed in vocibus, sed in rebus ipsis ea de causa occupari, ut instrumenta habeat, & formas quasdam sive differendi, sive veritatem illustrandi, sive bene sentiendi. Hic ille est *sciendi modus scholae*, illa differendi forma, illa oratio philosophorum: quam qui in quavis perceptione animi collocat, is elementa rei cum re ipsa miscet, & ex quovis ligno suum sibi facit Mercurium. qui vero negat, esse orationem rei latentis illustratricem, is vereor, ut satis animi obscuras notiones explicare didicerit. qui denique Suarius edicit, modum sciendi eum esse, qui sponte sua tendit in scientiam, profecto in ea re eximios ille conatus suos ultra legem tendit, nisi forte solam demonstrationem inter instrumenta numeret differendi.

II.
Non sola demonstratio est forma differendi.

Ad extremum post Verulamium quaedam dialectica, quam non curavere scholae, coepit eruditis placere, quam artem illi criticam vocant. quae quam sit necessaria, nemo opinor ignorat. Haec vero critice olim grammaticorum erat propria, qua parte de scriptis alienis philologorum sententiam ferebant, cuius illa essent, quas a librario iniurias passa, quam recte elaborata, quove essent in pretio habenda. Critica vero novitia & hanc sibi servat iurisdictionem, & nomethetícen, & hermeneuticen in partes vocat. Nam critici, sive mavis noviores dialectici, & causas externas errorum, & internas praecidunt, & leges institutioni ferunt, & animi cupiditatibus obsistunt. Praeterea interpretandi leges, quibus aliena scripta vel intelligamus, vel in alium vertamus sermonem, in quibus hermeneutica sita est, constituunt. quae omnia si non utilissima, at certe sunt scholastica logica utiliora.

III.
Critica addita dialecticae.

CAP. VI.
PHYSIOLOGIAE natura.

Nam cum in scholis diu versata ita fuisset physiologia, ut vix operae pretium factum esset ullum, si liceat cum Honorato Fabrio e Soc. Iesu viro doctissimo loqui; postquam nova criticorum dialectica instituta est, dici vix potest, quam inquisitio naturae foecunda fuerit novorum repertorum, cum ad novas leges novae artis veri & falsi disceptatricis & iudicis coepere omnia in studio illius referri. Atque hoc ego in aditu naturae eas ex praescriptis novorum criticorum verbi potius, quam rei controversias otiosis hominibus relinquo, de abstractione a materia, de simplicitate physiologiae, de praestantia, deque notis & affectionibus istis *prooemialibus*. Mihi sine phaleris, & lenociniis physiologia est *Doctrina naturae*, qua non aliam habuere homines neque priorem, neque antiquiorem.

PROP. I.
Aucta cognitio naturae, cuius est doctrina physiologia.

Natura, cuius vox est omnium maxime ambigua, ea dicitur seni stagiritae, quae sit *principium & motionis, & quietis in ea substantia, quam constituat ipsa natura.* heic quam sit obscurus Aristoteles, nemo non est conqueri solitus. ego ita interpretor nostri istius Apollinis oracula. natura est forma, natura est materia. quippe quae & agendi, & cessandi sint causae corpori physico. At ego naturam, in qua physice occupetur, paulo magis ampliandam censeo, ut & corpus physicum, & elementa corporis, & coniuncta, & eventa ipsius amplectatur.

II.
Natura aristotelea σκοτεινη.

tur. itaque *doctrina naturae* mihi est *doctrina corporis physici*, quae eius
vim principia, & affectiones ratione demonstret.

III. *Corpus physicum continetur vi motus, & quietis.*

Corpus autem physicum si quis millies non cognoverit, manibus-
que palpaverit suis, is, credo, minuta aliqua definitione cognoscere inci-
piet. sed de more minute finiamus, ut corpus physicum esse dicamus,
quod principio motus & quietis continetur. Etiamne corpus extare physicum
contra Berkleium; plura extare corpora, quae non una & eadem con-
tineantur substantia, quae ipsa sit Deus, contra Spinosam; posse nos
scientia corpora comprehedere contra scepticorum patronum Baelium,
defendere cogemur? nos cum insanientis sapientiae consultis non sole-
mus litigare. Corpora itaque vel sunt elementaria terra, aqua, aër, i-
gnis, aether; vel sunt concreta. quae porro talia sunt, ex his alia non
viva, alia viva sunt. quae quas sint in classes tributa, pro re & loco
à nobis erit dicendum.

CAP. VII.

PRINCIPIA corporis.

PROP. I.

Et materia, & forma, & privatio, Aristoteli charissima, corporum principia

Illud praevertamur, quibus principiis, partibusve constent corpora
physica. constare enim partibus, ipsa rerum mutatio clamat. Vim au-
tem rationemve principii, quam profani omnes ultimae antiquitatis phy-
losophi probavere, ut dicerent, principia non oportere habere principium;
eam tanquam omnino impiam reprobamus. eo enim pertinet, ut aeter-
nam materiam, ut materiam a Deo non procreatam; ut formas fortas-
se aeternas in rerum naturam inferat. At notio principii illa nobis pla-
cet, ut principium sit *elementum primum corporis physici.* Iam corpus phy-
sicum, qua parte perfectum est, & materia, & forma copulatis conti-
netur, tertia illa substantia, sive natura *scotiana*, (sic vocant) non con-
tinetur. qua parte fit, & constituitur, si *simplex* sit *effectio*, praeter ma-
teriam, & formam, habet *privationem*, qua inventa paulo vanius glo-
riatur Aristoteles, cum omnibus probata prius fuerit philosophis; si sit
mutatio, habet *privationem* in tempore praeterito; sin denique conver-
sio sit, habet amissionem formae pristinae, novaeque comparationem.

II. *Eruditae lites de materia, de forma, de mente & sententia Aristotelis.*

Equidem cogor invitus in haec acumina paulo tenuiora venire. Haec
nobilior contentio, extetne materia ex virtutibus ornata peripateticis.
extare, probabiliter dicitur, quae sit semisubstantia, sponte sua non de-
finita corpori certo: at negatur quoque probabiliter. Quod idem faci-
mus de forma corporea iudicium, quae sit dimidiata substantia certo
corpori addicta. Illa eruditarum frontium controversia nobis salivam mo-
vet, in qua alius negat, agnovisse Aristotelem istam formam,
quae non esset congeries affectionum, alius ait agnovisse. Mihi non li-
quet satis. quanquam in eam inclino partem, ideas archetypas Platonis
esse formas, ὀσίας communes Aristotelis, in corporibus physicis inhae-
rentes, unas & easdem in singulis. sed ampliandum censeo.

III. *Materia τὸ πανδοχες habet synchronam somatosin.*

Non licuit una hinc me expedire plaga. pugnetur iterum. Mate-
ria habet ab initio rerum creatam secum formam quandam, singulis cor-
poribus tributam, quam ego communem *corporationem* σωμάτωσιν nomi-
no, cuius impenetratio & antitypia sit affectio. Rursus eadem materia
alit domi complures formas sociatas, idque sine machina, e qua voce-
tur in theatro physicorum Deus. at sine Numine non ferat plures for-
mas principes una materia; cogente Deo, ferat. Eodem volente, quid
non

non fiat? Materia existet sine forma, cum suam ipsa habeat extantiam. forma vicissim constabit sine materia. sed haec fierent in natura, si periret natura.

CAP. VIII.
NOTAE corporum.

PROP. I.
Quantitas non vis ipsa, sed coniunctum corporis physici.

At quae salva maneat, & incolumis corporum natura, suas secum affert affectiones. (*coniuncta* vocat Musa Lucretii) e quibus illa est facile princeps, magnitudo, sive *quantitas*, sive extensio. etsi enim vis, ratioque corporis physici non sita sit in tergemina dimensione, quod contra sentit parum prudenter Renatus Cartesius; tamen tergemina dimensio est coniunctum corporis physici. Iam quantitas non ea est, quae vel substantia sit, vel substantiae partes afferat, quae re corpus extendat; quaeque in nonpenetratione consistat: sed quae sit ius nativum antitypiae, resistentiae, nonpenetrationis. quo fit, ut annitente Deo, corpora possint sese penetrare. Illud nobis est corpus continuum, quod constat particulis coniunctis, individuis, finitis, & magnis. nec enim continuum est infinities dividuum, neque ulla creata res re ipsa infinita esse potest.

II.
Locus qualis affectio corporum.

Altera corporum nota ea est, ut in loco sint. Locus non est illa Aristotelis superficies extima, cui non insunt loci proprietates; sed est simpliciter *spatium, quod res locata occupat*: quod nihil est physicum. Locum vacuum extramundium probamus. in mundo inane neque acervatum, neque disseminatum secundum leges naturae esse potest: quanquam ille satyricus recte clamat, *quantum est in rebus inane*! Locatio rei sita est in ratione sufficienti, quae sit de genere umbratili modorum. Multiplicata locatio & definita, & circumscripta uni eidemque corpori convenire, Deo iubente, potest.

III.
Tempus est coniunctum corporis.

Tertia corporum affectio facit, ut omne corpus in tempore sit. De tempore assensi Epicuro, non numeramus motum cum Aristotele. qui potius finimus tempus *durationem imaginariam, perennem, & aequabilem.* De illa vero duratione scholastica, quae sit iusta ratio, cur hoc potius, quam illo tempore, res perstet; in schola media censemus, eam esse *modum* alium & a re, & a tempore. Aeternitas, nisi pro re ipsa dicatur aeterna, est excogitata duratio principii, & finis expers. quisquis adhuc aevum ab aeternitate seiungit, is, credo, non viderit B. Thomam monentem, ignorationem linguae graecae eam latinis, aut certe scholasticis peperisse distinctionem. est enim τὸ αἰὼν ἀπὸ τοῦ ἀεὶ ὤν. Si licet, cum Perterio iis τοῖς τοῦ Ἀριστοτέλους φίλοις irascimur, qui negant, Aristoteli aeternum fuisse mundum. Hic est ille cardo Lycei. At nobis nulla neque constans, neque fluens creata res aut fuit, aut esse potuit aeterna.

IV.
Motus insignis maxime nota corporis physici.

Quarta corporum nota maxime insignis motus est. quem qui neget, dignus est, qui cum Diodoro ludatur ab Hermophilo medico de humero luxato. qui vero definiat, *actum entis in potentia prout in potentia*, huic censeo Oedipum adhibendum. qui vero more multorum plane loquatur, *migrationem de loco in locum*;

Hic sapit, & mecum facit, & Iove iudicat aequo.

Causa motus non Deus unus, Malebranchi; non unus aether, Cartesi; non una vis magnetica, Gassende; non vis congenita corpusculis primis, Maignane; non vis seu *peta*, seu *fuga*, Newtoni; sed ille impetus Ly-

cei, illa gravitas de genere accidentium habenda videtur. Heic qui volet (voluisse nonnullos scio) utramque paginam fecerit περὶ τῆς μηχανῆς, de mechanica, statica, hydrostatica. Ego principia, & phaenomena manifestiora dixero. tractent fabrilia fabri. nihil ereptum eo mathematicis.

V. *Affectiones motus.* Quod iure de motu licet, id mihi assero, & motum habere successionem cum loci, tum etiam temporis; & continuationem, quae moram omnem, pausamque tollat vel inter puncta loci, vel inter momenta temporis: ut motus tardior a velociore non mora differat, & quiete, sed remissione impetus; & determinationem vel simplicem, vel multiplicem; & reflexionem; & refractionem; & accelerationem. In descensu corporum, qui fit per numeros impares accelerationis, & gravitas, & impetus, & aëris regressus corpus propellunt. Reflexio motus, non coepta post quietem momentaneam, oritur ab elaterio corporum impactorum, quod, cum in omni corpore insit, neque a soliditate differat, ea vis est, qua corpus pristinum statum, situmque repetit.

CAP. IX. *DE MUNDO.*

PROP. I. *Mundus unus* Hactenus more peripatetico notiones naturae dedimus, ad quas veluti ad lesbiam normam multi corpora physica, non investigata rerum singularium natura, solent exigere. ut quod ipsi in capite gestant systema, illud ipsum tribuant naturae. Superest, ut quasi in domum aliquam locupletem ac refertam venerimus, non modo ordinem divitiarum, sed singula ornamenta inspiciamus. Itaque mundus ipse, quem κόσμον primus omnium Pythagoras nominavit, systema eorum corporum, quae ambitu coeli continentur, & unicus est, & iis modo multiplicatus videri poterit, qui augures philosophi cum Fontanellio velint observare de coelo.

II. *Dotes mundi reliquae.* Magnitudo mundi maior, quam quantam animus informare potest, ipsa tamen finita est. figura sphaerica apparet. perfectio ea, quam deceat tantum tanti artificis opus. anima nulla, quantumvis omnis ante acta natio philosophorum profanorum magnum sibi mundum effinxerit animal. De cosmogonia nemo unus non initiatorum mysteriis religionis germanae philosophorum verum vidit satis. omnes enim impie vim Deo ademere creatricem; omnes aeternam materiam, sive principium *chaoticum*, e quo fierent corpora, probavere: plerique aeternam mundi constitutionem cum Aristotele intulere: tantum non omnes emanationem substantiarum spiritalium, quae non ortae e nihilo, sed ipsa vi, naturaque divina constitutae essent somniavere. quam insaniam impius denuo Spinosa insanivit. Cosmopoeia mosaica non allegorica, qualem comminiscitur audacter Burnetius cum reformatore suo Wistonio, sed simplex est, & propria existimanda.

III. *Nulla hypothesis de universi systemate nobis salivam movet.* Nulla nobis salivam movet earum hypotheseων, quas adhuc plures philosophi commenti, quibus phaenomena manifesta ad certas causas revocarent, non fecere satis phaenomenis. Heic illa ἀποχὴ, philosopho saepe necessaria, retentio assensionis, placet. Ptolemaeus vix ferendus, qui sphaeras duodecim circa tellurem rotat; omnino non ferendi ii ptolemaici, qui sphaeris adiiciunt epicyclum. Copernicus de motu terrae, cum magna manu antiquorum nihil agit: stare enim terra videtur.

detur. Tico non ita diſplicet, niſi quod cauſam non ſatis explicat, cur gemino motu coelum ſtellatum agatur. Newtonius pluſcula ſibi ſumit, non conceſſa de tractione ſolis in alios planetas. Non liquet. alio die. heic enim omnes ſumus augures. Heic, qui volet coſmographiae principia, in ſphaera artificioſa viderit a nobis explicata.

CAP. X.
CORPORA terreſtria.

PROP. I.
Terrae globus qualis.

Iam ipſe terrae globus, ne ipſe quidem ſatis notus adhuc philoſophis, ſphaericus, & ad polos oblongus, & in centro univerſi videtur eſſe conſtitutus. De Atlantide, quae habet Plato, cuiuſque ea ſint habendae fidei, nos volentes dicemus. nunc tenuem auram remanſiſſe apud antiqui orbis colonos, qua de novo mundo neſcio quid illi ſuſpicarentur, probamus. Heic principia geographiae non habuimus neglecta. Supereſt, ut partiti corpora terreſtria in elementa, & elementaria, ſive mixta ex elementis, de ſingulis ſententiam feramus.

II.
Elementorum natura.

Elementa nobis ſunt corpora nonconcreta, in quae concreta corpora ſolvantur. & continentur quidem elementa principiis peripateticis, materia, & forma; quaternario etiam numero: niſi quis aethera annumeret, corpus ab elementis vulgatis utique diverſum. Qui omnia conficiunt qualitatibus, ſuam cuique primariam qualitatem elemento tribuunt, quibuscum nos in Lyceo ambulamus. Si quis finitionibus peripateticis elementorum non contentus, velit ſcire, quibus particulis rem conficiant non peripatetici philoſophi, a nobis facile, & benevole audiet: qui ſi non conſentire, at ſcire voluimus, quid aliena ferat philoſophia. Nulla elementis abſoluta levitas, quae cum inimica gravitate eſt de genere illo qualitatis.

III.
Mixtorum natura.

Corpora mixta, quorum eſt ubique pleno copia cornu, ea ſunt, in quibus non ipſae formae, ἀυταὶ καθ' ἀυθᾶς, elementorum, ſed qualitates primariae viribus parcentes ſuis, ſive temperatae manent. itaque probanda eſt, magiſtro Ariſtotele, mixtio perfecta, quae non σύνθεσις, ſed potius ſit σύγχυσις. Niſi in corporibus mixtis forma quaedam eſſet communis, quae certas haberet a ſe affectiones; probandus eſſet interitus mixtorum, & ſolutio penitiſsima uſque ad materiam primam. quam nunc non probamus beneficio σωματώσεως, formae corporis.

IV.
Corpora terreſtria.

Non eſt otium, de ſingulis corporum generibus multa loqui, maxime cum peripatetici ea omnia duabus voculis expedita habeamus, materia, forma, qualitate. tamen de corporibus terreſtribus ſi quis quaerat; montes ante diluvium extitiſſe, diluvio faciem & montium, & terrae valde mutatam fuiſſe, audiet. Foſſilia corpora ſal, ſulphur, metallum, lapis, quam longum dare poſsint ſermonem, quivis experiri in nobis poterit. Hoc unum etiam non rogati dicimus, chryſopoeiam, & panaceam, & lapidem philoſophicum, & ſomnia *Rozecrucianorum*, eſſe aegrorum ſomnia. Hoc de Magnete addimus, eius vim tergeminam non ab occulta, & myſterioſa qualitate, ſed a profluvio corpuſculorum magneticorum repeti oportere.

V.
Corpora ſubterranea.

Quae corpora ſunt ſubterranea, ridente Ariſtophane, veluti fungos quaerimus philoſophi. In magnae matris viſceribus non modo calor, ſed ignis eſt aſsiduus. ſunt enim in multis locis pyrophylacia, quae cavernae ſunt ſulphure, & bitume refertae, in quibus motu accenditur ignis.

hinc

hinc repetenda montium ignivomorum caussa. hinc thermae, hinc terraemotus oriuntur, hinc averna. Sunt intra terram & hydrophylacia, & aërophylacia, quae non vertuntur tamen in aquas fontanas.

VI. *Corpora aquatica.*

De corporibus aqueis, ita breviter emergimus. originem fontium probabilius ab aqua pluvia repetimus. antiquas de capite Nili fabulas & novimus, & ridemus. pluviae immensae in Aethiopia efficiunt restagnantem Nilum. Maris facies sphaerica, salsedo a sale in fundo maris esse videtur, motus abnormis & incertus ab aëre agitato, motus status, sive aestus reciprocus Oceani a Luna proficiscitur. motus ille diurnus maris ab ortu in occasum videtur a motu coeli repetendus.

CAP. XI. CORPORA *sublimia.*

Sed terram, brutis pecudibus, quas in eam pronas natura finxit, relinquamus, quae

Os homini sublime dedit, coelumque tueri
Iussit, & erectos ad sidera tollere vultus.

PROP. I. *Natura vaporis, & exhalationis.*

itaque coelestia, aut certe sublimia corpora tueamur. Meteora, quorum semina sunt e terra petenda, in atmosphaera fiunt. quae est veluti fluvius quidam circa terram revolutus. heic ventus est, qui nihil differt ab aëre agitato. agitatur autem aër a motu vaporum, & exhalationum, quae particulae sunt aliorum corporum. ideo vero moventur & vapores, & exhalationes, quod ignis subterraneus, & calor Solis ea corpuscula seiuncta efficiat aëre leviora.

II. *Natura Fulguris, Fulminis, Tonitrui.*

Itaque ex his e terra missis corpusculis varii generis varia fiunt meteora. in quibus principem sibi locum magno facit strepitu tonitruum. cuius ea caussa est, quod, cum concurrant exhalationes, ventum comprimant, qui indignatus magno cum murmure claustra rumpit. Eadem congressio fulgur, sive fulgetrum parit; cum ignem in exhalationibus conceptum late explicat. Eadem denique pugna particularum nitrosarum, sulphurearum, adustarum fulmen rubente dextera iaculatur; sive ignem coactum, atque compressum. Nusquam aeque valuit fabula, atque in hac parte physiologiae. Ante Avicenam, nullius hominem fidei, non fulmen lapis, non vitulus, non lana de coelo venerat. Ego censeo, huic advocandos etruscos, qui fabulatori arabi credant, aut augures augurem Avicenam rideant.

III. *Meteora ignita.*

His alia meteora ignita iungamus, quae vel sunt stellae cadentes, vel ignes lambentes. Aestate maxime stellae cadunt. nimirum exhalationes nullis vaporibus immixtae, facili negotio, motuque ignes concipiunt. quibus a figura adhaesit nomen pyramidis, clypei, trabis, aliarumque rerum. Ignis lambens existit ab halitibus nitrosis, & pinguibus. non urit, quod careat particulis ramosis. non nisi in tempestate quadam, aut tum maxime apparet, quod atmosphaera gravis, & crassa non det exitum & ascensum liberum corpusculis semel agitatis.

Atque haec meteora magnam quidem partem fiunt ab exhalationibus. quae sequuntur pene sunt e vaporibus orta. Nebula enim rudis, & informata nubes, est copia vaporum tanta, quanta non est satis nubi. Aura serotina est vapor tenuissimus, frigore nocturno solutus, nec tamen conspicuus. Ros vero etiam conspicuus vapor, ea ipsa de caussa difusus in terram. Pruina est ipse ros conglaciatus. quae phaenomena

non

non nisi aëre quieto apparent, propterea quod ventus dissipat vapores. Mel plantarum humor est cum rore permixtus. manna vero non illud quidem hebraicum, sed quod mel etiam dici solet arboreum; est humor crassior cum rore permixtus.

IV. *Aquea meteora minuscula.*

Sed haec leviuscula sunt phaenomena. haec alia graviora. Nubes, quae neque ex aëre concreto, neque ex aëre fit mutato; est vaporum maior quaedam concretio. haec ipsa dissoluta pluvia est, quae in guttas non calore, sed frigore concrescit. Nix est vapor non nihil concretus frigore aëris, cuius nitri particulae concretionem plurimum iuvant, cum veluti hamulis moleculas devinciunt. Grando vapor est concretissimus maiore frigore, & in guttas solidas induratus. Qui gelu vocavit, *excessum frigoris*, Aristoteles, nihil in eo dignum physico dixit. aliquid ii dicere videntur physici, qui non qualitate, sed spiritu quodam frigifero, sive nitroso, aquam conglaciant.

V. *Phaenomena aquea maiora.*

Nondum licet ultra atmosphaeram evolare. ventus obstat, qui aëris fluxus est. Causa venti non una. & halitus ab aethere agitatus, & vapor emissus, & calor solaris, & ignis subterraneus, & quaelibet causa alia agitationis in aëre, erit causa venti. Quae solent vento phaenomena tribui, ea ferme sunt immixtis corpusculis tribuenda. Nolumus tempestates excitare. typhonem, praestera, ecnephian, exhydriam, ventosa hercle nomina tacemus. quae qui volet in exedris inducta videbit.

VI. *Ventorum & causa, & natura.*

Quae vero ludibria saepe numero parat natura in phaenomenis lucidis, & emphaticis, oculos potius pascunt philosophorum, quam animo satisfaciunt. De Iride enim, quae fit lucis refractione in nube roscida, egregie monebat Gassendus, nihil, nisi eam esse naturam lucis, ut refracta multimodis multos exhibeat colores, posse responderi. Nos ut chartae parcamus, neque heic, neque antea illas formulas usurpavimus, quare Iris habeat tot, & tales colores; quare in illa, & illa nube appareat; & sexcentas alias: quibus ostentandis multi, quanti essent philosophi, saepe voluere ostendere. Area, corona, halo saepius circa Lunam, saepe circa Solem, nonnunquam circa Iovem, & Venerem, est nubes tenuissima, ubi radii refringantur Solis. Virgae sunt quaedam rectae Iridis species. Et parhelium est Sol in nube mentitus, veluti in speculo: & paraselene est emphatica Luna. Aurora borea vel fit exhalationibus tenuissimis, diu in coelo boreo manentibus, vel fit nube tenuissima interposita, ubi Sol radios refringat suos.

VII. *Meteora lucida.*

CAP. XII. *COELEstia corpora.*

PROP. I. *Cometae sunt stellae erraticae.*

Cometae, qui plus aequo terrent meticulosos homines, neque terrenis, neque planetariis exhalationibus, neque complicatione stellarum fieri videntur. multo illud dicitur probabilius, cometas esse certi cuiusdam generis erraticas stellas, quae suum ducunt orbem. De Planetis primariis divinare multa, pauca licet scire. Solis ignea natura, quam maculae solares, veluti fuligines & nubes obscurant, vertitur assiduo circa axem suum, qui motus omnibus communis est planetis. Lunae natura similis substantiae cuidam terreae, aspera, inaequalis, montibus distincta, qui efficiant maculas, & umbram, non est terra multarum urbium. De aliis planetis nihil scitu dignius tacebimus, si loqui coeperimus.

Sidera fixa naturam habere videntur igneam, fluidam, circa axem

suum

II. Natura Coelorum.

ſuum aſsiduo rotatam. Quae oriuntur, & occidunt ſidera, ducunt orbem ſuum. Natura coelorum non eſt elementaria, non aquea, non ignea, non inanis; ſed quinta quaedam aetheris ſubſtantia, interitus capax, fluida, nonanimata. Numerus coelorum eſt arbitrarius. alius aliter, ego tres numero coelos, aërum, aetherum, empyreum, de quo ultimo praeſtat ex fide Dei optima quaeque ſperare, quam ex decretis philoſophorum augurari. In ſchola peripatetica Intelligentia movet coelos. extra eam cauſas alias ſequimur eius motus.

CAP. XIII. *PSYCHOLOGIA.*

PROP. I. Vis & vitae, & corporis vivi.

Ultima phyſiologiae reſtat pars, & veluti in theatro naturae agnitio perſonae, quae ſpectatores ſuavitate compleat. haec illa eſt ſcholae parum latina *Animaſtica*, iuniorum pſychologia, quae de corpore vivo verba facit. Eſt aut vitae vox homonyma, cui hae duae notiones reſpondent, ut vita vel ſit rei perceptio, vel motus intimus & ſuus. formae, ſive viventum genera ſunt & rationis, & ſenſus, & vegetationis capacia. Spirituum a corporis commercio per ſe ſeiunctorum non eſt propria haec diſputatio, quos ad pneumatologiam, ſive mavis, theologiam revocamus. Omne corpus vivens & materia, & forma principe, & ſomatoſi vel communi, vel propria continetur.

II. Ortus viventum.

De ortu viventum ita cenſemus. omne vivens vel ſemine fit, vel ovo foecundato. animalcula ex putri materia nulla. plantae ex fertilitate terrae ſine ſemine, vel ſtolone non oriuntur. In ſemine apud peripateticos vis quaedam plaſtica, ſcilicet occulta & docta qualitas, molitur oeconomiam corporis. heic non omnino abſurde iuniores, quibus tamen non premimus utrumque pollicem, repetunt ab auctore Deo ſemina omnia, ab initio rerum inchoata, & pingui Minerva deſcripta. Mater educit e ſemine formam corpoream, ſpiritalem non item, quam modo copulat cum materia. Quibus argumentis medicorum filii ab ovo repetant humanos foetus, novimus quidem. quibus in lyceo non aſſurgimus. Anima Ariſtoteli eſt in univerſum entelecheia corporis poteſtate vitalis.

III. Natura Animi.

De Animo vero, de quo erratum eſt in philoſophia, quantum potuit errari, haec ſentimus, eum eſſe *entelecheiam*, formamve corporis participem rationis. non Deus, non Dei particula, non divinae aurae ramentum, non ex aetherea, quintave Ariſtotelis natura concretus, non ex aliis elementis compactus, non unus & idem omnibus hominibus eſt. Eum & ſubſtantiam per ſe ſubſiſtentem, & individuum, & immortalem, & incorporeum, & ubique in corpore locatum probamus. Eius originem unam eſſe creationem, non propagationem e traduce, non migrationem e corpore in corpus ſtatuimus. diebus ſingulis pro loco & tempore a Deo creari animum in viſceribus parentum tuemur. quoto vero a formato foetu creetur die, nolumus divinare.

IV. Commercium Animi cum corpore.

Cauſam commercii (eſt enim commercium legitimum animo cum corpore) a peripatetica ducimus copulatione. nam in ea re neque principatus Platonis, qui animum in capite velut in arce praefectum locavit, neque Malebranchii occaſio, neque anima media Gaſſendi, neque monas, & harmonia praeſtabilita Leibnitzii, non omnino diſplicent. Itaque nihil eſt opus in homine animas geminare, in quo una, quae forma ſit, & regina Lycei, omnia vitae obibit officia, ſuis veluti ſtipata ancil-

lis

lis, quae sint facultates vitales, per quas efficiat, quod multae facerent animae.

Habet enim animus facultates suas, quae sint peripateticae qualitates, aliae corporeae, aliae incorporae. huc ego illud revoco Lycei dogma, omnes animi facultates, sive potentias esse re ipsa ab animo differentes. Externas facultates paulo post. internas & corporeas ita persequor, ut & sensum communem, & phantasiam, & cogitatricem, & memoratricem ita probem, ut eas ipsas re non dissidere existimem. Internas vero, & incorporeas invicem differentes in Lyceo facimus intellectum, & agentem, & patientem, voluntatem, & memoriam.

V. *Origo cognitionum.*

Hic est ille locus de origine cognitionum humanarum. In animo nulla facultas est, quae non sit virtus dynamica suarum functionum. in animo nulla est species, sive idea congenita. itaque origo cogitationum est a sensibus repetenda. nos ita telam ordimur. primum phantasia excitata sensibus ideam sibi parit corpoream, quam cognitio sequatur corporea. deinde intellectus ille actor phantasmate excitatus ideam quamdam spiritalem veluti excudit. tum intelligentia, sive mens instructa specie, sive idea illa impressa, progignit intellectionem, verbum mentis, speciemve expressam. haec saepe singularis, saepe universalis esse solet. numquam autem est, quin phantasma sit phantasiae praesens.

VI. *Natura animae brutae.*

At de anima bruta ita philosophamur. eam *entelecheiam* esse peripateticam, sponte corpoream, non spiritum quendam minorum gentium: quod cum Calmetio contendit Genuensis. tamen eam facimus in universum substantiam individuam, cognitionis, & appetitionis capacem, facultatibus dynamicis ornatam. Huc revoco facultates externas viventum, sensus scilicet, quorum natura sita est in qualitate quadam corporea. Videndi facultas in retina posita recipit species sensiles; non quae sint extimae corporum pelliculae per aera grassantes, sed quae lux sint emissitia. Est enim, si quaeris, lux peripatetica qualitas, a colore germano penitus distincta. in reliquis sensibus est, qui sine specie sensili, solo corporum contactu rem factam habeat. Illud pene exciderat, brutas pecudes ratione non uti, instinctu regi.

CAP. XIV. *PHILOSOPHIA PRIMA.*

Hactenus licuit in natura ipsa videre naturam. nunc ultra naturam, aut certe ad eam naturam, quae sub sensus non cadat, est oratio convertenda. Hanc partem ille Aristoteles primam philosophiam vocavit, alii metaphysicam, nonnulli pansophiam nominavere. Est vero ea doctrina, quae de rebus a materia segregatis sive re, sive ratione, differit. cuius partes facio tres & ontologiam, & aetiologiam, & theologiam. quibus veluti finibus omne genus rerum coerceo. Ontologiam voco eas comprehensiones, quae vim, affectiones, & classes rerum sive τȣ ὄντος, entis amplectantur. Non est in rebus ipsis una *entis* ratio communis pluribus, ne Spinosae liceat concludere, nescio quid.

PROP. I. *Quae dicatur prima philosophia.*

Ergo ratio *entis* in mente metaphysica & praecisa, & synonyma est Deo, rebusque creatis omnibus. Pugnam de Perseitate multo acriorem graviorem in schola, ita dirimimus. *PERSEITAS FORMALITER NON EST ENS.* Haud pote planius. latinius dixero, notio differentiae non continet notionem generis. Iam status entis, de quo scholae, tamquam de vita & capite dimicant, si ab ideis discesseris, unus est physicus, sponte

II. *Ontologiae capita.*

ſua fortuitus, qui nihil differt a re exiſtente. non enim eſt inter eſſentiam & exiſtentiam maior ulla diſtinctio praeciſione rationis. Quo fit, ut eſſentia rei ſit neceſſaria in ideis, in rebus non item. quo fit, ut τὸ δυνατὸν, poſsibile, vel nihil ſit rei, vel ſit quid phyſicum rei. quo fit, ut & praeteritum, & futurum, praeter ideas & rei, & temporis, nihil ſit omnino ſolidum. Pene mihi exciderat lepidiſsima quaeſtio. quam male factum! Deus connectitur cum rebus, quae eſſe queunt, & quae non eſſe queunt.

III. *Attributa τοῦ ὄντος.*

Iuvat potius proprietates entis meminiſſe, quamquam vix meminiſſe iuvabit. eae ſunt ὡς ἐν τύπῳ λέγειν unitas, veritas, bonitas, ſimilitudo, diſsimilitudo, perfectio, differentia, ordo, diſtinctio, ταυτότης, ſive idemtitas. Heic in regno ſuo habeo & praedicata metaphyſica, ea, quae vel generatim, vel nominatim de ente dicantur; & eorum diſtinctionem. Ea attributa in re ipſa, phyſica; in ſola idea, logica; ipſa ut in idea, metaphyſica a nobis dici ſolent. Inter quae attributa, quo pacto apparent animo, non lullianam, non ſcotianam, non baconianam, ſive *GRADUALEM* diſtinctionem, plus aequo maiores; non ratiotinationem ſcholae Societatis Ieſu recentiorem, non praeciſionem thomaſianam; ſed illam pono praeciſionem, qua in idea aliud cognoſcas attributum, alio non cognito; non ſecus, ac naturas univerſales Platonis cognoſceres ſeiunctas, ſiquidem in rebus ipſis exiſterent. De praedicamentis ariſtoteleis ita ſtatuo, eſſe ſubſtantiam, eſſe accidentia, quantitatem, qualitates, modos, actiones, *paſsiones* denique plures. De his ut loquar, non poſſum non rogari.

IV. *Aetiologia expoſita.*

Illa vel maxime nota eſt enti inſignis, ut vel cauſa ſit, vel cauſam habeat. quem de cauſa ſermonem iure huc revocatum, aetiologiam vocant politiores philoſophi. Eſt autem cauſa principium, quod vim naturamque aliam tribuit effectae rei. cauſa vel creatrix ſit, vel eductrix neceſſe eſt. illa iure ſuo unus Deus eſt. vis enim creandi congenita non cadit in res creatas. vis vero omnigena cauſae inſtrumentariae in res creatas cadit. haec illa potentia obedientialis quodlibetica. Forma peripatetica eſt virtus dynamica proxima (immediate operativa ſcilicet) novae formae. qualitas etiam eſt vis ſecundaria ſubſtantiae denuo procudendae.

V. *Theologiae ſpecimen.*

Hunc extremum cauſae principi Deo dicemus laborem. Deus cuius patet ex effectis rebus ubique Numen, eſt ab omni parte beatus omni genere ornamentorum. Deus eſt rerum conditor, ſive cauſa creatrix, quae non naturam ſuam, ſed eam quae nondum erat, creatis rebus tribuit. Deus eſt cauſa univerſalis, quae cum cauſis ſecundis omnes efficit ſimul actiones, eas etiam, quae ſunt creaturae ſcelus. Deus eſt cauſa conſervatrix, quae non iterata tamen in ſingulis momentis nova actione, res effectas tuetur. Deus non eſt cauſa motrix ea, quam thomaſiani probant, praemotione. Deus eſt arbiter ſupremus, qui concordat ſcientia illa media arbitrium ſuum cum creata libertate. Deus eſt providus, quem non fatum rapit, non materiae cogit neceſsitas, non monſtra fallunt. Quid plura? DEUS ille DEUS eſt.

Vt. D. D. Ioſephus Jordana, Vic. Gen. & Off. *Vt. P. Ignatius Noguero S.I. Stud. Praefect.*

HEic in ipſo diſceſſu tuo, lector humane, praeter tuum illud, *numquid aliud*; & meum hoc, *vale*: hoc etiam aliud des, quaeſo, veniam graecis apicibus litterarum, quos initio harum Inſtitutionum deſideraſti ſcilicet. cum primum edi coeptae ſunt, Bilbilis inſcia & imprudens, quae apices numquam viderat, conſentiebat illis, qui non modo accentus, ſed graecis vellent ſpiritus extractos. Quae tu, & alia peccata ſcripturae condonabis typographo, caetera ſtrenuo, qui ita

P.	ERRORES	CORRIGEBAT
2. not.	*e* pag. 28.	*pag. 29.*
3. not.	*a* aetate.	*aeſtate.*
6.	phoſiorum	*phliaſiorum.*
9.	ita res	*ita ſe res.*
12.	Lucretius	*Laertius.*
20.	reperit	*repetit.*
23.	ne dum	*nedum.*
25. not.	*g* cantinelam	*cantilenam.*
27.	profecto eos	*profecto ea.*
28.	ſi quem	*ſi quam.*
34.	ſapientes per quos	*per quae.*
50.	plena copia	*pleno copia.*
57.	ſalutio	*ſalutatio.*
84.	eſſet qui	*quod.*
109.	a B. Clemente	*a Clemente.*
113.	aliquot aliquos annos	*aliquot annos.*
115.	ſomnium	*ſomnum.*
118.	in ſpeculo	*ſpecu.*
146.	ὀμακόιω	ὁμακόιῳ.
147.	Aetiopiam	*Aethiopiam.*
149.	eſt ſpinoſianus	*quodammodo ſpinoſianus.*
149.	dicas inclamare	*dicatur.*
Ibidem.	corduvenſis	*cordubenſis* ſaepe.
150.	iniuſtam	*invſtam.*
152.	Tarſeſi	*Tarſenſi.*
161.	Prometheus	*Proteus.*
172.	Valentinianus	*Valentinus.*
174.	aſſuerent	*aſſeruerunt.*
179.	Balbo	*Balto.*
188.	Doctor chriſtianus	*eccleſiaſticus.*
189. not.	*i* SOCIETE	*SOCIETATE.*
Ibidem.	Galliam	*per Galliam.*
199.	Critici	*Hypercritici.*
142.	relinquerunt	*reliquerunt.*

Quae pluſcula ſuperſint, tute, ſi ſapis, corriges benevole.

THESES
BILBILI


calibrite
colorchecker CLASSIC
mm